This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Over dit boek

Dit is een digitale kopie van een boek dat al generaties lang op bibliotheekplanken heeft gestaan, maar nu zorgvuldig is gescand door Google. Dat doen we omdat we alle boeken ter wereld online beschikbaar willen maken.

Dit boek is zo oud dat het auteursrecht erop is verlopen, zodat het boek nu deel uitmaakt van het publieke domein. Een boek dat tot het publieke domein behoort, is een boek dat nooit onder het auteursrecht is gevallen, of waarvan de wettelijke auteursrechttermijn is verlopen. Het kan per land verschillen of een boek tot het publieke domein behoort. Boeken in het publieke domein zijn een stem uit het verleden. Ze vormen een bron van geschiedenis, cultuur en kennis die anders moeilijk te verkrijgen zou zijn.

Aantekeningen, opmerkingen en andere kanttekeningen die in het origineel stonden, worden weergegeven in dit bestand, als herinnering aan de lange reis die het boek heeft gemaakt van uitgever naar bibliotheek, en uiteindelijk naar u.

Richtlijnen voor gebruik

Google werkt samen met bibliotheken om materiaal uit het publieke domein te digitaliseren, zodat het voor iedereen beschikbaar wordt. Boeken uit het publieke domein behoren toe aan het publiek; wij bewaren ze alleen. Dit is echter een kostbaar proces. Om deze dienst te kunnen blijven leveren, hebben we maatregelen genomen om misbruik door commerciële partijen te voorkomen, zoals het plaatsen van technische beperkingen op automatisch zoeken.

Verder vragen we u het volgende:

+ *Gebruik de bestanden alleen voor niet-commerciële doeleinden* We hebben Zoeken naar boeken met Google ontworpen voor gebruik door individuen. We vragen u deze bestanden alleen te gebruiken voor persoonlijke en niet-commerciële doeleinden.
+ *Voer geen geautomatiseerde zoekopdrachten uit* Stuur geen geautomatiseerde zoekopdrachten naar het systeem van Google. Als u onderzoek doet naar computervertalingen, optische tekenherkenning of andere wetenschapsgebieden waarbij u toegang nodig heeft tot grote hoeveelheden tekst, kunt u contact met ons opnemen. We raden u aan hiervoor materiaal uit het publieke domein te gebruiken, en kunnen u misschien hiermee van dienst zijn.
+ *Laat de eigendomsverklaring staan* Het "watermerk" van Google dat u onder aan elk bestand ziet, dient om mensen informatie over het project te geven, en ze te helpen extra materiaal te vinden met Zoeken naar boeken met Google. Verwijder dit watermerk niet.
+ *Houd u aan de wet* Wat u ook doet, houd er rekening mee dat u er zelf verantwoordelijk voor bent dat alles wat u doet legaal is. U kunt er niet van uitgaan dat wanneer een werk beschikbaar lijkt te zijn voor het publieke domein in de Verenigde Staten, het ook publiek domein is voor gebruikers in andere landen. Of er nog auteursrecht op een boek rust, verschilt per land. We kunnen u niet vertellen wat u in uw geval met een bepaald boek mag doen. Neem niet zomaar aan dat u een boek overal ter wereld op allerlei manieren kunt gebruiken, wanneer het eenmaal in Zoeken naar boeken met Google staat. De wettelijke aansprakelijkheid voor auteursrechten is behoorlijk streng.

Informatie over Zoeken naar boeken met Google

Het doel van Google is om alle informatie wereldwijd toegankelijk en bruikbaar te maken. Zoeken naar boeken met Google helpt lezers boeken uit allerlei landen te ontdekken, en helpt auteurs en uitgevers om een nieuw leespubliek te bereiken. U kunt de volledige tekst van dit boek doorzoeken op het web via `http://books.google.com`

~~50.78.~~

972 e. 125

MEMORIA CLARISSII.

MEMORIA

JOANNIS CLARISSE,

THEOLOGI.

AUCTORE

HERMANNO BOUMAN.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD C. VAN DER POST, Jr.

1850.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

TYPIS K. J. GIEBEN.

PRAEFATIO.

Si spe meâ atque exspectatione serius haec editur narratio; ne auctoris tarditati aut segnitiae tribuant humaniter rogatos volo Lectores, quod et temporum ejus rerumque adjunctis tribuendum est, et accuratius potius, quam properantius narrandi studio ac desiderio. Quo tempore enim nos subita perculit desideratissimi mors Praeceptoris, in Academiae Gelricae Historiâ *inquirendâ ac conscribendâ versabar et totus eram. Ac dudum susceptum hoc pensum, quod nullo modo differri poterat, satis diu deinceps ita me tenuit occupatum, ut adhuc omnes sibi vindicaret horas, quae concedebantur, subsecivas. Hoc autem officio tandem perfunctus, dictu incredibile est quali et quam vehementi desiderio me ferri sentirem Viri, cui omnia debeo, memoriae, nisi quod par erat, certe quod poteram tribuendi. Quod ejusmodi fuit desiderium, ut iterum iterumque, alia omnia agens, in unam hanc invitus revolverer cogitationem, ac Poëtae veteris dictum imitatus, mecum votum nuncuparem ardentissimum:*

»Extremum mihi Tu, Deus! hunc concede laborem!"

Verumtamen quominus eo, quo volueram ac cogitâram, tempore pensum absolverem, omnia illa obstiterunt, quae vitam meam deprimere solent conatusque retardare, impedimenta atque obstacula. De quibus alibi dicta hîc non repetam. Nec alia defue-

runt, cum ipso narrationis argumento conjunctiora, quae moram afferrent. Clarissii *enim vita litterata quo diuturnior fuit latiusque patuit, et quo plura, nomen non professus, ad opera contulit, quorum et Moderatores diu obierant et Editores; eo difficiliore operâ discipulo, anteaquam animum ad narrandum appellere posset, plurima lustranda fuerunt et inquirenda et variis ex fontibus quantumpote conquirenda. Cum praesertim vagam atque incertam relationem, quae verborum magnificentiâ rerum inopiam tegeret, Viri magni atque optime de se meriti memoriam violaturam potius existimaret, quam ornaturam. Quamquam vitae litteratae, in nullas non doctrinarum partes conversae, haudquaquam omnes pariter locos ex voto sese explicare posse et ab initio vidit, et nunc libenter confitetur.*

Quo magis rerum nonnullarum scriptorumque Clarissii, *vel temporis diuturnitate vel commentationum longe lateque sparsarum diversitate, obscurata erat memoria; eo impensius eorum me obstrictum sentio humanitati, qui, varii generis notitiis impertitis, vel locupletandam hancce curârunt historiam, vel ab errandi periculo quantumpote tuendam. Singulorum quidem nomina, commodiore quâcunque opportunitate usa, sicuti par erat, honorifice memoravit ipsa Narratio. Nec tamen indignentur velim opusculi Patroni, si, quo certiorem ipsorum officiis gratiam mecum habere possint lectores, quibus maxime Fautoribus ea debeantur officia, nudâ, sed animi grati nuntiâ tabellâ,* ad alphabeti ordinem informatâ, *me hîc denuo recensuisse viderint. Sunt igitur Viri, suo quisque loco clari, ampli, venerandi, honorati:* J. TEISSEDRE L'ANGE, J. VAN TROOSTENBURG DE BRUYN, J. H. GEERTSEMA C. F., F. H. G. VAN ITERSON, N. C. KIST, B. C. LEDEBOER, F. J. DOMELA NIEUWENHUIS, J. T. BODEL NYENHUIS, J. H. OOSTERDIJK, C. G. C. REINWARDT, J. H. VAN DER SCHAAFF, B. F. SUERMAN, TH. VAN SWINDEREN, H. G. TYDEMAN.

Horum omnium Virorum praestantissimorum maximi me facere officia atque humanitatem, grato profiteor animo. Ac Tibi

singulatim valde obstrictum me sentio, BODELI NYENHUSI, *Vir consultissime! Tibique*, OOSTERDICI, *Vir plurimum venerande! Vos enim, quam vel amicitiae vel disciplinae fidem* Clarissio *inter nos degenti praestiteratis, eam defuncto illi sic sancte conservâstis ac luculenter demonstrâstis, ut in ipsius vitâ narrandâ subinde haerenti discipulo, nulli operae parcentes, consilium probaretis atque auxilium paratissimum.*

Nec vero possum, sicuti vellem, magna illa praedicare officia, quibus hanc demeruit narrationem ITERSONIUS. *Ac si vel possem, Tua mihi obstaret ac me impediret, Vir gravissime atque amicissime! modestia ac verecundia, quae pietatem aequat plane singularem, quâ, dilectissimi nobis Praeceptoris et disciplinam coluisti et amicitiam appetiisti et senectutem recreâsti nec morienti defuisti. Tu mortui merita celebrare cupienti mihi tam benevolum te praebuisti, quam constantem adjutorem. Sic enim* Clarissium *cognitum habueras, ut, praeter unum* SUERMANNUM, *viventium vix quisquam. Tu igitur si vitam illius ac virtutes quodammodo certe aequalibus posterisque repraesentâsse hunc libellum judicaveris, consilio non excidisse mihi videbor.*

Quando pleraque, quae de scripti ratione ac fontibus dicenda videbantur, alibi jam occupavimus, pauca tantum hîc monenda supersunt. Relationes *igitur* de libris, *quas nomen non professus ediderat* Clarissius, *haud raro me diserte ipsius nomini tribuisse nemo miretur velim nec improbet. Nam hoc et facere licuit, et sine errandi periculo a me fieri potuit. Ubi enim in memorati* de Academiâ Gelricâ *operis parte postremâ conscribendâ versabar, ex incolumi eo quaesivi, hoccine in* censuris, *quas ab ipso profectas esse novissem, illâ requirente historiâ facere permitteret? Ubi continuo magnanimum hoc tuli ac tali Viro dignum responsum.* »Quin tu facias," *ait,* »neque enim quid»quam, cujus pudere oporteat, unquam me scribere memini." — *Tum longe pleraque, quae hoc in genere maturâ certe doctrinâ prodidit, ingenii, unde fluxerunt, tam indubias sibi impressas*

habent notas, quae neminem, qui paullo majorem cum ipsius scriptis familiaritatem contraxerit, facile fugere possint aut praeterire.

In narratione si quando orationis puritatem elegantiores desiderant lectores; primam perspicuitatis rationem habere, ac seculi mori vel invitum aliquid dare debuisse auctorem perpendent. Ad propria *singulatim* nomina *quod attinet; ea* Latine *quidem, ubi nulla facile hinc obscuritas exsistere poterat, inflectenda putavi. Caeterum sonorum duritiem aliquam vernaculorum, sicubi commode evitari non posset, faciliorem inventuram esse speravi excusationem, quam ex nimis curioso Latinitatis studio relationi contractam ambiguitatem. In his autem* propriis *enuntiandis* nominibus *si non semper sibi satis constitisse auctorem nonnulli arguent; ita confitentem eum habebunt reum, ut ad culpam, nisi deprecandam, certe minuendam duas adhibeat patronas, alteram quidem rei ipsius difficultatem, alteram vero longam, quae invitum detinuit, scribendi moram. Quam saepe enim a narrationis telâ persequendâ ipsum vel aliena maxime negotia avocârint vel corporis infirmitates repulerint, quo plenius omnes novissent lectores, eo indulgentiores eos judices inveniret hicce libellus* (1).

Quem igitur quod tandem ad exitum adducere licuit; Tibi gratias agimus, O Pater per Christum clementissime! Tu vero scribentis et erroribus ignoscas vitiisque, et utiliter, si quae sunt, dictis in Ecclesiae salutem utaris!

Datum TRAJECTI AD RHENUM, d. VIII Januar. a. MDCCCL.

---

(1) Praeter alia pauca in *Emendandis* notata, haec imprimis corrigat Lector rogo. P. 31, v. 4, pro Quintiliani potius ponatur Quinctiliani; — p. 137, *ann.* 1, *v.* 1, pro *cui* legatur *quibus;* — *pag.* 180, inscriptio *Segm. primum* potius leg. *Segm. prius.*

MEMORIA JOANNIS CLARISSE,

THEOLOGI.

Cum haud paucos cognoscere mihi contigerit vel in aliis artium disciplinis, vel in Theologiâ excellentes aequales; tum nullum praestabiliorem cognovi ac majore omnium laude atque existimatione dignum Theologum, quam illum, cujus imaginem qualicunque hocce scripto pro virili parte repraesentare cupimus, JOANNEM CLARISSE. Quem Virum desideratissimum ubi *Theologum* dico, nemo me putet ignorare, quam admirabilis doctrinae omnia fere complexae varietas in illo fuerit ac copia. Verum, si quis alius, hic certe Plutarchei praecepti constanter se memorem ostendit, quod multas invisere urbes, in unâ habitare doctos jubet homines. Ex quo enim firmum studia regundi consilium caperé potuerat Vir prudentissimus, *sacrâ* in disciplinâ ita quasi tabernaculum vitae collocavit, ut ex quovis in alias doctrinarum partes excursu, veluti ex deverticulo in viam, in unam illam pedem referret; atque ut, quascunque sibi variae eruditionis divitias comparaverat, eas vel ad Sanctas Litteras plenius intelligendas et fructuosius explicandas, vel ad religionis placita ac praecepta subtiliore cognitione complectenda et efficaciore oratione commendanda, vel tandem ad Dei operum in Naturae Gratiaeque regno magnitudinem ac sapientiam penitius perspiciendam et disertius enarrandam, nunquam remissis studiis

conatibusque converteret atque adhiberet. Quocirca vel hunc, vel neminem *Theologum* jure dicemus.

Atque haud scio equidem, an paucissimi unquam vixerint homines, quibus, Dei moderante Providentiâ, vitae cursus ac vicissitudo tam diversas opportunitates offerret viasque aperiret gravissimi, quod dixi, muneris profitendi ac difficillima, quae imponit, officia cumulate exsequendi. Clarissius enim, primo vitae publicae tempore, plures per annos continuos, postea denuo aliquamdiu, ubi alia omnia meritum eum ex cathedrâ removerat exterorum dominatio, tribus deinceps Christianorum coetibus praefuit, idque modo rure, modo in oppido non ignobili, modo maximâ in urbe atque opulentissimâ. Tum longe diutius binas ornavit cathedras theologicas, alteram in contractiore sed eâdem laudatissimâ disciplinarum sede positam, alteram in celebratissimo, quod patria habet, earum domicilio. Neque enim per subito demandata pensa gravissima, vel Litteras Orientales tradendi, vel Historiam docendi Naturalem, a praecipuo suo, quod diximus, munere et officio abstrahi sese passus est atque avocari. Tandem, ubi senex rude donatus erat, ita rus secessit Vir αὐταρκής, ut hujus ex otio senili plures uberioresque, quam ex plerorumque vegetâ ac florente aetate, fructus atque emolumenta civitas et litterata caperet et Christiana. In tempora autem tam commota et tam perturbata illius incidit vita, quae Theologi vel academici vel ecclesiastici (1) munera, semper gravia ea ac difficilia, graviora etiam quam alias ac difficiliora redderent. Sed quid ego publica tempora memoro, quae cum aliis haud paucis communia habuit, eâdem in palaestrâ decertantibus? Privatae enim clades atque alia aliis cumulata funera sic illius et domum afflixerunt et animum tentârunt cruciâruntque, ut, nisi plane singulari et invictâ fere fuisset constantiâ, ante hos multos jam annos talibus iis ac tantis malis succumbere debuisset. Si igitur Christianorum Doctoris atque Antistitis virtus et praestantia non solâ spectatur rerum divinarum cognitione quamvis amplâ, non solis in

(1) Sic utriusque nuncupans ac secernens munus, hîc et alibi ipsius secutus sum auctoritatem Praeceptoris, in *Encycl. theol. epit.* § 97.

Ecclesiam meritis quamvis insignibus, sed magis etiam animi excelsi, nullis fracti sortis aerumnis, aequabilitate, robore, magnitudine; paucissimos sane, si ullos, qui Clarissio *Theologiae* palmam dubiam reddere potuerint, fuisse reperiemus.

Nec vero ita quis haec dicta accipiat, ut tanquam consummatum sanctissimae disciplinae Doctorem, aut talem certe, cui ad perfectionem non multum deesset, dilectissimum meum praedicare velim Praeceptorem (1). Id sane si agerem, piae mihi manes irascerentur Viri modestissimi; cui, veluti alteri *Paullo*, *ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν τὸν ϑησαυρὸν* sese habere persuasissimum fuit, quique, et saepe alias et ultimis, quas morti proximus ad me dedit, litteris effusiores omnes a sese laudes deprecatus est. Verum hoc affirmare non vereor, Theologiae si qui sint osores ac vituperatores, nullâ eos efficaciore ratione vel rubore suffundi posse, vel meliora doceri, quam hujus potissimum Viri, qui illi excolendae totum sese dedit, vitâ, doctrinâ, magnitudine simplicem nec infucatam per narrationem referendâ atque adumbrandâ. Ad hoc vero, sicuti par est, faciendum me plus voluntatis, quam facultatis afferre ita penitus persentisco, ut non multum absit, quin recepti me pensi poeniteat. Sed nimirum haud facile reperias, qui tam studiose, quam noster ille Magister, Praeceptores suos laudandi opportunitates vel oblatas arripuerit, vel non ita sponte natas exquisiverit. Hic igitur qualis quantusque fuerit et aequalibus repraesentare et posteros edocere, nonne ipsa pietas jubet discipulos? In *Clarissii* autem discipulis si haud desunt, quos huic pietatis officio exsequendo aut felicius ingenium aut uberior doctrina me magis idoneos reddat, quod facile concedo; at paucissimi hodieque supersunt, quos cum illo necessitudo vel tam vetusta vel tam arcta conjunxerit; nemo certe ad cujus animum conformandum studiaque regenda efficacius illius valuerit institutio atque exemplum. Nec vero id primum aut praecipuum nobis

---

(1) Universe sane ad *Theologi* officium applicanda quae, de consummatae praestantiae *ideâ* ab *Oratore sacro*, sine spe assequendi, persequendâ verissime disputavit ipse, annot. ad Ewaldium, postmodum accuratius laudandae, p. 490 sqq.

propositum est consilium, ut Praeceptoris merita celebremus ac praedicemus, quae, si vel nemo quisquam laudaverit, sponte suâ ad posteritatis admirationem doctrinae monumenta commendabunt aere perenniora. Nam tum demum operam non lusisse nobis videbimur, si ad illius cum exemplum imitandum, tum scripta diligenter legenda ac relegenda nonnullos certe et sanctioris disciplinae alumnos impulerimus, et alios sapientiae de Christi fonte ductae studiosos. Atque hunc utinam fructum ferat qualiscunque nostra narratio, ut quotquot eam legerint gratis animis Dei O. M. beneficium agnoscant ac celebrent, qui, quâ aetate vehementissimis opinionum in contraria ruentium fluctibus agitabatur Ecclesia, illi constantissimum hunc ac *propositi tenacem Virum* donaverit, quem nullus aequalium *ardor prava jubentium* aut perversa sectantium *mente quateret solidâ!*

Bipertitum hujus opusculi pensum erit; cujus *priore parte* ita ipsam Clarissii vitam enarrabimus, ut jure *theologicam* illam dici appareat. *Alterâ parte* illius cum indolem moresque, *Theologo Christiano* dignissimos, delineare conabimur, tum merita et alias in doctrinas et in sacram imprimis disciplinam paullo disertius declarare.

PARS PRIOR.

DE CLARISSII VITA.

CAPUT PRIMUM.

DE IPSIUS GENTE, PUERITIA, ADOLESCENTIA.

Viri, de quo dicimus, majores olim, haud ita diu, nisi fallor, post antiquatum edictum Nannetense, libere profitendae purae *Christi* religionis facultatem mundi bonis atque ornamentis praeferentes, ex Francogalliâ patriâ in hospitalem hanc Nederlandiae terram exsulatum iverant, atque hîc deinceps sibi suisque domicilium collocârant. De avo illius paterno unum hoc mihi narrare memini Heringam nostrum, litterarum ludo in agri Walachrici pago Zouburgiâ Orientali fuisse eum praefectum. Longe autem clariorem Joannes patrem habuit Theodorum Adrianum; quem potissimum Virum laudatissimum sibi vitae auctorem teneraeque pueritiae ducem obtigisse, in praecipuis reponere solebat divinae Providentiae beneficiis. Quocirca et suscepto penso deessem equidem, et Praeceptoris mei voluntati oppido repugnarem atque adversarer, si, hujus de vitâ referens, Parentis memoriam plane inornatam relinquerem. Theodorus Adrianus igitur, quo melius sacro, quod cogitabat, muneri obeundo sese praepararet, primum quidem Medioburgensi in Athenaeo Doctoribus usus est Jacobo Willemsen et Frederico Lud. Abresch, quorum ille sacra faciebat et Litterarum Orientalium Professor erat, hic Gymnasium moderabatur atque Humaniores Litteras pro-

fitebatur, uterque insigni tunc variae eruditionis laude florebat (1). Quorum praeparatus institutione in disciplinam sese dedit Gisberto Bonnet, qui temporibus illis, Rheno-Trajectinâ in Academiâ, Theologiae principatum tenere censebatur. In cujus litteratissimis eum fuisse discipulis et aliunde satis constat, et binae demonstrant, quas, a se compositas, illo Praeside publice defendit dissertationes, quarum utraque, rariore tunc exemplo, ab *Historiâ* praesidium sanctioribus petebat studiis (2). Reliquo vitae spatio quatuor deinceps stationes obtinuit, ubi cum haud vulgari bonorum omnium approbatione Euangelium publicaret, primum Amerongiae pagum, postea Vadam Scidamumque, tandem Amstelodamum. Quodsi Paullo Chevallier credimus, Groninganorum Theologo eximio, qui Theodoro Adriano parentavit; (et quidni arbitro credamus in paucis idoneo?) cum magnis ingenii animique dotibus excelluit ipse, tum accuratâ doctrinâ nec vulgari eloquentiâ. De sacris ejus orationibus si forte quaeris, tantâ cernebantur illae argumenti gravitate, dispositionis concinnitate, dictionis puritate, admonitionum sapientiâ, ut, ex illâ quidem vulgo jacentis apud nos Eloquentiae sacrae periodo, quas ipsis praeferas vix ullas, quas compares oppido paucas repereris. Quod vere a me dictum esse et ille testis est concionum Fasciculus, quem *de salutis comparandae viâ,* haud diu ante mortem, a. 1780, ipse publici juris fecit; et comprobat *Paullinae ad Colossenses epistolae* paraenetica explicatio, quam,

---

(1) Hos patri suo Praeceptores fuisse datâ opportunitate me monuit J. Cl. De F. L. Abresch nonnulla diximus in *Hist. Ac. Gelr.* II. 252, 306.

(2) Altera agebat *de praecipuis Discipulorum circa personam et munus Mediatoris erroribus, fidem salutarem non tollentibus, et divinâ, in hisce conspicuâ, gubernatrice Providentiâ;* — altera *de mirabili Eccl. et Reip. Judaicae, praesertim Servatoris et Apostolorum tempore, conservatione* caet. Priorem Traj. ad Rh. a. 1763 defendit ediditque; posteriorem ibidem a. 1764, Ministerii Candidatis jam adscriptus. V. P. Chevallier, *lijkrede ter gedachtenisse van* — Th. A. Cl.; *Gron.* 1782. Exstat illa in *Bigâ Oratt. s.*, quorum altera ipsius Cl. posthuma est. Memorabilia de eodem vidd. apud G. Crocse Gz., *kerk. reg. der Predd. die — de Geref. Ned. Gem. te Amst. bediend hebben, — tot* 1778; p. 350 sqq.

defuncto eodem auctore, quinque Tomis distinctam, emisit Petrus Abresch, Theologus Groninganus: nam haec quoque sermonibus continetur de templorum cathedrâ habitis (1). Ne de ejusdem quid dicam novo *orationum sacrarum* Fasciculo, quem diu postea, a. 1798, prius editis adjiciendum vulgandumque curavit pius filius Joannes. Quem, ut hoc addam, eodem de Parente nobis narrare memini, quod quam rarâ fuerit memoriae celeritate ac facilitate luculenter probaret. »*Patri,*" inquiebat, »*ad plene ediscendas, quas accurate perscripserat, singulas ora-* »*tiones, quamvis longiores, brevissimum illud sufficiebat temporis* »*spatium, quod in rhedâ sedenti concedebatur, dum suis ab aedi-* »*bus, Amstelodami per plateas, in templum se vehendum cura-* »*bat, ubi mox eas pro concione habiturus erat.*"

Hoc igitur patre, quo praestantiorem nullis sibi votis exoptare potuisset filius, d. 19 Octobris a. 1770, Scidami, Hollandiae Meridionalis in urbe, natus est Joannes Clarisse (2); matre Elselinâ Elizabethâ van der Duiff. Quam etiam ipsam, tali nimirum prole beatam, haud mediocri fuisse ingenii vi atque alacritate mulierem valde credibile est. Quo magis haec tantum pauca me de illius rebus resciscere potuisse doleo, honestissimâ eam gente ortam fuisse, patre Diderico, Viro consulari Iselostadiensi, suo in oppido nobili, ipsamque, praematurâ morte exstinctam, tenello filiolo Joanni ereptam esse.

---

(1) Hocce opus ii etiam ipsi, quorum de rebus divinis sententiae cum *Clarissianis* non concinerent, valde honorifice memorârunt. V. *alg. vad. Letteroeff.* *ad a.* 1793. I. 93 sqq.

(2) Die jam 21 ejusdem m. Octobris, manu ac ministerio Guarneri Soetens, Baptismi teste hujus ipsius uxore, sacro tinctus est lavacro. Quod quoniam in vitae notatione, mihi traditâ, quamvis brevi, memorare non neglexit pius senex, cui nihil cum religione conjunctum leve videretur, hîc mihi reponendum duxi. — Idem autem Soetensius adolescentem, d. 22 Julii a. 1785, post editam fidei professionem, Ecclesiae sociis adscripsit, una cum condiscipulo laudatissimo J. H. van der Schaaff, cujus nomen mox nobis recurret. Quo monente hoc rescivi. Quem dixi, Vir venerabilis, Th. A. Clarissii collega idemque amicus, et alibi sacrorum Antistes fuit et ab a. 1768 Scidami, ubi a. 1790 diem obiit. V. J. H. Brans, *kerk. Register der Predd. — van Z. Holland;* (*Rott.* 1802) p. 89, 154.

Verum matre orbato puerulo remanebat adhuc ac conservabatur pater, cujus institutioni monitisque sapientissimis plurima debuisse primos suae vitae annos, in oratione inaugurali Dornensi publice grato animo professus est filius. Quid, quod hujus in animo tam altas egerit radices ejusdem Parentis memoria ac veneratio, ut penultimâ etiam, quam ab ipso tuli, epistolâ, a sene grandaevo scriptâ, illius bona celebraret ac virtutes (1). — Optimo igitur hocce patre, a. 1772, Scidamo Amstelodamum evocato ac delato, Joannes hîc primum, a. 1775, matronae alicujus, puerulis praefectae, tum, a. 1777, Jani Lastdrager, ludimagistri haud illaudati, curae scholaeque traditum se commissumque vidit. A quo posteaquam triennii spatio litterarum elementis, fortasse etiam linguae Francogallicae initiis, imbutus erat, a. 1780 in Gymnasii Amstelodamensis subsellia non optimis avibus puer tralatus est decennis. Quamvis enim justâ meritâque laude et tunc illud floreret Gymnasium et diu postea florere perrexerit; nescio tamen quo fato factum sit, ut Joanni Praeceptorem non donaret, sed imponeret, cujus proprium nomen hîc edere nihil attineat. Plagosus enim erat *Orbilius*, iniquus, importunus, ad bonae mentis semina in alumnorum pectoribus exstinguenda magis idoneus, quam alenda. Cujusmodi paedagogi jugum atque imperium quam impatienter tulerit fervidior ille atque ad quosvis in utramque partem sensus suscipiendos mollis tenerque pueri animus, quicunque eum cognitum habuerunt, me non monente facile intelligent.

---

(1) In editis etiam Praeceptoris nostri scriptis haud pauci exstant loci, unde quanti huncce fecerit Patrem apparet. Exempli caussâ vidd. quae dixit ad Ewaldii *Lessen over de Kanselwelspr.*, p. 210, 265; — *Over* H. van Alphen, ed. 2. p. 105; — *Leerredd. bij bijzondere gelegenh. uitgespr. praef.* p. VIII; — *Bibl. van theol. Letterk.* III. 207; — *Rec. o. d. Recc.* XV. 367 *recenss.*

Ejusdem Patris ex chartis posthumum hunc edidit librum: *Het leven des geloofs van eenen Christen, zoo als hij de geopenbaarde leere des O. en N. V., aangaande den weg der zaligheid, — godvruchtiglyk beoefent;* Amst. 1798. Quae hîc inveniuntur undecim orationes, testante Filio, cujus omnino legenda pia praefatio, eorum, quae *de salutis viâ* supra memorato Fasciculo dixerat auctor, habent quodammodo continuationem.

Sed quamvis triste hoc ei fuerit, quo aliquamdiu constrictus tenebatur, disciplinae scholasticae vinculum; longe tristior illi fuit ac magis lugubris casus gravissimus et clades domestica, quâ subito rumpebatur. Quod cujusmodi fuerit, paucis, age! narremus. Quem supra laudavimus, Theodorus Adrianus, Joannis pater, infirmiorum a naturâ acceperat aut teneriorum certe pulmonum usum. Quorum vero infirmitati tam felici successu Medicam adhibuit Vir temperatissimus perpetuam abstinentiam, ut plures deinceps per annos, sine pectoris incommodo, nec auditoribus, quos permultos habere solebat, vocis sonum ac perspicuitatem desiderantibus, in vastis illis Amstelodamensium templis, quoties muneris officium requirebat, sacrâ de cathedrâ verba facere posset. Nullo igitur valetudini minitante, periculo, verno anni 1782 tempore Groningam, amicos invisurus, excurrit. Qui vero honestae recreationis excursus ne utilitate vacaret, semel certe illâ in urbe publicas Euangelistae partes obire instituit. Cum praesertim aliquot ante annos Scidami adhuc morantem ipsum, magno sed irrito cum desiderio, evocâssent sibique devincire conati essent Groningani. Quos igitur sine solenniore mutui amoris testificatione relinquere noluit. Destinato mox die Solis, ad Amstelodamensem illum audiendum claro nomine Antistitem tanta confluxerat hominum multitudo, ut templi quamvis ampli nullae non partes iis replerentur et anguli. Verum vix suggestum conscendentem viderant dicendique initium facientem audiverant Virum desideratissimum, cum omnium animi non magis necopinato, quam miserabili obstupefiunt spectaculo. Vehementissimâ enim sanguinis ex pectore eruptione obruto et paene suffocato Oratore, dicto citius vox faucibus haeret, lingua obmutescit facundissima, fere enectum concidit corpus. Quid multa? Mox in vicinas amici aedes Vir deportatur optimus, cujus florentem ac vegetam aetatem lethali veluti ictu tetigerat ac prostraverat dira, quam dixi, haemorrhagia. Vix biduo enim interjecto, ejusdem in amici domo hospitali, summâ omnium cum consternatione nec minore plurimorum bonorum luctu, piam efflavit Dominoque reddidit animam.

Profecto, si *multis ille flebilis occidit, nemini flebilior*, quam filio, de quo loquimur, impuberi, id aetatis puero, quâ vel maxime Patre sapientissimo, vitae duce ac virtutis monitore, indigere videbatur. Verum, haud sine Numine Dei, defuncti Parentis vices suscepit Thomas Pigeaud, urbis Scidamensis Consul. Quem quod *Avum* antea jam salutaverat, non consanguinitate quidem, at affinitate sibi junctum, nunc etiam in *Tutorum* suorum numero repositum videbat orphanus; caussa erant altera vota, quae cum hujus filiâ *Annâ Eduardinâ*, haud ita diu post prioris uxoris obitum, contraxerat Theodorus Adrianus Clarisse. Joannes igitur, quo aegrius duri Praeceptoris Amstelodamensis illud, de quo antea, jugum tulerat; eo majore jure et tunc et postea de Avi benevolentissimi consilio et prudentiâ sibi gratulabatur. Hujus enim auctoritate factum est ut, caeteris consentientibus pupilli Tutoribus, a. 1782 Scidamum hic migraret. Atque ibi per proximum triennium et grato contubernio usus est, et leniore ac salubriore disciplinâ Joannis van Laar, urbis illius Gymnasio praefecti (1). Hîc igitur primum, qualis futurus esset Vir, demonstrare potuit ac luculenter demonstravit adolescentulus. Tantâ enim tunc jam inter sodales excellebat studii assiduitate ac constantiâ, tantâ progressuum in Litteris felicitatc, ut nullum illi cursûs scholastici semestre spatium exiret, quin honorificentissimis Curatorum Rectorisque judiciis praecellentis praemio laudis ornatum se videret. Cujus rei publice tum prodita fidem faciunt testimonia (2).

(1) Hic et classicae eruditionis et Poëseos Latinae laude florebat. Quae Rectoris laus et plures allexit discipulos, et in ipsum redundavit, cui praeërat, Gymnasium. Postea Gaudam evocatus est ibique fato functus. — His aliisque notitiis humanitas me auxit Jacobi Henr. van der Schaaff Viri gravissimi ac doctissimi, qui nunc, in Curiâ Hollandiae Septentr. Judex emeritus, et historicis et aliis Litteris excolendis senectutem grandaevam cum exhilarat, tum fructuosam reddit. Hunc enim olim puerum cum Clarissio contracta amicitia Amstelodamo Scidamum traduxerat. Ex cujus Gymnasio eodem, quo ille, die honorifice admodum dimissus est, habitâ oratione *pro concordiâ.*

(2) Vid. imprimis *Boekzaal*, 1783. 2. 205.

Verum idem hoc Scidamense ejus tempus, quantum animo studiisque emolumenti afferebat, tam praesens aliquando vitae periculum minitatum est. Quod, ut ipse, gratissimo in Deum, qui se servâsset, animo, Itersonio nostro, hic mihi narravit, ita tibi, humanissime Lector! reponam ac referam. Quartum et decimum fere aetatis annum attingenti discipulo, post exactas ferias, Amstelodamo in Scidami urbem ac Gymnasium redeundum fuit. Nec commodiore poterat uti vecturâ, quae temporum illorum simplicitas erat, quam navigio ordinario, quod ex illâ hanc in urbem non homines tantum, sed item *onera* quaevis transferre solebat et fasciculos, atque ab hoc officio vulgo *navigium* dicebatur *onerarium*. In Amsteliae igitur ripam, unde mox solvendum erat, ipse pupillum deducit Tutor, homo cautus et providus, nec prius ab illo discedit, quam Naviculario diligenter curandum eum demandavit. Lento quidem, ut tum fieri solebat, sed certo nec magnopere interrupto cursu progreditur aut protrahitur potius oneraria, atque, ubi diu jam advesperaverat, ad Alpheniam appellit. Cujus in pagi parte illâ, quâ praeterfluentis Rheni vel maxima latitudo est, diversorium aliquod erat, ubi, suspenso navigii cursu, aliquantisper commorari soleret ejus Magister, atque epistolas, si quas ad tractûs illius incolas transferendas habebat, iis, quibus inscriptae erant, coram tradere. Quod nunc etiam pro more facturus, in ripam egreditur, et, comitante puerili alacritate Clarissio, hospitium petit. In quod ubi intraturus est: »*At bellum me hominem!*" inquit, »*quo cum maxime mihi opus est, epistolarum involucrum ex thecâ prope puppim repositâ auferre atque asportare neglexi.*" Jam continuo recurrere volentem humaniter sistit Joannes, non pedibus magis agilis ille, quam animo officiosus. »*Quin tu hîc potius maneas,*" reponit, »*dum ego properans, quem requiris, epistolarum fasciculum ex thecâ retraxerim tibique attulerim.*" — Ut dictum, ita factum. Quâ maximâ potest celeritate navigium repetere puer, angiportum pervolans, quod diversorium disjunctum tenebat a fluvio, cujus conspectum vespertinis in umbris intercipiebat huic contigua quaedam aedicula. Quo objecto obstaculo vel impeditis vel aberran-

tibus oculis, viae ripaeque spatium non satis accurate dimensus, in amnem improvidus incidit, immergitur, in medium illum continuo propulsum sese sentit miser. Qui quamdiu sui compos manet, alterâ manu os occlusum tenere conatur, alterius ope et ministerio super aquis se sustinere iisque quodammodo innatare. Nequidquam: mox enim in profundum subsidere undisque penitus demergi adolescens, cui procul dubio fatalis illa ipsa futura videbatur hora.

At quid Nauta, inquies, cujus commissus erat curae, quid hujus socii, tanto ac tam praesenti in illius periculo? Hi quidem ad fluvii locum, unde ad aures aquae repercussae sonitus acciderat, quam celerrime navigium admoverant, cujus de foris brachia porrigentes extrahere eum conantur ac servare. Verum corporis nec volâ nec vestigio comparente, in fundo jam suffocatum eum periisse suspicantes, ab irrito desistunt labore. Quâ igitur spe frustrati, nave egrediuntur, in adversam sese proripiunt fluvii ripam. Unde denuo se porrigentes longos in aquam immittunt uncos navales, quibus, si forte, miseri vestium pannum aliquem aut laciniam prehenderent. Quo facto desperata dudum salutis via tandem expeditur. Plures enim post irritos conatus in demersi pallium uncum injicere Navicularii famulo contingit; tam fausto illud exitu ut in vadum tolli posset, nec magis Rheni ex undis, quam ipsius ex orci faucibus eripi. In hospitium quidem, unde tantâ cum alacritate procurrerat, semianimis reducitur; verum madentibus exutus vestibus, ignis, cujus foco admotus erat, benefico calore refectus, sic brevi se recipit et quasi reviviscit, ut haud ita diu post, eodem vectus navigio, inchoatum iter, quod tantillum aberat quin funestum ipsi fuisset, feliciter continuare posset ac conficere.

Praesentissimâ igitur hâc Dei immortalis curâ ac liberatione vitae veluti redditus Christique Societati, cujus insigne debebat ornamentum esse, conservatus, triennii, quod dixi, spatio (1782—1785) quam felicissime stadium emensus est scholasticum. Posteaquam enim et ab industriâ et a progressibus iterum iterumque

publicâ auctoritate singularibus ornatus erat laudibus, majus etiam decus attulerunt Kalendae Sextiles a. 1785. Quibus ipsis Kalendis Gymnasio valedixit Scidamensi, et oratione habitâ *de Litterarum studio Reip. praesidio firmo ac stabilimento*, et vero *primo* donatus *praemio* scholastico, id est eo, quo tradito sodalibus, quamvis praestantibus et ipsis, palmam eum praeripuisse Curatores una cum Rectore palam declararent (1).

Sic igitur non rite tantum, sed honorificentissime adeo ad altiores scholas sese dimissum vidit Joannes. De quo noli dubitare, quin illo jam tempore Humaniorum aliarumque cognitione Litterarum multos superârit tirones Academiarum. Necdum tamen id aetatis puerum quamvis praecocem, qui quintum et decimum ageret annum, sine ulteriore aliquâ praeparatione, in vitae academicae pericula atque illecebras committendum putârunt Tutores. Quam eorum sapientiam utinam omnes adolescentulorum imitarentur vel parentes vel curatores, neque in aequor, luctuosis multorum naufragiis infame, impuberum animos, qui nondum suo se remigio moderari didicerunt, imprudenter compellerent! Sed illi, et ab aliis et a nobis saepe frustra moniti, quid sibi faciendum sit videant. Clarissius certe, nullo non vitae tempore, Tutorum sua studia regentium, ipsiusque Dei immortalis sua fata moderantis, beneficas laudare solebat prudentesque curas, quibus factum esset ut sibi, ex Gymnasio dimisso, *Academia* veluti *propaedeutica*, contubernium et disciplina pararetur ac conciliaretur Abrahami Ledeboer, Antistitis emeriti Haastrechtani. Cujus nomen, quam novum fortasse nonnullis accidet hujus scripti lectoribus, tam carum dilectumque illi fuit mansitque perpetuo, de quo narramus. Hunc potissimum ad rogum usque sibi colendum duxit ac venerandum. Huic vel maxime sese τὸ εὖ ζῆν debuisse et juvenis professus est et senex. Quo minus nobis committendum videtur, ut, vel per temporis diuturnitatem vel per aliorum magis gloriose facta, illius memoriam plane oblitterari sinamus.

---

(1) Vid. *Boekzaal*, 1785. 2. 194.

Ledeboerius igitur, de quo dicere incepi, nobili gente Osnabrugensi ortus erat, quae, Sec. XVI, repurgatam libere profiteri religionem gestiens, ex patriâ in Transisalaniam se receperat. Cujus ipsius regionis in vico *Weerselo,* d. 17 Octobr. a. 1735, natus est (1). Majorum, qui ab instauratis inde Sacris, haud intermissâ patrum filiorumque serie, Euangelium annuntiârant, vestigiis insistens, Theologiae et ipse operam dare constituit. Quo consilio primum, a. 1744—1751, in Lingensium Scholis, hinc, ad exeuntem usque a. 1756, in Groninganorum Academiâ versatus est. Cui non prius valedixit Academiae, quam, scriptâ ac publice defensâ diss. *de naturâ spatii in genere et vacui in specie,* Philosophiae Doctor renuntiatus esset. Jam, ubi per biennium fere in agri Trajectini vico *Renswoudiae* Sacrorum interpres fuerat, a. 1760 eandem provinciam *Haastrechtiae* prope Gaudam suscepit. Tantâ autem florebat et tam honorificâ ingenii, pietatis, doctrinae laude et existimatione, ut majoris alicujus aut urbis coetui aut Academiae cathedrae omnium exspectatione nec vano augurio destinari videretur. Sed quantillis a rebus mortalium sortes Dei suspendit Providentia! Ad eludendas tam laetas illas spes funestus aliquis valuit suffecitque rheumatismus, qui optimi Viri guttur eum in modum afficiebat atque ita in perpetuum obstruebat, ut impeditam totius deinceps vitae spatio loquelam haberet, et vix aut ne vix quidem, non sine magnâ certe difficultate, nonnullas pronuntiare posset litteras consonas. Nec tamen, proximis quindecim, qui casum secuti sunt, annis, per molestissimum gravati corporis malum a constanti gregis commissi curâ se deterreri passus est fidissimus ille Christi minister. Quem vero tandem, a. 1777, magis magisque indurescens ac laborans guttur otium cum dignitate quaerere coëgit. Quod ut facile suoque jure impetravit; ita luculento deinceps exemplo demonstravit, otiosus cum videtur

(1) Patre Bernardo L., Sacrorum Antistite, matre Annâ Sybillâ Lippinckhoff, Consulis Gronoviensis filiâ.

homo sapiens ac bonus, tum vel maxime eum utiliter esse negotiosum. Nam et optimae frugis scripta nonnulla commentatus est ediditque (1), et vero, quod imprimis nobis memorandum est, pluribus honestioris loci, quos in contubernium receperat, adolescentibus tam praeclarum sese viridis aetatis ducem dedit, ut per praegressa imprimis hujus monita atque institutionem sibi vitae academicae fructum constitisse asseverarent. Quorum dictorum quo testatior fides sit, ipsum audiamus Clarissium, de dilectissimo Praeceptore et alia et haec professum: »*Rarissimi,*" inquit, »*hoc est exempli, quod uno eodemque in homine tanta* »*omnigenae fere eruditionis copia atque ubertas cum tam singu*»*lari conjuncta reperiretur et ingenii acumine et animi sibi im*»*perantis firmitate philosophâ. Nec hoc minus rarum atque in*»*solens, quod eodem in Viro tam amabilis, quae nunquam se* »*jactabat aut venditabat, pietas in Deum atque in homines bo*»*nitas ita paratam promptamque comitem haberet docendi fa*»*cilitatem. Quâ fiebat facilitate, ut, cum decem haberet eodem* »*tempore aut duodecim forte discipulos, singulis iis, quamvis* »*diversa pensa tractantibus, historica, philologica, philosopha,* »*mathematica, theologica, quodcunque difficultatum objectum erat* »*explicare posset atque expedire. Quam iis operam ne tum qui*»*dem denegabat, quâ erat invictâ mentis constantiâ, cum per di*»*rissimos vel animi vel corporis dolores cruciatum sese sentiebat.*"

Haec quidem de illius dotibus meritisque universe dixit Clarissius. Quid ipse singulatim illi debuerit si quaeris; in

(1) Viri meritissimi, praeter laudatam jam diss. inauguralem (*Gron.* 1756), haec edita exstant scripta: *De sensu morali* commentatio, prodita in *Legati Stolpiani dissertt. de Ethicâ Christ.* T. III. L. B. a. 1774; — dissertt. binae de *Proverbb.* Cap. I—III, a *Societate*, quae Amstelodami florebat, *Biblicâ* praemiis ornatae ac vulgatae; — comment., *quâ religionis Christ. oppugnatorum molitionibus obviam itur*, (*Verhand. behelzende de behoedmiddelen* enz.) in *Opp. Soc. Hag. pro defend. rel. Christ.* ad a. 1786, *Hag. Com.* 1788. Ne vel de ejus *libello catechetico*, socio Guil. de Roo scripto, novies edito illo, quid dicam, vel de gravissimâ ipsius *ad populum admonitione*, quae orationis sacrae, solenni supplicationum die habitae, rationem formamque habet; cujus valde honorifica exstat censura in op. *alg. vad. Letteroeff.* 1799. I. 609.

orationibus aditialibus, cum *Dornensi* tum *Enchusanâ*, »*hunc, »quem pro meritis laudare non posset, Praeceptorem nullius »non liberalioris cognitionis ac doctrinae suo in animo veluti se»mentem fecisse,*" palam testificatus est. — Sed magis etiam memorabile videtur quod, multis annis postea, in libello, Wynperssii sui memoriae consecrato, de eodem affirmavit Ledeboerio. Ubi: »*Si quâ in doctrinâ,*" inquit, »*recte et utiliter »aliquid vel videre mihi contigit ipsi, vel aliis tradere, quod »quam mancum sit et inchoatum nemo me melius intelligit; sed »cuicuimodi illud sit, Pastori emerito Haastrechtano, secundum »unum Deum, praecipua ejus laus ac proprius honos tribuen»dus est.*"

Haec a se dicta, ultimum ad me scribens morti proximus Clarissius, ita mihi in memoriam revocavit, ut ex intimo pectoris sensu manantem hanc adjiceret vocem: »*Lucidum sane sidus fuit* Ledeboerius;" veritus ille fortasse ne, suam narrans vitam, non satis diserte atque honorifice Praeceptorem commemorarem unum omnium dilectissimum. De quo igitur si cui forte justo plura scripsisse videar; mihi vel ita scribendum fuisse sciat, vel Magistri veluti cygneae voci ac jusso reluctandum (1).

Ledeboerii igitur domus quam utilis adolescenti fuerit ad doctrinae fructum vidimus. Verum eadem amicitiam illi binorum certe conciliavit praestantissimorum condiscipulorum, Adriani van den Ende et Bernardi van Marken (2). De intimâ,

(1) Diem obiit Abrah. Ledeboer d. 13 August. a. 1808, et filio et binis filiabus superstitibus. Haec aliaque, quae de eo narravi, humaniter mecum communicârat ornat. B. C. Ledeboer, Avi sui, Viri gravissimi, monitis et relatione usus. — De eodem A. L. accurate dixit Clar. ad Ewaldii *Voorl. over de uiterl. Kanselwelsprekendh. ed.* 2, p. 165, quâ mediâ pro *decem* legatur *quindecim*; — tum in annot. ibi memoratâ ad diatr. *de* Wynperssio; — item in op. *Recens. o. d. Recenss.* II. 700. Quamquam aliis etiam scriptorum locis desideratissimi sibi Viri merita amanter laudavit. Quibus plane concinunt quae conjuncti dixerunt J. Cl. et J. Teissedre l'Ange: *Berigt aangaande* A. v. d. Ende, p. 7.

(2) In Viri venerabilis discipulis fuit etiam A. van der Goes.

quâ cum Endio, meritissimo illo Scholarum nostrarum Inspectore, conjunctus fuit, familiaritate alibi nobis dicendum erit. Cum Markenio hîc contractam amicitiam quam sancte coluerit, et aliis et hoc apparuit documento. Ubi ille, diu postea Antistes Hornanus, pluribus jam cognitus erat, quae vulgaverat, bonae frugis scriptis paraeneticis, orationes etiam sacras in *ep. ad Rom.* Cap. IX—XI edidit. Cujus libelli nomine a Donkero Curtio expilatorum Bosveldii scriniorum iniquius atque acerbius incusatur. Quod ubi primum cognovit condiscipulus, quem dixi, Haastrechtanus, tam strenue et docte et constanter ejus caussam egit atque adversarium redarguit, ut ne viginti quidem annorum spatium pristinum refrigerâsse amorem omnes viderent (1). Verum ex excursu redeamus in viam.

Haastrechtanum Joannis, de quo diximus, tempus quinquennale excepit, annis 1787—1792, stadium academicum; quod vel ipsius voluntas vel Tutorum auctoritas ita distribuit ac bipertitum fecit, ut per biennium *Leidensis* eum Pallas suis in *civibus* numeraret, per proximum triennium *Rheno-Trajectina*. Ad cujus stadii partem utramque fructuosam ipsius ingenio animoque reddendam plura concurrebant. Quin potius dicam, quo felicius in Christi Societatis bonum et emolumentum succresceret atque excoleretur, divinitus conjuncta illa ac concessa videbantur. Quam laetas enim a Deo mentis dotes facultatesque acceperat, tam bene praeparatus atque instructus ad altiora haec accessit studia. Quid, quod non pauca, quae tironibus academicis discenda incumbunt, jam veluti anticipando accurate perceperat. Nunc autem utraque, quam diximus, Academia Praeceptores ei obtulit, quorum plerosque non disciplinarum *Professores* potius, quam statores atque ornamenta dixeris, quorum certe nemo foret non, suo quisque in genere, longe supra mediocrita-

(1) Vid. J. Cl. censurae q. d. *anticriticae*, in *Rec. o. d. Recenss.* IV. 175. 545 caet. Ubi diserte vetere secum amicitiâ junctum esse Markenium profitetur, nec obscure nomen indicat Critici, qui nec ipse illum sese esse negavit. Quocirca D. C. hîc appellare mihi licebat, de cujus meritis, insignibus sane, nihil quidquam detractum volo.

tem doctus; nemo, quin ejus *doctrina vim promoveret insitam* adolescentis multum cognitionis afferentis, plus sibi comparare gestientis. Professorum igitur, quorum institutione usus est, nomina ita memorabo, ut, scidulam, quam suapte manu scriptam mihi tradidit, presse secutus, quas singulorum scholas frequentaverit significem, nec de cujusque meritis, satis in vulgus notis illis, plura dicam, quam Clarissii adversus eos pietas et animus gratissimus a me requirere videbitur.

In octonis, quos *Leida* tribuit, studiorum ducibus primum laudat Henricum Alb. Schultens, a quo *Hebraicam* percepit atque *Arabicam* linguam, quemque et *Antiquitatem Judaicam* explicantem audivit et *Jobeïdis* carmen, item Arabicas *Bidpaï* fabulas enarrantem. *Ultimum* hunc Schultensium, (sic enim, ut ab avo ac patre distingueretur, dici consueverat) ut erat ipse Vir elegantissimus, ita discipulorum ingeniis ac moribus ad elegantiam humanitatemque conformandis atque expoliendis unice aptum et idoneum fuisse, unanimis aequalium constat testimoniis. Nec minus concordibus eorum vocibus accepimus, tam singulari eum valuisse dicendi vi ac gravitate, ut ipse adeo ejus Collega Ravius, quamvis ab oratoriâ facultate summo jure celebratus, eloquentiae palmam illi cedere debuerit (1). Ex utriusque exemplo monitisque quanta profecerit Amicus, nescio utrum hujus rhetorica praecepta luculentius demonstrent, an orationes.

Proximum in scidulâ locum tuetur Joannes Luzac. Auctor enim hujus et aliis interfuerat scholis *Graecis,* et iis, quae vel *Homerum* interpretabantur vel *Antiquitatem Graecam* illustrabant. Gravissimi Viri, qui in Atheniensium Republicâ studiorum vitaeque veluti domicilium posuerat, insignia merita nec civiles obscurare potuerunt dissensiones, nec lites cum Wyt-

(1) Eloquentiae *Schultensianae* imaginem pulcherrime repraesentavit Clariss. ad Ewaldii op. laud., ed. 2. p. 393. Cf. ipse ad orat. de Wynperssio annot. 7, ed. separatae p. 53. Ex Praeceptoris dictatis nonnulla honorifice reposuit in op. *Biblioth. van theol. Letterkunde,* I. 670. 672. 675 et alibi. Item consuli possunt, quos laudavi in op. *Geschied. der Geld. Hoogeschool*, II. 416.

tenbachio agitatae. *De sese* etiam *insigniter meritum Praeceptorem* aliquando publice vocavit Clarissius (1).

Juxta hujus nomen tertium Praeceptorem memorat Dav. Ruhnkenium, quem *Suetonii* interpretem audiverat, quemque in Litteris antiquis regnâsse, nemo paullo humanior est qui ignoret (2).

Nec vero majore studio atque assiduitate *Philologos* Lugduno-Batavos sectatus est Palladis alumnus φιλομαθής, quam *Philosophos*, Dionysium van de Wijnpersse, Christianum Henricum Damen, Fredericum Guilielmum Pestel. Quorum primo ad *Logicam, Metaphysicam Astronomiamque* cognoscendam duce usus est ac monitore; altero ad *Physicam;* tertio ad *Jurisprudentiam Naturalem*, ne neglectis quidem hujus in Grotium *de Jure belli ac pacis* scholis. Wynperssio Nederlandia, octavo decimo quidem seculo, nullum modestiorem tulit Philosophum eundemque magis suum, nec doctiorem, nec sapientiorem, nec omni laude cumulatiorem. Cujus et in Rempublicam litteratam et in se singulatim merita tam vere et tam copiose, peculiari edito scripto, gratus declaravit discipulus, ut non magis Viri praestantiam admireris, quae ita praedicanda fuerit, quam felicitatem, cui talis et auditor obtigerit et laudator (3).

Verum, ejusdem scriptionis opportunitate usus, caeterorum etiam, quos in Philosophiâ habuerat, Praeceptorum memoriae justa persolvit. De Rheno-Trajectinis quidem mox. Jam enim Lugduno-Ba-

---

(1) A doct. Bodelio Nyenhuis admonitus, hoc narravi.

(2) Item in ann. 5 ad orat. de Wynperssio, D. R. suis numerat in ducibus acad.; ubi vide quam amabili humanitate minus accuratum aliquod illius dictum excuset. — Quas memoravi Ruhnkenii scholas, longe praestantissimas illas, edidit cl. J. Geel, inscriptas: *Scholia in Suetonii vitas Caesarum;* L. B. 1828. 8.

(3) Vid. *Iets over den Wijsgeer* D. v. d. W., insertum operi Sprengeri van Eyk: *De Fakkel*, XII. Hujus scripti s. orationis, semel iterumque jam a nobis memoratae, annotatio plurimas continet lectu dignissimas notitias, non de Wynperssio tantum, sed de caeteris etiam, quos in Philosophiâ habuit, ducibus. — In *illius* etiam laudes, ex intimo pectoris sensu locutus, excurrit, multis in censuris, insertis operi: de Rec. o. d. Recenss.; veluti I. 665. III. 7. VII. 609. XVI. 595. Cf. annot. *ad duas oratt., alteram de Theol. vere lib.* (L. B. 1815. 4) p. 64.

tavorum, Pestelii ac Damenii, ipso praeeunte; manes nobis salutandi sunt. De Pestelio autem quid ego dicam, quod ignorent lectores? Cujus in scholam, tanquam commune bonae mentis sacrarium, confluere solebant, cujus ex ore sapientiae veluti fontes haurire centeni omnium fere populorum, nationum, ordinum juvenes virique. De quo igitur hoc unum certâ fide narrare sufficiat, vix unquam attentiorem illi fuisse aut magis studiosum discipulum, quam Joannem; qui, quae singulis quibusque vesperis tradentem audiverat Magistrum, ea, anteaquam cubitum ibat, partim ex memoriâ, partim ex brevioribus, quae raptim in auditorio exaraverat, annotatis, suos in usus reponebat ac chartae consignabat.

Pestelio minus plerisque notus est Damenius, cujus florentem aetatem praematura mors exstinxit. Verum hujus quoque nomini memoris animi testificationem sese debere putavit discipulus. Narrat enim antea jam quam Leidam venerit, cum pluribus Physices partibus eam sese notitiam contraxisse, ut magis ad recordationis utilitatem, quam ad discendi fructum Damenii sibi scholae valuerint ac profuerint. Sed adjicit idem, tantâ cum admiratione *Opticam* explicantem eum ac periculis institutis illustrantem sese audivisse et conspexisse, ut multos adhuc post annos magnâ cum animi voluptate hujus disciplinae memoriam recoleret (1).

Etsi, Leidae dum versabatur, *Philologiae* potius et *Philosophiae* quam *Theologiae*, operam dare decreverat (2); ibi tamen oblatam opportunitatem non neglexit *Ethicen Christianam* exponentem audiendi Sebaldum Fulconem Joannem Rau, quem non magis Doctorem fuisse subtilem, quam Oratorem eloquentem nec quisquam ignorat, et nos supra monuimus, et vero diserte declaravit, cujus academicum spectamus curriculum, Studiosus. Qui quod poëticas illius laudes, singulari scriptâ et vulgatâ commentatione, eleganter celebravit; et hîc pietatis erga Praeceptores,

(1) *Et* de Pestelio *et* de Damenio gratus dixit auditor, annot. 3 ad lib. de Wynperss. De *illo* cf. ad Ewaldium, p. 135. — Damenii florentem aetatem, d. 3 Aprilis a. 1793, mors praecidit praepropera.

(2) Quod ipse dixit in *ep. ad* Wildschutium, infra laudandâ.

quâ nemo magis cernebatur, haud dubium agnosco documentum (1).

Ultimum tandem scidula nuncupat Professorem *Leidensem* Broërium Broes, cui aliquamdiu auditor adfuerit, *Theologiae theoreticae* sive *Dogmatices* postremum caput exponenti. Atque hunc alibi quoque honorifice ac flebiliter commemorandi opportunitatem arripuit. Nec mirum profecto. Bonorum enim votis longe breviorem vitae sortem ipsi obtigisse, omnes olim doluerunt Ecclesiae amantes (2).

Haec de scholis, quibus Leidae interfuit. Amicos ibidem in sodalibus invenit, non sui magis, quam bonarum Litterarum studiosos, et Endium, jam antea ipsi conciliatum, et Josuam Teissedrium l'Ange, nec minus praestabiles alios, quorum nomina hic nuper in Endii laudatione nuncupavit (3). — Verum

---

(1) V. Clar. *Iets over* S. F. J. Rau *als Dichter*, in memorato op.: *De Fakkel*, XI. Ubi in magnâ felicitatis parte hoc se reponere affirmat, quod per continens biennium eum docentem audire sibi contigerit. V. p. 9 ed. separ. Atque ibid. p. 43 ejusdem Ravii Scholas, Francogallice habitas, *de Eloquentiâ s.* eximie laudat. Quibus tamen utrum ipse interfuerit auditor ordinarius, non plane mihi constitit. Cff. quae dixit ad Ewaldium, loco proxime laud.; item p. 465 sq. Nec negligatur ejusdem censura in op.: *De Rec. ook der Recenss.* T. VIII. p. 1 sqq.

(2) De B. Broesio, nato a. 1757, defuncto d. 24 Febr. a. 1799, vid. Clar. in op. practico *de Actis App.*, praefat. ex alterâ ed. p. XX. — In ep. ad Wildschutium, postmodum accuratius nobis memorandâ, sese dicit Praeceptore quidem academico non usum esse Broesio, haud pauca tamen ex privatis ipsius didicisse collocutionibus. Videtur igitur brevissimo tantum spatio publicis ejus scholis interfuisse.

De singulis octonis, quos memoravimus, Proff. Leidensibus plura dixerunt J. G. te Water, in *narrat. de rebus Ac. L. B., Sec.* XVIII, *prosperis et adversis*, p. 225. 227. 230. 235. 237. 239. 240; et cl. Siegenbeek, *Gesch. der Leidsche Hoogeschool*, Tom. II. *Append.* p. 206. 209. 216. 223. 226. 229 sq. 232 aliisque locis, quos monstrabit Index.

(3) Laudationem significo, supra memoratam, quam, socio Cl., edidit L'Angius, Vir cum de Scholis, quibus diu praefuit Inspector, optime meritus, tum de Amstelodamensium coetu Wallonico, qui haud minora grandaevo huic suo Antistiti bona refert accepta. — Quos illa *laudatio* p. 8 memorat Endii amicos, eosdem Clarissii fuisse, privatis mihi constitit L'Angii litteris.

non prius hinc discessit, quam, decimum septimum agens aetatis annum, primum ingenii foetum ediderat. Qui quidem, si ea tantum illius narrare vellem, quae indubias habent laudes, fortasse tacitus mihi relinquendus esset. Sed lectores narrationis candorem cernere malo, ab humanitate tamen non alienum, quam callidam admirari reticentiam. Fuit igitur Theologiae Studiosus aliquis Leidensis, qui, a. 1787, Principis Arausionensis, Guilielmi V, quadragesimum diem anniversarium, ineptis editis atque absurdis versibus quibusdam, ornandum vel, ut verius dicam, inquinandum sibi sumpserat. Quam Poëtae vitio creati ineptiam indignatus Joannes, satis longum ei carmen reposuit satiricum, ubi, quo acerbius auctorem vituperet, simulatis eum laudibus extollit; acriore etiam subjectâ annotatione, quae, repertas quasi vetusto in codice variantes lectiones sequendas commendans, quodcunque vitiorum versiculi habebant perstringit atque exagitat. Quem quidem libellum postremo vitae tempore suum agnovisse non videtur Clarissius, certe in traditâ mihi scriptorum tabellâ non memoravit. De quo vero in utramvis partem judicaveris, habet sane mature exculti ingenii satirici atque insignium pro immaturâ aetate in Philologiâ ac Poëticâ progressuum manifesta indicia (1).

---

(1) Libelli, 24 pagg. f. 8vâ continentis, haec est inscriptio: *Eerekroon gezet op het hoofd van den grooten Rijmer......* (sequuntur et ipsius auctoris et majorum nomina) *Student der H. Godgeleerdh. te Leyden, bij gelegenheid van het, door Zijn Ed. gemaakt, en tot ieders verpligting uitgegeven rijmpje op den* 40sten *verjaardag van Z. D. H., benevens de verschillende lezingen op hetzelve, door* J. C. P. S. (i. e., ni fallor, *Philosophiae Studiosus*).

Eodem autem tempore, quo ludicra haec promebat, vel maxime seria eum egisse hoc tibi apparebit documento. *Societas Hag. pro defendendâ rel. Christ.* eruditis excutiendam proposuerat quaestionem, *utrum ad aequalium errores doctrinam attemperaverint J. C. atque Apostoli.* Quâ ex quaestione nobilissimam exstitisse Heringae commentationem notum est; ne de adjectâ dicam Bangianâ. Verum ne hoc quidem in certamine virium periculum facere reformidavit Cl., ad Moderatores missâ diatribe, quae lemma habebat dictum: *Parcite oves nimium procedere* caet. Quam tamen nec praemio ornatam esse nec vero editam, nemo, qui cum tenerâ auctoris aetate quaestionis difficultatem comparaverit, miraturus est. (*Ex scidulâ J. C.*).

Sequitur ut *Theologiae*, de quo narramus, *Studiosum* recordatione et memoriâ comitemur, anno 1789 ex *Leidensi* in *Rheno-Trajectinam* profectum Academiam. Quem quod nunc potissimum hoc nomine dicimus, haud sine justâ caussâ fecisse nobis videmur. Hanc enim in Musarum sedem nihil eum magis vel allexit vel deduxit, quam Gisberti Bonnet, Theologi primarii, nomen ac fama. Cujus imprimis disciplinae curaeque prudentissimi eum Tutores commiserant (1). Quem igitur, *Theologiam theoreticam* tradentem *practicisque exercitiis* illustrantem, et tunc studiosissime audivit, nec unquam postea admirari desiit. Nam maturâ etiam aetate Bonnetum Theologum laudavit vere philosophum, qui non publicis tantum Scholis, sed item ac multo adeo magis privatâ institutione ac collocutionibus, cum ad doctrinae subtilitatem consequendam, tum ad Christi Societatem demerendam alumnorum animos efficaciter instrueret et conformaret. Nec minus diserte eodem in Praeceptore et raram praedicat orationis puritatem ac bonitatem et vero linguae facundiam atque eloquentiam, quae ejusmodi fuerit, ut auditorum mentes, ipso de sacrâ, nec raro academicâ de cathedrâ dicente, vehementer commoverentur ac pellerentur. Quibus ne quid deesset laudibus, eundem ad discipulos quâvis horâ docendos paratum informat, cum iisque comiter admodum et familiariter conversatum (2).

Nec tamen Bonneti effecit admiratio, ut minus gratâ minusque memori mente insignia merita recoleret ac praedicaret alterius, quem eadem ipsi dederat Academia, Praeceptoris, Hermanni Royaards. Hunc enim, quo et *Theologiae theoreticae* et *Hermeneuticae S.* doctore usus erat, tam constanti sensu et

---

(1) »*Me Tutores* G. Bonneto, *quo jam Parens meus* (*Vir eruditione et* »*pietate, si quis alius, conspicuus*) *Praeceptore in paucis magno usus fuerat, in* »*disciplinam tradiderunt.*" Haec ipse in epist. ad Wildschutium.

(2) Haec aliaque in Praeceptoris laudem dixit Cl., in vitâ Ockersii, praemissâ *tertio Tomo* op. posthumi, quod hunc Bonneti discipulum auctorem habebat: *Vruchten en Resultaten van een 60 jarig leven;* p. 7. 8. Item vide, quam studiose iterum iterumque ejusdem Theologi praedicet eloquentiam, ad Ewaldium, p. 40. 135. 166. 256. 263. 276 sq.

judicio venerabatur, ut bis certe, magno interjecto temporis spatio, et florente et senescente aetate, accurate ac copiose declaraverit, quam praestabilem eum Theologum Magistrumque cognovisset atque expertus esset (1). Ubi universe de studiis suis, sanctiorem disciplinam spectantibus, optime eum meritum esse profitetur, atque ipsius e Scholis plurima se percepisse, quae *augendae atque emendandae theologicae suae doctrinae* conducerent. Singulatim autem, hujus potissimum doctae disciplinae ac liberali id sese debuisse affirmat, ut dogmaticas de religione notitias ex purissimo *Codicis Sacri* fonte criticâ atque exegeticâ viâ haurire doceretur. Ne alia multa reponam, quae utroque loco ad ornandam praeclari hujus Theologi memoriam dicenda putavit.

Sicuti neminem facile, unde utilia sibi discere posset, negligere solebat, quem comitamur, Studiosus; ita tertium theologicis in rebus ducem sibi fuisse Rheno-Trajectinum nos monuit Philippum Joannem Bachiene. Hunc enim *Theologiam practicam* exponentem audivit.

Illâ in Musarum sede eâ tempestate coetui Anglicano praeerat Antistes Guilielmus Laurentius Brown, natalibus Rheno-Trajectinus, gente Scotus, idemque professoriâ dignitate et *Historiam Ecclesiae* docebat et *Philosophiam Moralem*. Cujus quidem Scholae, illae certe, quas priores diximus, admodum paucos habere consueverant auditores. Quod citra ipsius culpam factum esse, luculentus nobis testis est Heringa; quo judice Vir erat et a doctrinae copiâ spectatus et morum sanctitate venerabilis. Atque eundem hunc studiosissime sectatus est, suum, non vulgi judicium secutus Clarissius. Qui et, sacrâ de cathedrâ dicentem, solido biennii spatio frequenter audivit, et *Eccle-*

---

(1) *Et* in op. *Bibl. van theol. Letterk.* III. 1. 210. sqq. et in *epist. ad* D. H. Wildschut, *Virum pl. ven.*, editâ in hujus: *Memoriâ* Hermanni Royaards, (*Amst.* 1836) p. 25 sqq. — Plane concinit honorificam, quod de Royaardsio tulit, judicium Heringa E. f. *orat. de Auditorio Ac. Rh. Traj.* p. 25—32, ad q. l. cff. quos in annot. laudavit; item, si tanti est, quae nos diximus, *Hist. Ac. Gelr.* II. 378. 380.

siae Historiam tradenti adfuit admirator, et familiares illius de *Philosophiâ Morali* collocutiones cupide nec frustra expetivit (1).

Atque hinc jam ipsum ne tunc quidem, quantumvis theologicis intentum studiis, philosopha neglexisse aut levius tractâsse suspicari licet. Quam suspicionem ipsa res confirmat et eventus. Nam, per totum fere Trajectinum suum triennium, Johanni Frederico Hennert haud intermissam dedit operam; Viro, ait, *quem, quo interius cognovisses, eo impensius amares.* Hunc enim, de *Logicâ* et *Psychologiâ* et *Theologiâ Naturali* cum discipulis agentem, ita audivit, ut, ipso profitente, audiendo satiari nequiret nec expleri. Hujus in Scholis versatus est, cum ubi subtiliora tradebat atque ad *Geographiam* et ad *Architectonicen militarem* applicare docebat *Mathematicorum* decreta; tum ubi idem ille Magister, longe diversa persecutus, *Poëtices* rationem et praestantiam cognoscendam alumnis ac sentiendam praebebat. Atque eundem hunc, a cujus ore pependerat adolescens, Hennertium non accuratius, quam amantius ornavit celebravitque senex (2).

Huic quidem nulla magnopere amicitia, ne quid amplius dicam, intercedebat cum Collegâ Johanne Theodoro Rossijn. Sed vide, quam alienus ab illiberali partium studio generosus esset adolescens. Qui, etsi *Physices* primum auctorem habuerat Ledeboerium, alterum Damenium, tamen Rossinii, veluti tertii ducis, super eâdem Scholas identidem adire non gravatus est. Quid quod *Logices compendium*, quod edere hic cum maxime inceperat, tironibus explicuit veteranus ipse Philosophiae Studiosus (3).

---

(1) Cum Heringâ l. l., p. 28. 155—232, cf. omnino ipse J. Cl., cum ad Ewaldium, p. 277, tum in laudatione Wynperssii, p. 9. 45. Quae de Brownii gente ac natalibus diximus, ea utriusque narrationem conciliare studebant.

(2) De Hennertio vid. Cl. et in *Censore Censorum* (nam ita deinceps vernaculam interpretari mihi liceat inscriptionem: *De Recensent, ook der Recensenten*) XVI. 594 *recenss.*, et in Ockersii vitâ, p. 6, et vero ad laud. Wynperssii, p. 47.

(3) De Rossinio quaedam dixit Cl. lib. de Wynp. l. l., quibus plane

Si igitur, quod Poëta ait, *ter et amplius beati, qui sua bona nôrunt, agricolae;* quam rara juvenis felicitas fuit, qui, cum saluberrimam post προπαιδείαν celebratissimae binae Academiae tot talesque dedissent Praeceptores, divinitus haec concessa bona et integerrimo judicio aestimaret, et constantissimo studio ad animi veluti agrum doctrinâ excolendum adhiberet! — Verum posteriore imprimis, de quâ dicimus, stadii academici parte, alias etiam sibi paratas atque oblatas vidit opportunitates exoptatissimas et pectus pietatis pabulo alendi, rerum utilium cognitione augendi, ad pulcri sensum acuendi, et mores ad elegantiam componendi. Sacrâ enim de cathedrâ dicentem tunc audire potuit et saepe audiit Jacobum Hinlópen, cujus ἀφέλειαν, et cum brevitate conjunctam ubertatem et universe sapientiam nullo non tempore ita admiratus est, ut vix quemquam ei praeferret (1). Ne denuo de Bonneto dicam ac de Royaardsio, quibus praesidibus duas ipse pro concione pronuntiavit orationes sacras, nec de Brownio, singulis sane facundissimis Euangelii nuntiis (2). — Tum amicos sibi con-

---

confirmantur quae de eo paullo copiosius diximus, *Hist. Ac. Gelr.* II. 313.— Quod reliquum est, quem semel jam iterumque ad partes vocavimus, Heringa, hic de caeteris etiam, quos memoravi, Proff. Rheno-Trajectinis vel in ipsâ *or. de Auditorio* dixit, vel in subjectâ annotatione, singulos monstrante locos Indice.

(1) De Hinlóp. dixit ad Ewaldium, p. 109. 111. 166. 170. 342 sq. 381. 412; — item in *Cens. Censs.* VII. 532. XI. 395. XIV. 69 *recenss.* et in annot. ad *duas Oratt., alteram de Theol. vere liber.* etc. (L. B. 1815) p. 65. — De eodem cf. omnino Heringae opus: *Kerk. Raadvrager en Raadgever,* I. 1. 135 sqq.

(2) His adjicere potueram Car. Segaar, de quo vid. ad Ewaldium, p. 166. 181.

Ad virtutis fructum, viridi jam illâ aetate, prae caeteris omnibus libris studiose legere consueverat scripta C. F. Gellertii et Jo. Tim. Hermesii, »quibus vel maxime," inquit, »animi me cultum ac conformationem »debere lubens profiteor." Ad Ewald. p. 290. — Gellertii opus: *Moralische Vorlesungen,* omnibus ingenuae indolis juvenibus commendatissimum esse declarat, *Epit. Encycl. theol.* p. 553. Cff. *Redevoeringen voor jongelingen,* p. 160, vel prioris ed. II. 27. — Alibi idem opus *optimum secundum Codicem Sacrum Ethices promptuarium* dixit, *quo nulli Literarum Studiosi carere pos-*

ciliavit juvenes praestantissimos, bonarum Litterarum ac Poëseos, ipsius instar, amantes, in iisque nonnullos, qui cum eo litterariam inirent Societatem, cujus per tesseram *ad industriam conjunctos* se profitebantur (1). Hujus vel aliarum in eodem genere Societatum juvenilium consortium nonnulla peperit Clarissii vel carmina vel prosae orationis scriptiones, quae, publice editae, frondes erant floresque, fructuum aliquando a maturiore ejus aetate efferendorum praenuntii. Quamquam nihil ab omni parte beatum esse nunc etiam apparuit. *Trajectum* enim si optimae notae illi conciliavit amicos, omnium conjunctissimum abstulit, quem Haastrechtum illi donaverat, Leida conservârat, familiarem, Adrianum van den Ende. Qui, illic aliquamdiu studiorum caussa commoratus, a. 1790 hinc Lugdunum, ubi ea absolvere malebat, reversus est (2).

---

sint. Vid. ad Ewaldii ed. *alteram*, p. 218. Idem »*nullum, superiore quidem seculo*, *Ethices Doctorem pio illi ac sapienti* Gellertio *aequiparandum fuisse*" declaravit. V. ejus or. *de Fabulâ*, in *Cens*. *Cens*. VII. 240 *miscell*. Cf. ibidem *VIII*. 529 sq. aliisque multis locis.

Hermesii laudati in scriptis maximi faciebat, nobisque a permultis, quae contineat, sapientiae praeceptis utilissimis de meliore notâ commendare consueverat opus: *Sophiëns Reise von Memel nach Saxen;* ex tertiâ ed. *Lips*. 1778. VI Tomis et ipsum opus continetur et interpret. Bat. V. ad Ewald. p. 241.

(1) Vernacule: *Tot vlijt vereenigd*. V. laud. Clarissii comm. *de* Ravio *Poëtâ*, p. 22 et 60 *ed*. *separ*. — Idem anno jam 1791 aut 1792, amicitiam contraxisse videtur et cum Guil. Ant. Ockerse et cum Guil. Ant. van Vloten. Vidd. quae dixit *illius* in *biographiâ*, p. 23 et 13, coll. *Bibl*. *van theol*. *Letterk*. II. 1. 129.

(2) Hoc loco pauca certe de Viro meritissimo dicenda videntur, quem non magis ineunte adolescentiâ, quam extremâ senectute ille dilexit, de quo narramus. Endius igitur Delphensis, biennio fere ante Clarissium, d. 11 Octobr. a. 1768, honestissimo loco natus erat. Qui, posteaquam Lugduni, item Trajecti, Philosophiae ac Theologiae laudabilem admodum laudatamque dederat operam, a. 1792, in amoenissimo prope Arnhemiam pago Rosendaliâ, Sacris administrandis admotus est. Unde post quinquennium in agri Leidensis vicum Voorschoteniam migravit. Sed vixdum paucos ibi menses Euangelium annuntiârat, cum tam grave eum cepit exhausitque pectoris malum, quo nec antea se senserat immunem, ut, magis magisque increscente morbi vi ac vehementiâ, munere sacro quamvis invitus sese abdicare

Clarissius autem, quamvis bonis usus amicis academicis, nec tunc nec unquam postea, eorum fastidium probavit Palladis alumnorum, qui, in solâ sodalium conversatione ac convictu acquiescentes, oblatam adeundi ac salutandi politos maturioris aetatis viros mulieresque opportunitatem alto spernunt supercilio. In quibus timendum esse ne semper *prisci maneant vestigia ruris*. A quorum rusticitate quantopere abhorruerit, ex iis vel maxime apparet, quae, ubi a juvenili illo tempore seculi jam dimidiati spatium sibi abierat, palam professus est. Nam ne tunc quidem affirmare dubitavit suavissimam adhuc sibi humanitatis recordationem esse ac comitatis, quâ, dum Theologiae Studiosus cultissimâ in civitate versabatur, cultissimi plures ejus cives suam quisque in domum consessusque se admisissent ac recepissent (1).

---

cogeretur. Verum tantam illam calamitatem, quam et aequissimo tulit animo et summâ frugalitate lenivit, vide quomodo in insignem ipsius honorem magnumque Patriae emolumentum divina converterit Providentia. Quâ moderante, adversa valetudo et ipsi viam aperuit atque opportunitatem dedit, illustriore in theatro, qualis esset demonstrandi, et civibus tam copiosos ex illius sapientiâ fructus capiendi, quam, nisi ei vires et latera ad dicendi contentionem defecissent, nunquam capere potuissent. Nec enim diu posteaquam sacro solutus erat munere, Scholarum patriarum, quarum tunc emendationem omnés exoptabant intelligentiores, qualiscunque ipsi cura demandata est. Quo in leviore penso ita P a l m i o aliisque Viris honoratis suam probavit operam et veri rectique perspicientiam, ut majora identidem atque ampliora in hoc genere illi curanda traderentur. Tandem omnes regni Nederlandici Scholae, inferiores quidem et mediae, moderandae ipsi ac gubernandae sunt commissae. Quâ dignitate multos per annos usus, bonae mentis aedificium exstruxit et Palladium, quod, si forte propediem per civium amentiam demoliatur, auctoris certe nomen ab oblivione vindicabit. Ineunte a. 1833 rude donatus, d. 28 Junii a. 1846, non diu ante Familiarem, de quo dicimus, in villâ *Geessink* prope Zutphaniam placidâ morte exspiravit. De illo vid. lectu dignissimus libellus q. d. *Berigt aangaande* A. v. d. E. *door* J. C l. en J. T e i s s e d r e l'A n g e (Dav. 1846). *Ille* diu antea Amicum laudârat in *Cens. Cens.* II. 94. 104, et *praef. op. de Actt. App.* ed. 2. Cf. G ö r l i t z, *Geschiedk. overz. van het lager onderw. in Ned.*, p. 45.

(1) Vid. omnino ab eo dicta ad E w a l d i u m, p. 176 sq. Cf. idem: *Over* H. v a n A l p h e n, *als Dichter en Kinderdichter*, (Rott. 1836) p. 26. In ipsius

De academico ejus stadio unum hoc nobis dicendum restat. Patrem imitatus, eodem quo ille, Praeside usus Bonneto, a se commentatam publice defendit dissertationem *de Spiritu Sancto.* Quo facto *Quintiliani* praecepto, quod aliis sequendum saepe commendabat, ipse morem gessit. Qui: »*Fructum studiorum,*" ait, »*adhuc viridem et dulcem promi oportet, dum veniae* »*spes est et paratus favor, et audere non dedecet* (1)." Quamquam veniam, quam *viridibus* ejusmodi *studiorum fructibus* paratam esse Rhetor ostenderat, a semet ipso vix aut ne vix quidem impetravit, demissius suis de studiis sentiens, Clarissius. Postea enim subinde factum est ut discipulis dissuaderet, ne temere in difficiliora involarent argumenta *dogmatica,* quorum tractatio maturiorem requirat et aetatem et doctrinam. Suae enim inconsiderantiae exemplum si sequerentur, timendum esse ne postea, plus videntes, praeceps inceptum dolerent (2). Quae quidem universe vere disputâsse videtur, sed ita, ut nimiam per modestiam se ipse cavillaretur; quippe qui non temere, sed ab ingenio ac doctrinâ optime paratus, magno duce Theologo, caute et sobrie locum tractârit gravissimum. De quo, quoad rei caput, in eâdem, quam juvenili scripto professus erat, sententiâ semper permansit (3).

---

etiam Alphenii domum atque in conversationem cum ejus filiis sese admissum esse, ibidem p. 5, narrantem eum audimus. Quod tamen potius ad ultimum ejus Leidense, quam ad Trajectinum tempus referendum videtur.

(1) Plenius hunc locum et retulit et commendavit cum alibi, tum in *Censore Censs.*, XIV. 316 *recenss.*

(2) Hoc Praeceptoris et sui et mei judicium humaniter mecum communicavit cl. Domela Nieuwenhuis.

(3) Dissertationis *de Spir. S. prior* tantum Pars *Traj. ad Rh.* a. 1791 edita est. *Altera*, etsi plene commentata, typis expressa non est. Ita in scidulâ auctor; qui a Lotzio, eodem de argumento commentationem edente, sua scrinia compilata esse, jure conquestus est in *Cens. Censs.* I. 670 sqq.

CAPUT ALTERUM.

DE DORNENSI CLARISSII STATIONE.

Ante recentissimam hanc rerum sacrarum in Patriâ ordinationem, cum iis, qui in Ecclesiae Reformatae Pastoribus locum obtinere cupiebant, quo certius de philologicâ eorum ac theologicâ doctrinâ constaret, binae deinceps institui consueverant solennes disquisitiones (1). Priorem Antistites illius moderabantur Dioeceseos, (*Classem* appellabant) cui suâ sponte probandum sese obtulerat Candidatus. Huic enim ex omnibus Patriae *Classibus*, quamcunque vellet, studiorum sibi ac progressuum judicem expetere integrum erat. Quâ igitur *praeparatoriâ* disquisitione probatum cujuscunque coetûs *Synedri* aut *Collatores* gregi suo Pastorem praeficere poterant. Sed eâ id lege, ut jam ab illius singulatim, ad quam coetus referebatur, Dioeceseos Antistitibus altera cum eodem institueretur, quae *peremtoria* audiebat, disquisitio. Ex cujus fausto exitu sine morâ *vocanti addicebatur* ipse *coetui*. Haec enim vulgo recepta admissionis formula erat.

Atque haec, quo melius quae nunc dicenda sunt ab omnibus

(1) Ad unam hoc non pertinuisse Synodum *Frisiacam*, ubi paullo diversa vigeret harum rerum ordinatio, notum est.

intelligerentur, praemittenda videbantur. Ad Juvenem, qui feliciter jam academicorum studiorum metam attigerat, redeamus. Hic igitur primum *Amstelodamensium* Dioecesi seu *Classi*, apud cujus socios quam sancta esset optimi Parentis memoria non ignorabat, probandum sese dedit. Quibus ipsis igitur arbitris, d. 2 Aprilis a. 1792, interrogante Begemanno, coetûs Germanici Pastore, tam honorifico probatus est exitu, ut, eximiae cum laudis testificatione, S. S. *Ministerii Candidatis* adscriberetur (1). Ac paucis post diebus, memorati mensis d. 16, unanimis Synedrii suffragiis agri Trajectini pago Dornae (*Doorn*) Antistes designatus est ex pluribusque, quorum ratio habebatur, Candidatis electus. Quâ statione vix aut ne vix quidem amoeniorem aut gratiorem expetere sibi potuerat atque exoptare, ad pulcri sensum excultus, idemque Naturae spectandae curiosus Juvenis. Etenim, si quis alius, hic certe locorum tractus est, ubi ad Naturae, blande tibi arridentis, spectaculum exornandum et incolarum animos exhilarandos permulcendosque omnia conspirare videantur; et aëris salubritas et aquarum pelluciditas et arborum opacitas umbrarumque densitas et ambulationum varietas et arvorum fertilitas. Exoptata adeo faustaque Amico nostro, sanctissimum munus ingressuro, ostendebantur auspicia. Spe tamen atque exspectatione serius id adire eum coëgit satis gravis, quo mox decubuit, morbus. Ex quo, exeunte demum mense Augusto, ita convaluerat, ut altera cum illo posset institui, quam *peremtoriam* patres appellâsse monuimus, disquisitio. Cui probationi locum Moderatores destinaverant *Rhenae* oppidum, Interrogatorem Petrum Hugenholtz, Pastorem tum Amerongensem, postea Rheno-Trajectinum. Optimo denuo successu hoc perfunctus officio Clarissius, medio proximo mense Septembri, ab eo, quem dixi, Viro venerabili muneri consecratus est, atque eodem id die adiit, solenni habitâ oratione inaugurali de loco *Hebr.* XIII. 17b. »*Ii* (Pastores) *pro vestris vigilant animis*,

---

(1) V. *Boekzaal*, ad a. 1792. 1. 400. Ad ea, quae proxime narrabuntur, idem conferri poterit Diurnum, eod. a. 2. 392 sqq.

»ut rationem reddituri" (1). Quae quidem Juvenis oratio eâ mihi legenti visa est commendari et materiae et formae praestantiâ, ut ejus, si forte a se habitae, neminem pudere oporteret Antistitem veteranum.

Ad loci suavitatem munerisque gravitatem non ita diu post vitae domesticae deliciae accesserunt. Altero enim ab inauguratione anno, d. 23 Aprilis a. 1794, caelibatûs pertaesus, uxorem duxit Catharinam Corneliam van Eck, puellam Amstelodamensem, honesto admodum loco natam, Patre gravissimo Cornelio. Atque eadem soror erat Cornelii Fransen van Eck, qui multos per annos Daventriensis et coetûs Antistes fuit et, novo postea munere auctus, Athenaei Professor, de utroque optime meritus. Quem Clarissius, etsi minime, ut ait *Horatius*, *unâ in re dissimilem*, *caetera paene gemellum*, tamen, propter animi candorem, ingenii alacritatem, doctrinae copiam, orationis imprimis facundiam, et magni fecit nec raro publice privatimque laudavit (2). Sed de Catharinâ breviter certe dicen-

---

(1) Alterius disquisitionis dies fuerat 30 m. Augusti, inaugurationis 16 m. Sept.

(2) Eckius, m. Aprili a. 1764 Amstelodami natus, et alibi et ab a. 1788 Daventriae, sacrorum Antistes fuit. Cui ejus provinciae a. 1799 *Theologiae Naturalis* atque *Ethices Christianae*, a. 1817 *Litterarum Batavarum* Professio accessit. Nam frustra illi primum Franequerana, postea Amstelodamensis oblata erat cathedra. Idem ab Hardervicenâ Academiâ, d. 10 Decembr. 1804, *honoris caussâ* Theologiae Doctor creatus est. D. 11 Martii a. 1830, sextum et sexagesimum agens aetatis annum, Daventriae obiit. De cujus et fatis et meritis vidd. P. Bosscha, *het tweede Eeuwfeest van Deventers Athenaeum*, (*Dav.* 1830, item in *Annall. Ac. Gr. a.* 1829—1830) p. 123 sqq.; — A. Verwijs, *hulde aan de nagedachtenis van* — C. F. v. E.; (*Dav.* 1831) — *Supplementum ad* G. Nieuwenhuis, *alg. Woordenboek van Kunsten en Wetensch.*, in nomine. Neć negligantur oratt. J. Verburgii et H. Beyermanni, quae exstant in *Annall. Ac. Groning.* a. 1830—1831, quarum *prioris* initium, *posterioris* p. 24 legenda. Multa quoque memorabilia prodidit Siegenbeekius, in *or. ad Soc. Leid. pro Litt. Nederl.*, anno 1830. — Illius scripta partim ab his memorantur, partim a Clar. *Epit. Encycl. theol.*, in Indice. Cf. *Censor Censs.*. VII. 348. VIII. 252. XII. 65. 286 *recenss.* Qui loci, vel omnes vel plerique certe, Clarissium aucto-

dum. Hanc igitur, triginta amplius annos, fidam habuit in utrâque sorte vitae sociam, foeminam, florente quidem aetate haud illepidam, caeterum corpore infirmiorem, nec raro morbidam, ingenii tantâ vi et acumine valentem, ut hâc certe parte marito dignissima esset, ac fere dixerim ipsi simillima conjux. Unum alterumque Dornae, plures alibi marito peperit filios filiasque, quorum, eheu! quam multis una cum patre superstes fuit misera mater! Sed haec posteriorum mala fuerunt temporum. In amoenissimâ quidem illâ Dornensi sede non solum tranquillo quietoque animo vixit ac suâ sorte contento Vir, quem loquimur; verum ita sese illic felicem sensit, ut nec amplius quidquam sibi requireret aut expeteret, et nullas alio migrandi cogitationes aleret, nedum consilia cogitaret. Ut qui huncce Christi gregem diu adhuc pasturus erat, ita res suas componebat atque ordinabat. Atque haec non me magis narrantem auditis, quam ipsum Antistitem, cujus verba, ex *Enchusanâ* oratione aditiali ducta, presse hîc reposui (1). Neque id oratorie potius quam vere se dicere, re et facto comprobaverat. Anno enim 1798 aut proxime secuto, suffragatore, quem supra laudavimus, Broërio Broes, in *Lingensi* Borussorum Academiâ Professio ipsi est oblata theologica; quem honorem nuperrime deprecatus erat magnus ille Palmius, in Patroni Medioburgensis Perrii domo hospitali satis lautâ usus conditione. Nec meliore successu Clarissium evocârunt, qui et ex

---

rem habent. Eckii orationum sacrarum, ne de paucis dicam separatim emissis, duo exstant *Fasciculi*, alter ab auctore editus, posthumus alter. Pleraeque a stili imprimis oratorii perspicuitate, concinnitate, gravitate, δεινότητι magnopere commendantur, ac dignissimae videntur quae ab Eloquentiae s. tironibus diligenter legantur. Cf. disertissima ejus laudatio in op. *Godgel. Bijdragen*, (1830) IV. p. 402. sqq.

(1) Dornensis stationis quam gratam suavemque toto vitae spatio recoluerit memoriam, luculenter docet oratio, quâ habitâ, a. 1819, filium natu maximum huic ipsi coetui Pastorem consecravit. Vid. *Leerredenen, bij bijzondere gelegenheden uitgesproken*, (*Amst.* 1824) p. 81 sqq. Ne quid de oratione dicam, a. 1842, non alibi, sed Dornae potissimum habitâ, quâ seculi dimidiati, sacro in munere acti, solennia celebravit.

Patriâ migrare gravaretur et, si quando sibi vitae genus mutandum foret, *Philosophiae* cathedram *theologicae* se praelaturum esse tum quidem opinaretur. Quo sese animo esse ac sensu candide Broesio significat. Atque sic factum est, ut et Dornensibus adhuc quidem dilectissimus conservaretur Euangelii interpres, et Lingenses Professorem acciperent Lucam Suringar, quem Leidae Collegam habiturus erat noster Amicus (1).

Quod hic juvenili illâ aetate potiorem sibique optatiorem habuit *Philosophiae*, quam *Theologiae* cathedram; fieri potuit ut illud sibi tutius fore munus existimaret; cum praesertim videret, in quam sinistras angustiorum malevolorumque hominum suspiciones nuperrime Broesius aliique paullo liberaliores venissent Theologi. — Caeterum quam diligenter et quam religiose, nullam subterfugiens molestiam, quaecunque sacro cum munere conjuncta erant obiret curaretque, memorabili aliquo juvat ostendere exemplo. Exeunte igitur a. 1794, Anglorum exercitum eumque subsecutas *Émigrantium* ex Galliâ catervas ita victricibus cessisse Gallorum copiis notum est, ut promtiores sese ostenderent ac paratiores ad miseros nostros cives, ruri potissimum degentes, exagitandos vexandosque, quam ad hostes fortiter debellandos. Quod non sine magno suo damno senserunt atque experti sunt tractûs Trajectini, quem eorum pars inundaverat, incolae in iisque Dornae singulatim, de quo dicimus, Antistes (2). Quibus eorum injuriis beneficia reponere cupiens Vir generosus, iis etiam ipsis, ut *οἰκόνομος τῶν μυστηρίων Θεοῦ*, quantumpote deservire studebat. Fuit enim Anglorum Primipilus aliquis, qui Ducis Harcourt in stativis, non longe illinc remotis, haud infimo erat loco; *Presbyterianorum* Societati adscriptus ille, nec a pietate in Deum alienus, hactenus certe, ut infantem, quem sibi nuperrime pepererat uxor, sacro tingi lavacro cuperet. Quo

---

(1) Haec mihi olim privatim narrare Cl. memini.

(2) De universâ re vid. insigne monumentum hist. apud C. Rogge: *Taf. van de geschied. der jongste Omwenteling in de Vereen. Ned.* (*Amst.* 1796) p. 58. De iis, quae ad Cl singulatim spectabant, aliunde mihi certo constitit.

se ferri desiderio Pastori significat, qui quam accurate Anglice sciret fortasse compererat; neque tamen hilum sese novisse adjicit de nostrâ vel linguâ vel liturgiâ ritibusque sacris. Vide vero quam feliciter gravia haec obstacula removerit Antistitis humanitas! Qui, consiliis cum Primipilo collatis, nihil prius habuit, quam ut accuratam aliquam suisque partibus absolutam *Baptismi* administrandi *formulam liturgicam*, ne neglectis quidem solennibus precibus gratiarumque actionibus, Anglice commentaret, chartae mandaret, patris testiumque captui atque usibus prudenter adaptaret. Quibus ita factis ordinatisque, nihil obstitit aut impediit quominus, quâ optimâ ratione illorum in animis pii excitari sensus possent, infanti Baptismus administraretur (1).

Sic igitur divinitus commissum munus, Paullino de monito, *ἐν ἁπλότητι, ἐν σπουδῇ, ἐν ἱλαρότητι* obire conabatur vigilantissimus hic Christi minister (2). Nec vero subsecivi sui temporis fructus desiderari passus est Vir impiger, actuosus, nec celeriore motu cogitationes ac commentata mente complectens, quam calamo consignans. Sic factum est, ut prima jam illa statio non contemnendum aliquem scriptorum proventum efferret, vel editorum vel editioni paratorum. Praecipua nunc in antecessum summatim notabo; postea diligentius omnia, quae quidem noverim, laudaturus. Neque enim ab ipsâ vitae descriptione eorum, quae maxime illam occupârunt, brevis notatio commode abesse potest. Dornensium igitur ejus scriptorum alia ad elegantiores referri possunt Litteras, alia ad sacras. In *illo* genere et *Carminum Fasciculus* erat, quem suo Marte edidit, nec pauca, quae tertiâ Particulâ consignanda curavit *Symbolarum*, a Bellamio, Ockersio aliisque olim emitti coeptarum (3). Cla-

(1) In rei memoriam aut in futuros si forte usus, Anglicam hanc liturgiam Synedrii Albo ab Antistite mandatam esse accepi. Rem ipsam plures mihi certâ fide narrârunt; in scidulâ mihi traditâ brevissime memoravit Cl.

(2) *Rom.* XII. 8b. Quo loco per *μερισμὸν* ad diversas referuntur provincias, quae ex Apostoli mente haud dubie ad omnes pertinebant.

(3) Vernacule: *Proeven voor het Verstand, den Smaak en het Hart.*

rissium enim mihi roganti narrare memini, cum diceret, non cum ipso quidem Bellamio, at cum plerisque omnibus hujus familiaribus amicitiam quondam sibi intercessisse. In *theologico* genere vernacula interpretatio, adaucta illa et locupletata, Dissertationis fuit, quam *de Spiritu Sancto*, Praeside Bonneto, eum non ita pridem defendisse supra diximus. Verum imprimis huc gravissimum opus referendum est, quo Bergenii, *Euangelia* interpretati, secutus exemplum, *Lucanea Apostolorum Acta* commentario practico complexus est atque illustravit. Cujus operis longe majorem partem Dornae, non Enchusae, commentatam esse temporum comparatio facile te docebit (1).

Ubi quintum jam annum Antistite eo utebantur Dornenses, *Daventriam* evocatum iri videbatur. Quâ in urbe, vacante tum Pastoris loco, neminis majorem, quam illius, rationem habitam esse et aliunde, et ex ipsius mihi constitit narratione (2). Adjiciebat autem haud ingratam sibi futuram fuisse, si Deo placuisset, vocationem, quae, in civitate potissimum Litteris florente, Eckio, fratri affini, Collegam se jungeret. Verum tardiora, certe nondum matura consilia Daventriensium anteverterunt atque irrita reddiderunt *Enchusani*, quorum coetui, exeunte fere a. 1797 mense Aprili, Pastor designatus est. Quamvis autem Dornae devinctum se sentiret, posthabendas tamen sibi illius suavitates ratus est, quando ab ipso Dei Numine in amplius Euangelii annuntiandi theatrum arcessitus esse videbatur. Quid multa? Ipsissimos post elapsos binos menses, non magis humaniter atque amanter, quam prudenter et graviter sacrâ de cathedrâ dilectissimis suis valedixit Dornensibus (3). Ad quos, ultimâ habitâ oratione, Paulli Apostoli et admonitiones applicabat

---

(1) Operis: *Gedenkwaardigheden uit het op. leven van sommige App.* praefatio, ex priore ed., scripta dicitur: *d.* 1 *Decembr.* 1797; cujus ipsius anni mense demum *Julio* ineunte Enchusae inauguratus erat auctor.

(2) Et hîc et ad ea, quae mox narrabuntur, cf. *Boekzaal*, 1797. 1. 584. 603, porro 2. 118. 138.

(3) D. 25 Aprilis Enchusam evocatus, d. 25 Junii Dornae valedixit.

et vota benevolentissima, quae consignata leguntur 2 *Thessalonn*. II. 15—17. *Quamobrem, Fratres! perstate et instituta tenete, quae ex nostrâ vel oratione vel epistolâ didicistis* caet. Quam a me lectam orationem nec sine lacrimis pronuntiatam esse puto nec auditam.

CAPUT TERTIUM.

DE STATIONE ENCHUSANA.

Anni memorati mense *Julio* ineunte, Enchusano officio Clarissium solenni ritu consecravit M. Houtkamp, senex venerabilis (1). Qui illum potissimum sibi Collegam cooptatum esse et tunc gaudebat, et postea sincere se gavisum esse nec sui se poenitere amoris ita demonstravit, ut conjunctissime cum illo viveret. Quae res utut laetum recens advenae Collegae faceret auspicium, hic tamen quantas difficultates novum, quod ingrediebatur, stadium objiceret, nec sibi ipse nec aliis dissimulabat. Quod et ipso privatim narrante accepi, et continuo docuit, quam biduo post pro concione habuit, oratio inauguralis. Ad semet enim Apostoli voce applicatâ: *Pro nobis Vos, Fratres! orate!* (1 *Thess.* V. 25) auditores, quâ maximâ potuit eloquentiâ, obtestabatur, ut ad pensi feliciter exsequendi, quae reformidabat, impedimenta vincenda, et precibus pro se ad Deum conversis, et amore atque obsequio praestito, sibi suppetias ferrent. Quam ejus sollicitudinem ne quis miretur aut pusillanimitati potius tribuat, quam modestiae ac prudenti rerum aestimationi, perpendat oportet omnibus ignotum eum, neque igitur a plerisque valde

(1) D. 5 Julii a. 1797, loco tractato *Joann.* IV. 34.

desideratum, subito fere aut necopinato certe in veterem hanc Hollandiae Septentrionalis civitatem translatum esse, antiquum obtinentem, avitarum opinionum tenacem; cui verendum erat ne paullo liberalior aut minus trita doctrinae informatio in odiosae novitatis suspicionem adduceretur. Quid, quod juvenis erat, cui magis etiam juvenilem, quam pro aetate, speciem corporis impertiebat exigua potius, quam procera statura et, quae tunc erat, gracilitas teneritasque. Quo fiebat ut leviores homines vel malevoli, nondum qualis Vir esset suspicati: *Ecquid hic nobis afferet adolescentulus?* jocose dictitarent. Tum, seni suffectus rude donato, Collegis aggregatus erat, quibus matura aut senescens aetas gravitatem conciliaret atque auctoritatem, quorumque orationes sacrae, ad tritam illam adstrictae formam *analyticam*, a solutiore Clarissianarum ratione longe abhorrerent.

Nec vanum eum fuisse vatem, ubi majorem hunc coetum non majorem vitae quietem allaturum esse auguratus erat, exitus comprobavit. Ne enim de imbecillioribus dicam, quorum leniter admodum iniquiora tulit judicia, non plane nullos maligniores sibi vidit objectos *Hymenaeos* atque *Alexandros*, iis haud dissimiles, quos παιδεύεσθαι μὴ βλασφημεῖν Paullus olim voluerat. Nec nullae mulierculae erant, quales, eodem monente Apostolo, *semper discunt, nec unquam ad veri cognitionem pervenire possunt* (1). In quarum numero *Magistra* quaedam fuit *catechumenorum*, cujus malevolae voculae in sinistras suspiciones Clarissium adducere studerent. Hunc enim a sanâ descivisse Ecclesiae doctrinâ dictitabat, ac novitias profiteri seu *heterodoxas* sententias. Quam sibi maledicere aliquamdiu tacite passus est. Tandem vero palam ejus insolentiam retundere ac coërcere decrevit, ne, si impune se grassari sensisset, vehementioribus etiam clamoribus et convitiis Pastorem consectaretur. Quod dum agitabat, aliquando factum est ut, *publicâ* q. d. in *catechizatione*, multis audientibus *Respondentis* partes agens, mulier inconsiderate id nos Christo debere profiteretur, ut jam *placabilis sit*

---

(1) Vid. 1 *Timoth.* I. 20. 2 *Timoth.* III. 7.

Pater Deus; aliaque, nescio quae, adjecit. Cui continuo, qui Praeses aderat, Pastor: » *Caetera quidem,"* reponit, » *Tu recte* » *satis. Quod vero placabilem per Christum dixti Deum:* » *adeone ignoras veterum hunc errorem esse Haereticorum; atque* » *ex unice verâ Reformatorum doctrinâ Christi per operam* Deum » nunc Mundo aut potius Mundum Deo placatum esse? » *Apage igitur tuam istam placabilitatem, quae quam ab-* » *surda, tam heterodoxa est! Caeterum impraesentiarum quidem* » *ignosco, sed eâ id conditione ac lege, ut dehinc in sanâ te* » *contineas doctrinâ Ecclesiae, neque heterodoxa denuo nobis ven-* » *dites commenta."* Ita fere ille; cujus dictis consternata ac rubore suffusa, mulier ab eo calumniando in posterum destitit ac deterrita est. Qui quamvis faustus fuerit rei exitus; crediderim tamen sapientissimum nostrum Praeceptorem, ubi maturior aetas calidioris ingenii impetum atque ardorem restinxerat, mulieris maledicentiam perpetuo potius silentio confutaturum fuisse.

Verum nemo in eam sententiam dicta velim accipiat, quasi vel ipsi minus gratum fuerit, quod Enchusae egit, tempus, vel plerisque hujus oppidi civibus minus acceptum, quo apud eos functus est, ministerium. Ipse enim quam benevolo animo hunc sibi commissum prosecutus sit coetum, testis exstat oratio, quâ jamjam Harderovicum migraturus, Collegam inauguravit Johannem Christianum Vorstman, quem et tunc et postea maximi ab eo factum esse novimus (1). Atque ejusdem sensûs nuntia est oratio, quae non ita diu post Enchusano muneri finem imposuit. Ubi non magis candide, quam benevole declarantem eum audimus, etsi a nonnullis, quae noluerat, sibi illata sint, minime tamen id efficere eorum potuisse injurias, ut a coetu diligendo avocaretur, cui non sine animi moesti commotione nec

(1) Legatur ea in Fasciculo: *Leerr., bij bijzondere gelegenheden uitgesproken,* p. 159 sqq. De eodem admodum honorifice dixit, ternas ipsius laudans oratt. s., in *Cens. Censs.* XIV. 145 *recenss.*

sine tristitiâ valedicere se posse. Quid quod per *Dordracenorum*, ut suus esse vellet honorifice rogantium, invitationem allici se ac vinci passus non est; quamquam minime nesciens ille, quam acceptus suavisque plerisque Euangelii Nuntiis hic potissimum coetus haberetur. Nec vero plerosque Enchusae incolas tali ac tam generoso Christi ministro indignos sese demonstrâsse, certo mihi constitit Senis gravissimi testimonio, quo hoc in oppido Familiari usus est Clarissius (1). Cujus narratione comperi, etsi haud defuerint, quorum animos a liberaliore Pastore praejudicatae alienarent opiniones, tamen ei, quamdiu hîc degebat, frequentes adfuisse sacrarum orationum auditores, quin tanti eum fecisse caeteros omnes, ut abitum dolerent lugerentque. Quod reliquum est, quos muneris socios, eosdem amicos eum habuisse, sententiarum nonnullis de rebus divortio Collegarum animos non dissociante, ipsum auctorem habeo Praeceptorem (2). — Verum alium etiam ei Amicum aut donavit aut reddidit haec urbs, Gerbrandum Bakker, cui eum non muneris quidem societas, sed communis bonarum artium ac Litterarum amor conciliaverat. Eximium enim hunc Virum Medicinam, quam tunc ibi feliciter exercebat, postea Groninganâ in cathedrâ multos per annos praeclare docuisse, inter omnes notum est (3).

Eodem hoc tempore Viro, de quo dicimus, *inferiorum* in Dioecesi, quam incolebat, *Scholarum inspectio*, id est cura ac gubernatio demandata est. Quâ in provinciâ, longe difficiliore tunc quam postea, ita eum versatum esse, ut Endio suo dignum

(1) Jungium dico, Virum experientissimum.

(2) In illorum numero cum fuisset Clemens Zoutmaat, vide quantis ejus memoriam laudibus ornet, orationis, quam dixi, p. 162. 196.

(3) V. cl. J. Baart de la Faille aliosque, quos laudavimus in *Hist. Ac. Gelr.* II. 555. Enchusae Bakkerus Artem salutarem publicâ auctoritate exercuit, ab a. 1794 usque ad a. 1806, quo Harlemum evocatus est *Anatomes*, *Chirurgiae Artisque Obstetriciae Lector*. Harlemo postea Groningam migravit.

se Amicum atque adjutorem probaret, locupleti mihi constitit L'Angii testimonio (1). Temporis, cujus ne minimam quidem partem temere sibi effluere sinebat, quam parcus esset, haec ipsa luculenter demonstravit praefectura. Non raro enim, dum Scholis inspiciendis ex altero in alterum pagum pedes se conferebat, in viâ ambulantem simulque attente ac meditate libros legentem theologicos, eum conspiciebant agricolae.

Tempestate illâ qui Scholas emendandas tuendasque curabant; horum plerique utilissimae quoque *Societati pro salute publicâ*, idem potissimum agenti, fautores se dare ac suffragatores non dubitabant. In quibus ille fuit, de quo narramus, Scholarum Inspector. Neque enim cujusquam magis, quam hujus, studio et operâ et consilio factum est, ut mense jam *Octobri* a. 1798, non diu post ipsius adventum, memoratae *Societatis Enchusana Sectio* constitueretur, ac deinceps vivere et vigere pergeret (2). Quamquam illius laudis plures alios habuit consortes. At hoc privum sibi ac proprium, quod, jam anteaquam in Gelriam migrabat, binas deinceps commentationes, gravissimis de argumentis a se conscriptas, Societatis Moderatoribus judicandas obtulit; quas hi praemiis ornatas emiserunt.

Atque haec officii me monent breviter certe praecipua scripta memorandi atque opera, quae hoc singulatim vitae tempore commentavit. Cum praesertim haec ipsa sint, quae ad auctoris gloriam aut fundandam aut latius propagandam vel maxime valuerint. Etsi enim antea jam eum ab idoneis arbitris cathedrâ Lingensi dignum habitum esse supra vidimus; tamen magis etiam illius nomen illustratum esse constat Enchusano hoc sexennio aut sep-

---

(1) »*Quid potissimum ad Scholas emendandas agendum esset recte vidit, atque* »*id egit ipse.*" Haec fere ad me scripsit Vir praestantissimus.

(2) Tertio a constitutâ Sectione anno orationem edidit ita fere inscriptam: *Redevoering bij de feestviering van het Enkhuizer Dept. tot Nut van 't Algemeen;* 1801. Hanc enim notationem in traditâ mihi scidulâ inveni. — Posteaquam Harderovicum migrârat, in hâc ipsâ quoque urbe ejusdem Societatis *Sectio* constituta est. Cujus consilii et capiendi et exsequendi in praecipuis auctoribus eundem esse Cl. memini.

tennio. Quo tot peperit atque, in magnâ materiae varietate, tam praestantia ingenii monumenta, ut nunc jam in doctissimis hujus Patriae Theologis censeretur, nec quisquam facile dubitaret quin, dummodo meritis sua praemia constarent, ad primam quamque, quae vacatura foret, rerum divinarum Professionem evehendus esset. Nam vixdum alterum hoc stadium ingressus, priorem, nec diu post alteram Partem praestantissimi, de quo jam monuimus, Commentarii in *Lucaneam Apostolorum Historiam* emittendam curavit. Cui, vix aut ne vix quidem quadriennio interposito, alium in eodem genere librum subjecit, *epistolae Jacobi* paraeneticam interpretationem; dispari quidem formâ eâque paullo adstrictiore, pro diversâ scripti, quod nunc enarrabat, ratione atque argumento, caeterum ejusdem laudis ac palmae sociam. — Sub idem fere tempus, longam post dubitationem, multorum desideriis votisque *orationum sacrarum primum* aliquem gratificatus est *Fasciculum*. Quem si multis demum annis postea alii secuti sunt Fasciculi; ne quis torpentibus lectorum studiis hanc tribuat moram oportet. Nam primus ille non multum abfuit quin, quot lectores, tot invenerit admiratores. Nunc quidem ternae tantum aliae orationes accesserunt, quarum singulas et in templis pronuntiandi et typis evulgandi tres deinceps ansam atque opportunitatem dederunt, quae in hoc tempus ceciderant, dies publicarum *supplicationum*. — Atque eâdem fere tempestate civibus legendum aperuit obtulitque optimae frugis librum Ewaldianum, *meditata* continentem, *singulis cujusque anni diebus adaptata, atque ad Christianorum fidem ac pietatem alendam accommodata.* Hoc enim majoris molis opus et ex Germanico Nederlandicum fecit et, sicubi res flagitare videbatur, insigniter emendavit (1).

(1) *Christelijk Huis- en Handboek, of bespiegelingen voor elken dag des jaars, ter bevordering van geloof in J. C. en Christ. godzaligheid, door* J. L. Ewald. *Uit het Hoogd. door* J. Cl. Opus, IV Tomis constans, edi coeptum est *Traj. ad Rh.* 1801. Interpres et minus accurate dicta quaedam emendavit, et quae Reformatorum placitis refragari videbantur mutanda curavit. Quod posterius non omnibus placuisse, apparet ex *Bibl. Litt. theol.* I. 734. Quam-

Verum nemo opinetur oportet ita in practicis haesisse argumentis atque acquievisse, quem Enchusa nunc habebat, Pastorem, ut nulla conderet subtilioris eruditionis monumenta. Neque enim is erat, qui Theologorum in acie velitem tantum ageret, nec cum gravioris armaturae militibus de palmâ decertaret. Quod et aliunde apparet et ex iis, quae jam nobis narranda instant. *Hagana pro defendendâ Christi religione Societas*, cui olim adolescentulus, audacius quam felicius, commentationem aliquam judicandam obtulerat (1), nunc binas brevi spatio Theologis solvendas posuit gravissimas quaestiones *apologeticas*. Quarum quae prior erat argumentum explicandum ac vindicandum injungebat, quod, pro tuendâ religionis Christianae veritate, ex *Christi* ducitur *Miraculis*. Altera eâdem viâ eodemque consilio argumentum, ex *Ethices* Domini nostri *praestantiâ* atque ex *salutaribus Euangelii propagati effectis* haustum, excutere jubebat. Quid? Numerosi gregis Pastor idemque multarum Inspector Scholarum, quique *tot* alia *sustinebat negotia solus*, nonne a magnâ nobis foret industriâ laudandus, si alterutram probabiliter solvisset quaestionem? At utrique ita satisfecit, ut scriptae quidem de priore argumento disputationi secundum a victore locum certaminis Moderatores assignarent; aureo autem praemio eam ornarent, quâ alterum exposuerat argumentum. Quamquam in priore judicio judicium desiderârunt aequales. Necdum tertiam memoravi commentationem apologeticam, quam etiam ipsam ineunte hoc seculo publici juris fecit, modeste *specimen* appellans seu *periculum de doctrinae pretio Apostolicae*. Quem

---

quam ibi debitis laudibus ornatur et auctoris et interpretis opera. Cf. ejusd. *Biblioth.* II. 296.

(1) Vidd. dicta p. 24 in annot. — Postea, ipsius scidulâ monente, eidem Societati frustra eum obtulisse comperi commentationem, quam postmodum, a se suo Marte editam, inscripsit: *Verhandeling over de Vergenoegdheid, vooral voor minvermogenden en mingeoefenden; Amst.* 1801. 8 *min.* Quam summo jure laudatam legimus, et a *Biblioth. Litt. theol.* II. 2. 747, et a scriptoribus operis: *A. vad. Letteroeff.* 1801. I. 517. Fieri tamen possit ut, memoriâ optimum Senem, morti jam proximum, fallente, non *Haganae* Societati, sed *Societati* potius *pro sal. publ.* commentationem obtulerit.

librum si, quanto scriptus est veri studio, tanto legerent juniores multi, et auctoris acumen ac diligentiam admirarentur, et profecto minus abjecte de Christi Legatis sentire discerent ac judicare (1).

Alia prudens praetereo. Nec facere tamen possum, quin pauca hoc loco de penso dicam, quod nunc non primum quidem suscepit, sed majore tamen, quam pridem, operâ curâque agere incepit. Cum praesertim hâc de re nonnulla narrare liceat plerisque ignota, nec tamen, ni fallor, cognitu injucunda. Nullum adhuc Batavis *Promtuarium* erat aut *Horreum*, quod de libris singulatim *theologicis* recens editis accuratius ac de industriâ referret. Qualia diu jam Germanis aliisque cultioris Europae populis haud defuerant. Nam apud nos si qui hanc ingressi erant palaestram, eorum opera, refrigeratis vel scriptorum vel lectorum studiis, brevi exaruerant (2). Jam vero meliore successu id egit Petrus Beets, Petri *filius*, Zaandamiae Occidentalis Teleiobaptistarum Antistes, accuratae Vir doctrinae, uno alteroque, quod edidit, scripto utilissimo clarus, qui, Hulshovii exemplo, recte probata sanctioris doctrinae effata liberaliter tuendi studiosior erat, quam cuncta temere convellendi novandique. Hic igitur, anno 1803, *Bibliothecam Litteraturae theologicae*, vernacule scriptam illam, condere instituit, quae et scriptorum theologicorum censuram ageret, nec brevioribus nostrâ de doctrinâ commentationibus locum denegaret. Cujus consilii et alios sibi socios adscivit Viros doctos, et neminem doc-

---

(1) Item Enchusae degens a se conversum edidit, haud sine adjectâ annotatione aliquâ, G. F. Seileri opus, quod inscripsit: *Over de goddelijke Openbaringen, inzonderh. over die, welke J. C. en Zijne Gezanten ontvangen hebben. Uit het Hoogd. door* J. Cl. D. I; Utr. 1800. Cujus libri, quo plura, impr. ad *Kantianae* Philosophiae abusum cavendum, utilia continet, eo magis dolendum est, deficientibus emptoribus, edi non potuisse *Tomum alterum.*

(2) Anno 1780 Muntinghius aliique opus edere coeperant, quod dixerunt: *Godgeleerde Bibliotheek.* Quod vero opus, non nisi per brevissimum tempus continuatum, sola ex. libris editis *excerpta* continebat, neque eorum censuram agebat. Cf. *Hist. Ac. Gelr.* II. 585.

tiorem, quam Clarissium. Qui quidem antea subinde nonnullis de scriptis vel alibi vel menstruis in operibus publice retulerat (1). Sed hae illi muneris censorii veluti prolusiones fuerant. Deinceps autem, maturiore studio rem agens, memoratâ in *Bibliothecâ* plures reponendas curavit librorum censuras, item unam alteramque a se commentatam de doctrinae sacrae locis disputationem. Quamquam hîc ejus partes nec tam magnae fuerunt, nec tam diuturnae, quam in alio, de quo mox, opere menstruo scribendo. Nam proximo quidem quinquennio, Beëtsio gratificatus, ab initio frequentiores, postea rariores ipsius *Bibliothecae* symbolas impertiit. Verum, exeunte a. 1807, nescio quibus cum Bibliopolâ litibus intercedentibus, qui adhuc operis Moderator fuerat (*Redactorem* appellant) esse desiit. Quod aegre ferens Praeceptor noster, tandem operi manum plane subtraxit. Cum praesertim biennio antea, vix magis aliorum, quam ipsius sub auspiciis, edi coeptus esset *Censor Censorum*. Cui jam operi, quod paterno complectebatur affectu, quodcunque temporis critico muneri dare poterat, integrum atque illibatum reservandum videbatur.

Atque haec, etsi partim ad paullo posterius tempus referenda, uno tenore narranda putabam. Quo ex deverticulo jam in viam reversi, *Enchusam* repetamus. Septimum cum maxime eâ in urbe annum agebat, cum oblatam sibi vidit *Theologiae cathedram Harderovicenam;* quam nullis unquam precibus, nullâ cujusquam prensatione obierat. Quid, quod salarii, nunc vario nomine percepti, cum reditibus hinc sperandis comparatio, si quidem ad judicii lancem inclinandam haec potissimum valuisset, facile ab adeundâ novâ provinciâ deterrere potuisset. Enimvero fluxa haec ac caduca verioribus posthabuit bonis. »*Ipse me* »*Deus,*" inquit, »*in eum evocat locum, mentis meae indoli ac*

---

(1) Omnium prima libros publice censendi pericula consignâsse videtur Cl. adolescens in opere: *Nieuwe Nederl. Bibliotheek, Tom.* VIII. Cujus rei humaniter me certiorem reddidit pl. ven. J. van Troostenburg de Bruyn, Patris Mart. de Bruyn, qui opus ediderat, scidulis usus.

»*conformationi attemperatum illum, unde plures exsistent atque* »*uberiores de Christi Societate bene merendi opportunitates. Deus* »*ubi vocat, mihi sequendum est.*" Haec fere atque alia, eandem in Deum testificantia pietatem, valedictoria profitetur oratio, (legimus enim) quâ habitâ, d. 25 *Februarii* a. 1804., *faustissima quaeque* Enchusanis *apprecatus est.* Quâ locutione ne quis temere aut justâ sine caussâ pro *valedicendi* verbo me usum existimet. Locum enim tractandum sumserat Orator, ubi *Lucas*, in *Euangelii* fine, (XXIV. 51[a]) *factum esse* narrat, *ut suis benediceret Christus, atque ita ab iis discederet.* Jam non magis ingeniosâ, quam opportunâ orationis inflexione: »*Si quidem* »*in omnibus,*" ait, »*muneris partibus Christi ministro Ipse, quâ* »*Doctor erat, imitandus est; quidni bene precando?*" Quo ipso dicto facile apparet, quam expeditam sibi viam paraverit ad amantissima quaeque pro auditorum salute vota nuncupanda, cum iisque saluberrimas quasque adhortationes copulandi. Itaque, quo anno duodecimo Christi ministerio fungebatur, bene auspicatum ei finem imposuit.

CAPUT QUARTUM.

DE PROFESSIONE HARDEROVICENA.

Quem adhuc *ecclesiasticum* spectavimus, eundem jam *academicum* spectemus Theologum. Ubi primum de nominatione videndum est. Johannem Henricum Schacht, Theologiae Professorem, Senem sacris de Litteris praeclare meritum, rude donaverant Academiae Gelricae Curatores (1). Cui successorem suffecturi, ineunte m. Julio a. 1803 Virorum doctorum *tabellam* informârunt, e quorum numero quem praelaturi essent eligeretur. Quae tabella, testibus *Curatorum Actis*, hocce ordine consignata ostendit nomina: Godofredi Johannis Schacht, qui illius, quem dixi, filius erat et cum maxime Pastor Dordracenus (2); — tum Lucae Suringar, Theologiae Professoris

---

(1) De Schachtio patre dixi, illius Acad. in *Historiâ*, II. 290 seqq. aliisque locis.

(2) G. J. Sch. pluribus Christianorum coetibus praefuit Antistes. Ab anno enim 1790 Sacra deinceps fecit in pago Hees c. a., in Monte s. Gertrudae, Delphiportis, Dordraci, tandem Lugduni Batavorum; in cujus urbis viciniâ Soeterwoudiae, d. 27 August. a. 1846, aetatis anno octuagesimo secundo, fato functus est. Vir erat ingeniosus, bonus, Dei hominumque amans, tum a doctrinâ ita paratus, ut non indignus esset, qui ab Academiâ Gelricâ, quae tum etiam, ubi Muntinghio successor quaerebatur, ejus rationem

Lingensis (1); — Caroli Guilielmi Stronck, Antistitis Dordraceni (2). Hos excipiebat Clarissius; quem sequebantur et Johannes van Slogteren, Antistes Doetichemensis (3), et Johannes Jacobus Metelerkamp, Antistes pagi Wassenaar (4). En tibi tabellam, plures memorantem Viros egregios, ex quibus continuo unanimis Moderatorum suffragiis lectum esse Schachtium nemo mirabitur, qui quantus apud Gelros

---

habuerat, a. 1805 *honoris caussâ* Theologiae Doctor renuntiaretur. Caeterum munere sacro tam feliciter functus est, ut nulla cathedra, si quam forte adscendisset, vitae fructum ei augere potuisset. Pauca de illo dixi loco memorato, II. 531.

(1) De Suringario, Viro optimo, longe doctiore illo, quam sibi multisque aliis videbatur, qui postea magno suo merito ad cathedram Leidensem evocatus est, prae caeteris lectu digna videatur relatio, auctore filio, quae cl. J. Nieuwenhuis orationi rectorali (*Annal. Acad.* L. B. *a.* 1833—1834) subjecta est, p. 35 sqq. Unde hausta sunt, quae, accurate et ipse, de eodem dixit cl. Siegenbeekius, in *or. ad Soc. Leid. pro Litt. Batavis* a. 1834, p. 8—17. Nec negligendum *Supplem. ad* G. Nieuwenhuis, *alg. Woordenboek*, in nomine. — A Clarissio maximi factum esse Suringarium, et ex privatis mihi constitit sermonibus, et ex iis, quae publice dixit in *Cens. Censs.* VIII. 166, item XIV. 148 *recenss.*

(2) De Stronckio dictum est in *Hist. Ac. Gelr.* II. 419. 531. 542. Unde apparet et antea jam, ubi *Theologiae*, et postea bis, ubi *Litterarum Orientt.* Professor quaerebatur, ibidem hujus rationem habitam esse. Quod postremâ quidem vice, a. 1810, ejusmodi fuit, ut si Paravio, Trajectum ad Rhenum evocato, successorem dare tempora sivissent, nemini prius cathedram oblaturi fuisse videantur Curatores. Apud quos praesertim Clarissii valebat auctoritas, Stronckio veterrimâ amicitiâ juncti, qui cathedrae, vel theologicae vel Litt. Orientalium, ornandae hunc in paucis idoneum judicaret.

(3) Philosophiae hicce Doctor Keppeliae, Doetichemiae, Hornae Pastor fuit, Praeses item Hollandiae Septentr. Moderatorum ecclesiasticorum. Hornae, d. 7 Augusti a. 1841, 75 annos natus, mortem obiit. Alia ne memorem, cum Litteras imprimis Hebraicas accurate et prisco more calleret Vir doctissimus, multos iis imbuit Theologiae tirones. Quo facto de Ecclesiâ optime meruit.

(4) Praestantissimus hic Academiae Gelricae discipulus ab ipsâ, d. 10 Octobr. a. 1799, Theologiae Doctor creatus erat, def. diss. *continente vestigia doctrinae de immortalitate animorum in* V. T.; *Hard.* eod. a. 4. — Delphorum Pastor emeritus, d. 16 Januar. 1839 Trajecti ad Rh., 61 annos natus, fato functus est. De eo v. *Konst- en Letterbode* anni memorati, p. 236 sq.

Schachtiani nominis favor esset, per magna ac diuturna Patris officia partus, animo secum reputaverit. Illo autem oblatum deprecato honorem, d. 30 Augusti sic supplere tabellam visum est, ut item rationem habere integrum foret Johannis Antonii Lotze, qui Trajectini pagi Maartensdijk Antistes erat (1); et Guilielmi te Water, Studiosorum, Leidensi in Academiâ stipendiis utentium, Moderatoris (2); et Hermani Manger, Harlemensium Pastoris (3).

Quibus ita ordinatis eodem, quem dixi, die *Theologiae Professor,* qui idem Academiae a *sacris* esset *orationibus,* lectus est Amicus. Cui decreto eam clam adjectam esse clausulam legimus ut, si forte hic recusâsset, Lotzio, vehementius tunc cathedram ambienti, quod vacabat munus offerretur. Vide

---

(1) De Lotzio, cujus omnibus tum cognitum erat nomen, eruditio mihi non dubia, quantum satis videbatur, diximus memoratae *Hist.* T. II. p. 583. Hoc loco illud unum monendum, haud ita diu post cum Theologiae Professione Franequeranâ Martensdiciense eum commutâsse Ministerium, Franequeranam deinde stationem cum Harderovicenâ; quando Athenaei Gelrici, quod exstinctam exceperat Academiam, Professor creatus erat. Exeunte vero a. 1832 exspirantem eum vidit, annos natum 63, Amstelodamum.

(2) De hocce Viro, d. 14 Decembr. a. 1831 defuncto, vid. Siegenb. *Hist. Ac.* L. B. I. 366. II. *Add. et Symbb.* p. 290.

(3) Filius fuit Samuelis Henr. Manger, Theologi Franequerani, Semiticis imprimis de Litteris optime meriti, de quo v. *Suppl.* ad laud. Nieuwenhusii opus, in nomine. Memorato de filio, qui, medio m. Novembri a. 1844, Harlemi obiit, vid. *Ev. Kerkbode* ejusdem anni, N°. 51. Sed aliud hic verbo memorandum est. In locupletissimâ illâ, quam primam laudavimus, de Suringario relatione, "*anno circiter* 1811 *huic Harderovicensi in Academiâ privatim cathedram oblatam esse narratur, sed ipsum quominus publice vocaretur intercessisse.*" Cui vero narrationi procul dubio temporis error subest. Neque enim tunc ibi novi Theologi nominandi ulla vel necessitas erat vel opportunitas, et vigentibus Ypejo ac Clarissio, et vero ipsâ animam agente Academiâ. Verum probabile est a. 1803, cum primum honorem deprecatus erat Schachtius, cum Suringario egisse Curatores; suffragante, fortasse etiam illorum voluntatem interpretante Voorstio, Theologo Leidensi, cui nihil magis cordi fuisse constat, quam ut honorifice in Patriam revocaretur discipulus dilectissimus. Nec tamen in *Curatorum Actis* hac de re quidquam relatum legi.

igitur, quam ancipiti loco tunc versata sit Academiae in eâque Theologiae fortuna. Nam de Lotzii quidem honore nihil quidquam detractum volo; nec iis unquam assensi, quales multi fuerunt, qui variam ipsi doctrinam abjudicarent. Verum nihil ejus memoriae fieri possit iniquius nec injuriosius, quam si Clarissio comparetur; Viro, quem ipsa, si viveret vocemque emittere potuisset, *Theologia*, non dico prae Lotzio, sed prae omnibus fere praestantiae suae vindicem atque honoris patronum sibi optâsset ac requisivisset. Haec autem persequi nolo. *Sit illi*, quem hoc in stadio non magis fortunae casus, quam animi inquieti, nil sibi arduum putantis, commotiones jactârunt agitâruntque, *sit illi terra levis et molliter ossa cubent!* Id mihi unum volebam, nec nobis discipulis, nec Gelrorum Academiae, nec Patriae, nec Ecclesiae optatius quidquam evenire potuisse, quam quod Clarissius hanc non detrectaverit cathedram. Quo factum est, ut nunc jam, Theologiae veluti Sacerdos, illius sacris juvenes diviniora appetentes initiare posset. Atque eâdem hâc viâ ad ampliorem etiam, quin amplissimam Professionem Leidensem aliquando occupandam cum praeparatus est, tum ad omnium existimationem commendatus.

Sed interruptam repetamus narrationis telam. Per eas igitur, quas ipsum supra exponentem audivimus, caussas impulsus permotusque, Gelrorum sese evocantium desideriis morem gerendum putavit, vel potius ipsius Dei, alio se arcessentis, voci jussoque obediendum. Verum res domesticae fuerunt, quae, post captum jam migrandi consilium, paullo diutius Enchusae Patremfamilias detinerent. Neque igitur ante vernum tempus proximi anni 1804 delatum auspicari potuit munus. Quod ut adiret, d. 20 Martii academicum in Senatum se solenniter recipiendum curavit; ac sine morâ criticas atque exegeticas in Paullinam *ad Galatas* epistolam Scholas aperuit. Nec ita diu post, mense Majo, *Concionatorem* (1) academicum agere incepit, sacrâ ha-

(1) Non honorificam apud veteres huic voci notionem fuisse noverunt elegantiores. Verum iidem novitio mori, cui et hîc et alibi largiendum aliquid videbatur, minus tersum illius usum, spero, condonabunt.

bitâ oratione super loco notissimo, *Joann.* XVII. 3. "*Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωή κ. τ. λ.* Quo gravissimo Christi effato jam nunc enarrato, et sese cognoscendum dedit auditoribus, et eorum, quae deinceps pro concione tractaturus esset, summum argumentum consiliumque.

Sed miretur quis me nullam dum memorâsse, Professionis auspicandae caussâ habitam, orationem. Is igitur sciat velim, in Gelrorum olim Academiâ, non quovis promiscue anni tempore, a recens advenis Professoribus orationes haberi solitas fuisse aditiales, sed stato demum proximi mensis *Junii* die, quo ad Minervae solennia celebranda, ne de caeteris dicam, ipsi etiam Curatores, quorum alii aliis Gelriae locis habitabant, undique convenerant. Ex quo igitur more atque instituto repetendum, quod die demum 13 Junii, postquam tres jam fere menses docendo egerat, solenni ritu inauguralem habuit orationem. Quae agebat *de arctissime inter se nexis dogmaticis et moralibus religionis Christianae praeceptis, docenti non sejungendis* (1). Cujus argumenti accurata expositio quantam habuerit utilitatem, quo potissimum tempore ab haud paucis nostrae Patriae Dogmaticis negligebatur *Ethica*, ut quisque illorum dierum historiam attentius perpenderit, ita plenius intelliget. Non defuerunt quidem, qui privatis potius in Scholis, quam publicâ oratione hoc tractandum fuisse argumentum arguerent. Quasi vero non Doctoris laudandus sit candor ac sapientia, qui, nullâ dissimulatione usus, quam privatae institutionis viam ac rationem sequi cogitet, sub ipsis muneris initiis palam atque omnibus declarat audientibus! In Latinitate autem si quae reprehenderunt (quid enim factu facilius?) dierum illorum Momi, plura laudârunt aequiores arbi-

(1) *Harder*. 1805. 4. Vid. *Bibl. van theol. Letterk.* III. 2. 826 sqq. item *alg. vad. Letteroeff.* 1805. 1. 436. Ex utrâque enim relatione orationis indoles atque argumentum cognosci potest. Nec vero negligenda quae de eâdem dicuntur: *A. Konst- en Letterbode*, 1805. 2. 151 sqq.; quo loco ab eloquentiâ praedicatur oratio, reprehunduntur vero quae de *Kantianâ* doctrinâ, cum *Christianâ* non plane conciliandâ, dixerat. Ubi sine dubio Censori quamvis docto nebulas offuderat Kantii amor. Sed de his alibi.

tri; qui potissimum Oratori, in vitâ occupatissimâ multos vernacule scribenti libros, stili Latini excolendi tempus atque otium vix aut ne vix quidem adfuisse scirent ac perpenderent. Universe sane hoc asseverare non vereor, publicis privatisque multorum testimoniis edoctus, Clarissiani muneris Harderoviceni tam felicia fuisse initia atque auspicia, ut faustiora nulla apprecari potuissent amici. Nam et de Scholis discipuli, et de oratione cum sacrâ, tum aditiali quotquot utramque audiverant, uno omnes ore, affirmabant, nihil illis doctiusque subtiliusque, nihil his elegantius, facundius, gravius expeti potuisse ac desiderari (1).

Quo majorem igitur ab initio sui spem atque exspectationem excitaverat novus hic Professor, eo vehementius omnium, qui Gelricae bene vellent Academiae, animos nuntius commovit feriitque, qui gravissimum injiciebat metum, ne, ostensus potius quam datus, continuo fere illustriori cedendus foret Musarum domicilio. Quae res quomodo acta sit et quem exitum habuerit, cum partim ipso narrante Praeceptore, partim aliis ex fontibus accurate compererim, eam lectores ignorare non patiar (2). Ineunte igitur anno, de quo dicere incepi, 1804, praematuro fato exstinctus erat Joannes Bosman, *Logicae* ac *Metaphysicae*, item *Philosophiae Moralis* Groninganorum in Academiâ Professor ordinarius. Cui igitur Regionis Moderatores, exeunte mense Aprili, sufficere decreverunt Gabrielem van Oordt, qui tunc quidem Trajecti ad Rhenum sacrorum Antistes erat, sed mox ibidem Theologiae Professor dictus, hanc illi cathedram sibi praeferendam duxit. Quâ igitur spe frustrati Groningani, nec meliore exitu, quem semel iterumque laudavimus, Endio

(1) De dictis ne quis dubitet, pervelim hîc denuo adeatur modo laud. *Biblioth. Litt. theol.* III. 1. 145—147.

(2) Alia, olim ab ipso Cl. accepta, mihi notaveram, alia, ex Acad. Groning. *Curatorum* Actis ducta, nuperrime mecum humanissime communicârunt consult. J. H. Geertsema C. F., Curatoribus ab Actis, et cl. Th. van Swinderen.

evocato, tandem d. 27 Augusti Bosmanno successorem legerunt Clarissium (1). Quem, cum dubitare percepissent, quo facilius suam in voluntatem flecterent, paullo post *Concionatoris academici* honorem, quo Bosmannus etiam usus erat, non imposuerunt, sed obtulerunt. Quem si Philosophiae Professioni adjunctum vellet, haud contemnendum se salario corollarium adjecturos. Quod illa potissimum sibi demandata erat cathedra, caussam ipse Praeceptor ex epistolarum commercio repetebat, quo olim Broesio, sicuti narravimus, quam sibi Professionem praeoptaret significârat. Unde aliquid probabiliter ad aliorum notitiam emanâsse. Quod fieri potuisse non est quod negem. Verumtamen qualem et quam felicem in *Philosophiâ* singulatim collocâsset operam, ducibus et Wynperssio et Hennerto et Pestelio et Rossinio et aliis; id igitur ita tum vulgo notum erat, ut ad illum huic provinciae commendandum studiis meritisque comparatum nomen abunde sufficeret. Quocirca desideratissimi Viri conjecturam majorem a modestiâ commendationem habere, quam a probabilitate putaverim. — Quidquid sit; quam amplum ad honorem illi evenit Groninganorum decretum, tam difficilem imposuit optionis faciendae necessitatem. Eorum enim ut obtemperet voluntati et urbis atque Academiae celebritas suadet, et salarii insigne incrementum, Patrifamilias, hoc quidem tempore *Minervam* magis, quam *Plutum* faventem habenti, non temere contemnendum illud; tum necessariorum voces ac consilia dilectaeque uxoris lacrimae. Quibus omnibus

(1) Una cum Oordtio, ratio habita erat Guilielmi L. Brown, qui tunc apud Aberdonenses Philosophiam profitebatur, et Adriani van den Ende, qui eodem hoc tempore, sub *alterius Societatis Teilerianae* auspiciis, Physices Lector erat Harlemensis. De utroque supra me dicere memini. — Una cum Clarissio, in electionis tabellâ nomina collocata erant et ejusdem Endii et Jani van Geuns, Teleiobaptistarum Leidensium Antistitis, de quo vidd. laudati in *Hist. Ac. Gelr.* II. 427. — Endio etiam frustra oblatam esse Professionem, de quâ dicimus, Groninganam, licet silentibus *Curatorum Actis*, certâ fide proditur in op.: *A. Konst- en Letterbode*, 1804, N°. 33. Quod jam ante evocatum Amicum factum esse, temporum comparatio docet.

migrandi momentis atque invitamentis novum idque gravissimum pondus adjicit *Philosophiae*, quam semper in deliciis habuerat, nunquam exstinctus amor nec unquam refrigeratus. Verum non minus potenter in contrariam partem animi judiciique veluti bilances *Dei* inclinabat cogitatio, cujus praesentissimo Numine ac moderatione factum esset ut, secus ac pridem voluerat ipse, theologicum induceretur stadium. Quo si nunc exiret, reformidandum esse ne divinis reniteretur consiliis (1). Cum praesertim Christi Societati prae caeteris omnibus sibi serviendum esse intelligeret.

Haec memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc.

Arridet Groninga, arridet Philosophia, blanda conjux afflet. Contra nituntur, urgent, flagitant, obsecrant Gelri, Studiosi, Collegae, Curatores, paullo humaniores omnes, ne Academiae, vixdum a limine salutatae, nunc jam valedicens, nihil nisi triste sui desiderium relinquat. Magis etiam retinet officii religio, Theologiae vadimonium ne plane deserat vetare visa. Quid multa? Ex molestâ hâc cogitationum ac deliberationum huc et illuc rapientium agitatione fluctibusque ut sese tandem expediat, nec in alterutram partem peccet, ad Groninganos ita se iis obtemperaturum scribit, atque ita eorum in Academiâ *Philosophiam* traditurum, si de quâcunque voluerint *Theologiae* parte unam certe Scholam adjungendi veniam dederint. Quae si displiceat conditio, sibi deprecandi honoris firmum consilium esse humaniter significat. At illi sibi hoc integrum esse negant; sive intercedentibus Theologis factum sit, seu aliâ quâcunque caussâ impediente. Quem nuntium ut accepit C l a r i s s i u s, continuo, repudiatâ quam posuerat conditione, sibi repudiandum esse oblatum munus rescribit. Quo in decreto, cum incredibili Academiae Gelricae gaudio, perstitit ac permansit (2). Curatores autem, ardentissimi voti

(1) Haec referens ipsissimis fere illius, rem mihi narrantis, verbis usus sum.

(2) Cathedram Groninganam meliore mox successu mandatam esse C o r n e l i o d e W a a l, tunc J. U. Doct. et s. Minist. Candidato, nunc Professori emerito, notum est.

compotes facti, *Hermeneuticae sacrae Professorem* dixerunt, neque a novo honoris titulo stipendii corollarium, insigne illud pro aerarii modulo, abesse voluerunt (1). Atque ita impraesentiarum Academiae, quam illustrabat, in perpetuum Theologiae, cujus Stator futurus erat, devinctus est et conservatus.

Eodem quidem tempore, ante finem certe anni, de quo diximus, Franequeram, ubi *Theologiae* quaerebatur Professor, evocatus est. Id enim tunc non raro agebant *Frisii*, laudabili doctrinarum amore ducti, ut clarissimos quosque Professores, lautissimis subinde propositis conditionibus, suam in Academiam allicerent, tunc quodammodo florentem adhuc, nunc proh dolor! per nostrorum temporum barbariem internecione deletam. Nec sane melius atque efficacius Lycei sui saluti ac gloriae prospicere potuissent, quam si hunc illi Doctorem conciliare contigisset. Sed hos quoque, haud secus ac Groninganos, frustra futuros facile augurari licebat; in eo potissimum Viro generoso, quem ostensa majoris lucri spes, a majore studiorum vitaeque fructu sejuncta, non magnopere commoveret. Nec ejusmodi fuisse hanc rem fuisse puto, quamvis honorificam, quae diu incertum eum tenuerit ac suspensum. Certe successu caruisse Frisiorum conatum nemo nescit (2).

Iis, qui hunc proxime exceperunt, annis Professori, quem Gelriae alterâ fere vice donatum esse gaudebant, Curatores solennia demandâsse munera accepimus, a. 1805 *Rectoris Magnifici*, biennio post *Actuarii*, qui Senatui foret a manu. Quo utroque penso solitâ diligentiâ, fide, religione perfunctum eum esse,

---

(1) Vid. *Acta Curatt. Acad. Gelr.* ad d. 27 Novembr. 1804.

(2) Huc respicitur in vern. *Bibl. Litt. theol.* III. 1. 146. Caeterum de *Frisiorum* conatu doleo me non tam accurate referre potuisse, quam de *Groninganorum*.

me non monente intelligitur. Verum id nobis memorandum videtur, quod, m. Junio a. 1806, priore munere, feliciter gesto illo, se abdicaturus, orationem habuit *de injusto theologici studii contemtu;* cujus eloquentiae tunc auditores, diu post lectores applausisse constat. Quasi vero, mihi reponet quis, a *Theologo* celebratam esse *Theologiam* memorabile sit, cum suam quemque Oratorem officinam bellissimam habere caeterisque praeferendam noverimus omnes. Nec ego ignoro, Lectores! Sed idem scio dignissimam hanc fuisse orationem, quae, multis post annis, alteri, quae *Theologi liberalitatem* laudat, adjuncta vulgaretur. Tam liberaliter enim gravissimam, quam profitebatur auctor, disciplinam a calumniatorum iniquitate defendit, ut, quâ aequitate olim pro tribunali sedens Praetor, eâdem suum unicuique doctrinarum generi jus tribuendum curaret (1).

Sed quando nullâ re nec ullo officio magis cernitur disciplinarum *Professor*, quam *docendo*, et quae docuerit videamus et quomodo. Quae narratio ita tempus *Harderovicenum* persequetur, ut pleraque hîc dicenda ad *Leidense* etiam, in quo postea versatus est, curriculum referri possint. Quo diversas quidem ex parte Scholas habuit; at idem apparuit Doctor, non ab eruditionis ubertate magis celebrandus, quam ab agendi constantiâ. In priore igitur statione academicâ quod copiose nobis discipulis *Encyclopaediam* enarravit *theologicam;* Schachtii, Decessoris, quam maximi faceret, exemplum sese secutum esse, ipse memoriae prodidit; idque ita ut Samuelis Mursinnae optimo, quod tunc erat, in hoc genere compendio duce uteretur (2). Quae sane Scholae magno nobis documento fuerunt, nihil facile cum

---

(1) Eruditorum atque amicorum desideriis, diu reluctatus, tandem morem gessit, edito hâc inscriptione libello: *Orationes duae, altera de Theol. vere liberali, altera de inj. theol. stud. contemtu;* L. B. 1815. 4. *Libellum* dico, adjunctâ utrique orationi *Clarissianâ* i. e. copiosissimâ annotatione. Quem utinam legant disciplinae nostrae cum veterani cultores, tum tirones!

(2) Vid. praef. *Epit. Encycl. theol.* p. XIX sqq.

disciplinâ, quam profitebatur, vel remotissimam habere conjunctionem, quod Praeceptoris fugeret intelligentiam. Memini enim, ut hoc uno nunc utar, cum auditorii fenestrae vitra haberent, antiquo more figuris picta ac variegata, illarum eum uti subsidio, ut *Heraldices* nos initiis imbueret. Unde gravioribus in rebus quâ diligentiâ versatus sit facile perspicies.

Quamvis multis distractus occupationibus academicis, *Novi* tamen *Foederis* cum *Criticae*, tum *Hermeneuticae* singulares dabat horas. In illâ universe Griesbachium, qui tum regnabat, secutus, illius rationem idque subinde clarius, quam fecerat ipse, nobis explicabat. Quamquam nec hujus, nec cujusquam auctoritate unquam se mancipantem vidimus. *Nec tumide, nec timide!* En tibi symbolum, olim menstruo alicui operi, ipso probante, praepositum, quo, sicuti caeteras, ita has ejus disquisitiones opportune ac vere posses insignire. Aequâ nos judicii lance ponderare singula jubebat argumenta, quae, pro hâc illâve loci cujusque lectione tuendâ, vel ex testimoniorum auctoritate vel ex probabilitatis internae momentis peti possent, nec illa his, nec magis haec illis temere et ubique praeferens. Nec eorum probavit sedulitatem, qui, quod postea Lachmannum fecisse novimus, quasi sit *Arithmetices* ancilla *Critica,* sic in rimandis atque ad calculum vocandis vetustissimis, quamvis depravatis, lectionibus securi acquiescunt. Nec iis profecto magis applaudentem audivimus, qui, quâ ratione nunc Scholzii admiratores, Byzantinorum N. T. Codicum turbam ac multitudinem antiquissimorum testium suffragiis potiorem haberent ac praeferrent.

De *Hermeneuticis* Praeceptoris institutionibus quid dicam? Unde, ante hos jam quadraginta annos, multa me percepisse gratus recordor, quae si non neglexissent aut accuratius excoluissent recentissimae, quae nunc florent, Scholae, meliore etiam jure ab interpretationis *ἀκριβείᾳ* laudarentur. Notissimam commentabat *Institutionem Ernestinam.* Quem vero auctorem, quamvis summâ eum veneratione prosecutus, non raro supplebat,

corrigebat, reprehendebat. Caeterum sacrâ in Criticâ atque Hermeneuticâ easdem universe leges valere eademque praecepta generalia, quae in omnibus aliorum quorumcunque auctorum scriptis emendandis atque interpretandis vim habent et auctoritatem; id vero erat quod, secundum Ernestum, iterum iterumque graviter nos doceret. Hujus imprimis decreti nos semper memores esse volebat. Cui decreto ac legi ubi primum privum aliquod ac singulare Sacri Codicis locos constituendi atque enarrandi principium substitueris, nullam hîc relinqui veri probandi falsique confutandi certam normam atque obrussam.

Quae *Critica* praeceperat atque *Hermeneutica*, haec egregie illustrabant atque in usum convertere docebant Scholae *exegeticae*. Veluti Harderovici eum et *Historiam Christi perpessionum* et *priorem Petrinam epistolam* cum discipulis tractare memini. Ne de *epistolâ ad Galatas* denuo dicam. Illis igitur accurate interpretandi et ipse exempla praeibat, et se duce idem agendi auctor erat. Nec levi manu aut tralaticio more his in pensis eum versatum esse, vel hoc uno satis apparebit documento. Ubi aliquando cum commilitonibus in illâ, quam diximus, historiae sacrae parte versabatur, amice eum hortantem audierunt, ut Euangeliorum insigniores aliquos locos ex *Graecis Hebraice* convertendi periculum facerent. Quod cum criticis de illorum origine, nexu atque universâ ratione disquisitionibus conjunctissimum esse. Nec defuerunt qualescunque conatus dilectissimo obtemperandi Magistro, cujus desideriis, si obsequi posses, deesse religio erat. Quos conatus, utut inchoatos, quam indulgenter laudabat Vir optimus!

Vix opus est ut moneam, sicuti plerosque omnes tunc Theologiae Professores, *Dogmaticen* eum tradidisse. Ubi nullum quidem sequebatur doctrinae compendium, sed sic tamen Muntinghii librum legendum ac meditandum commendabat, ut quae hic, ipso judice, satis accurate ac copiose docuerat a nobis percepta esse sumeret, nec igitur sibi repetenda duceret. Quam-

quam Mori etiam, cujus valde placebat succincta brevitas, et Storrii et Doederleinii aliorumque in hoc genere scripta frequenter ad partes vocabat. Recentissimas, quae tempestate illâ agitabantur, quaestiones dogmaticas noli quaerere quam accurate excutere solitus sit. De gravissimis adeo, qui in disceptationem vocabantur, locis theologicis disputationes prodebat suis numeris partibusque absolutas, quae et enarrationis perspicuitate cernerentur et judicii liberalitate et refutationis, sicubi opus erat, acumine. Sed si diligenter adeo novissima quaeque recensentem eum audivimus, nec antiquiora Theologorum nostrorum placita, quamvis obsoleta forte videri possent, plane intacta relinquebat; hanc addens caussam quod, si forte ecclesiasticâ quâ in probatione attingerentur, suam per socordiam discipulis aquam haerere nollet.

Sed si omnes fere Theologiae Professores *Dogmaticen* praeibant, haud scio an eorum nemo, illo quidem, de quo agimus, tempore, eâ quâ Clarissius, ubertate et copiâ *Ethicen* docuerit *Christianam*. Quamvis magno pretio accuratissimum illud Reinhardii opus aestimans, tamen hîc quoque suus erat, ac suo, non illius judicio doctrinam disponebat. Cujus doctrinae *priore* parte, non nobis magis audientibus, quam *Juris* utriusque Studiosis, de bono ac malo morali, de moralitatis q. d. principiis, de virtute universâ, de Christianae singulatim virtutis praestantiâ, de omnibus, quae recte ad generalem referuntur Ethicen, pari eum disputâsse subtilitate ac perspicuitate, omnes, qui nondum hinc abierunt, lubentes mecum testabuntur condiscipuli. Atque in ejusdem laudis societatem admittenda procul dubio quotquot adfuerunt censebunt, quae, *alterâ* disciplinae parte, de singulis Christianorum officiis et de difficillimis quibusque, quae hîc in censum veniunt, quaestionibus subtiliter disputantem eum audivimus. — O utinam adhuc Praeceptoris de sepulcro gravissimae voces exaudiri possent, quibus saepe de nonnullorum Theologiae Studiosorum socordiâ ac stoliditate conqueri solebat, qui nullam sanctioris disciplinae partem negligentius, quam *Ethicen*,

tractarent! Cujus neglectûs turpissima non raro indicia prodere, quas postea haberent, orationes sacras acerbe dolebat.

In *Theologiae Pastoralis* (ut de hujus quoque institutione verbulo dicam) plerisque capitibus Caroli Boersii *Enchiridion* ducem quodammodo sequebatur. A quo vero, ubi ad *Homileticam* gressum feceramus, plane recedens, de concionibus ad Christianos habendis copiosissime praecepit, ut hoc de argumento nihil fere plenius atque absolutius requireres. Quibus Scholis affines frequentissimae collocutiones de *Oratoriâ sacrâ* utrum majorem utilitatem habuerint, an suavitatem haud facile dixerim. Hoc unum affirmo, ad nullius unquam Rhetoris, nec antiqui nec recentioris, consessus majore jure *Horatianum* illud applicari potuisse: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.*

Vidimus igitur, quam multa eaque quam diversa pensa theologica Praeceptori Gelrica imposuerit Academia. Necdum tamen omnia recensuimus. Ultimo enim, quod in illâ egit, biennio *πάρεργον* accessit, cujus gravitas ac difficultas integrum nec aliis occupationibus distractum hominem optimo sibi jure requirere videbatur. Medio nimirum anno 1810 Harderovico Trajectum ad Rhenum migraverat Joannes Henricus Pareau, *linguarum Orientalium* atque *Antiquitatis Hebraicae* Professor, Vir variâ atque accuratâ doctrinâ cumulatissimus. Cujus Magistri exoptatissimi et in universam Rempublicam litteratam et in me singulatim meritis ac beneficiis alio loco justa solvere studui, nec tamen, ut par erat, persolvere potui (1). Cui quominus successor sufficeretur non profecto Curatorum obstitit voluntas, sed temporis iniquitas ac miseria. Vacantis igitur cathedrae alia pensa Ypejo, alia eaque, si quid video, difficiliora Clarissio mandârunt. Qui igitur illorum auctoritate, praeter theologicas, quas dixi, doctrinas, et *Hebraicas* ex professo docuit Litteras et *Chaldaicas* et *Arabicas*. Quas quidem tradentem

(1) Et alibi et *Hist. Ac. Gelr.* II. 538.

eum equidem audire non potui, qui his ipsis Litteris, Paravii sub auspiciis, quinquennium dedissem, et jamjam Academiae valedicturus essem. Nuperrime tamen *Prologos* legere contigit, quibus praemissis a. 1810 et 1811 memoratas aperuit Scholas. Unde denuo mihi et quantum his studiis tribueret apparuit, et quam recte in iis saperet. Nec enim antea ignoraveram philologicam etiam hanc ejus institutionem et auditoribus fructuosam fuisse, et ipsius nomini honorificam, et Henrici Alberti Schultensii (at quanti Viri!) disciplinâ dignam.

De Scholarum, quibus Theologiae sacris nos initiare conabatur, praestantiâ atque utilitate ex dictis satis jam tibi constitisse arbitror. Sed paullo disertius tamen *quomodo* docere solitus sit declarandum videtur. Ubi primum de re dicendum est, de cujus sane pretio in utramque partem disputari potest nec raro disputatum est. *Dictandi* igitur Scholas institutum non vehementer eum admiratum esse, testis est ad Ewaldium annotatio (1). Et vero in *exegeticis* in Novum Foedus atque, ut puto, *Semiticis* pensis plerumque liberiore utebatur ac minus adstrictâ docendi ratione. Nec aliter fecisse, ubi maturiore aetate Leidae *Theologiam Naturalem* praeibat, accepimus. Sed idem et *Dogmaticen* et *Ethicen* et *Encyclopaediam* et alia in calamum nobis dictabat. Et nos quidem eo in numero hujus institutionem Praeceptoris habebamus, ut, quo accuratius et quo plenius quaecunque tradiderat chartae mandare potuissemus, eo melius studiis nostris consultum putaremus.

Verum posteriore ejus tempore non prorsus defuisse discipulos novimus, qui, permulta rapide scribendi necessitate impositâ, aliquando fatigatos sese conquererentur et tantum non exhaustos. Nec me ipsum subinde optimi Viri patientiam admiratum esse diffiteor, qui tantam illam ingenii agilitatem atque alacritatem,

---

(1) Pag. 133—135.

cui paratissima praesto esset doctrinae copia, totas horas in taedioso dictandi penso ac pistrino continere potuerit. Sed consilii, quod hîc sequeretur, rationes ac caussas ita mihi expedire conatus sum. Id apprime Societatis Christianae interesse putabat, sanctioris disciplinae alumnos *Dogmatices* atque *Ethices* (nam his tantum utar doctrinis), notiones, partitiones, argumenta, locos non leviter, sed accurate tenere et suo quaeque ordine disposita animis complecti. Ita demum justam spem enasci, fore ut aliquando *οἰκοδεσπότην* referrent a Christo informatum, *ὅστις ἐκβάλλει ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ καινὰ καὶ παλαιά* (1). Hanc vero cognitionis subtilitatem non omnes certe discipulos assecuturos esse augurabatur, nisi doctrinarum, quas dixi, summam aliquam, plene et accurate scriptam illam, suoque Marte postea, sicubi videretur, locupletandam, in promtu haberent, quam domi sedatis mentibus legere ac relegere possent et commentare et imbibere. Quo modo cum judicaret, dictandi taedium devorare maluit, quam eam docendi rationem sequi, quae suo quidem sensui ac genio magis arrideret, sed eadem tardiorum ingeniorum modulo captuique minus attemperata esset. Quam consilii rationem si recte explicui, ut mihi fecisse videor, quis non tanti ac tam celeris ingenii Virum mecum laudabit, cujus patientia atque humanitas ad nostrae tenuitatem intelligentiae sic sese accommodare ac veluti demittere et posset et vellet? Neque enim eorum similis erat Professorum, qui, ubi subito objecta quaedam necessitas ab eleganter scriptis recedere cogebat, aut obmutescerent aut balbutirent. Quales Ruhnkenium fuisse aliosque magni nominis Doctores accepimus. Clarissius autem ipsis illis, quas plerumque calamo excipiendas tradebat, Scholis, sicubi jubebat animus neque id raro, summâ facilitate quaedam ex tempore interspergebat, caeteris nullo modo inferiora.

Et sane dignissima fuerunt quae curiose asservarentur vel hâc vel illâ ratione ab eo tradita. Nam, si quis unquam alius, hic

(1) *Matth.* XIII. 52.

certe accurate, concinne, subtiliter docebat. Illius nimirum animo nativa quaedam insita erat *Philosophia*, cujus luce quaecunque disputabat perfusa cernebantur. Prope dixerim, ubique *disjecta membra* videbas, non quidem, ut ille ait, *Poëtae*, sed *Philosophi*. Nisi forte confusarum aut non arcte nexarum disputationis partium suspicionem excitare posset minus considerata haec comparatio. Quare sic potius dicam: ubique lucidus erat ordo; ac dialecticam cogitandi subtilitatem spirabant prodebantque omnia. Singulis, quas tradere instituebat, doctrinis, accuratam praemittere consueverat totius argumenti σκιαγραφίαν, plurimis varii ordinis ac potestatis signis technicis litterisque distinctam; ubi ex suis quaeque principiis ducta ac repetita, ac ne minutissimam quidem disciplinae partem non notatam, non suo loco consignatam inveniebas. Nam argumenta minus accurate ac turbato ordine disponere, id fuisse vitium putaverim, quod, quo erat mentis acumine, vix aut ne vix quidem committere posset. Et vero quod in rerum cortice haerebat, nec in intimam illarum nucem ac medullam quantumpote penetrare studebat, hoc illi ἅμα ἀΐδαο πυλῆσιν invisum erat atque odiosum.

Sed humanis in rebus *nihil ab omni parte beatum est*. Et pulcherrimis quibusque virtutibus ac laudibus, nisi vitia, at minus bona ac perfecta proxime adhaerere novimus. Veluti Vir, de quo dicimus, acutissimus ac subtilissimus nonnullis justo altius res repetere videbatur, justo curiosius singula persequi et cum pulvisculo, quod ajunt, excutere. Per longe protracta certe, quibus absolvebantur Scholae, spatia factum est ut discipulorum Harderovicensium vix quisquam dilectissimi Praeceptoris *Dogmaticen* aut *Ethicen* sibi comparare potuerit, nullâ plane parte deficientem. Cui tamen incommodo postea medelam attulit maturior docentis experientia.

Verum si multas implebant paginas, quae scribenda tradebat, dictata, ex rerum accurate tractatarum copiâ atque ubertate hic eorum modus atque ambitus exsistebat, non ex verborum inani multitudine ac profusione, non ex stili tarde repentis ullo aliquo

languore. Quod cujusmodi esset nobis, tunc ipsius disciplinâ usis, luculenter per comparationem apparuit Clarissii dictatorum cum Ypeji, quem eodem illo tempore alterum Theologiae Praeceptorem habere contingebat. Hic enim homo optimus idemque in Ecclesiae, patriae imprimis, historiâ versatissimus, quem vernacule scribentem admodum diluto stilo usum fuisse novimus, haud aliter ex cathedrâ Latine dicebat. Et ipse enim non pauca in calamum dictans, ita maxime cum elegantiae, tum perspicuitati sese operam daturum esse putabat, itaque optime studiis nostris prospectum iri, si, verba verbis periodos periodis cumulans, easdem aut non multum diversas res iterum iterumque repeteret et vocabulorum veluti flumine inundaret. Nec mirum igitur paucos aliquos fuisse Studiosos, Latinae linguae levi tantum cognitione tinctos, qui Ypeji *Dogmaticen* faciliorem sibi ad percipiendum accidere, quam Clarissianam, affirmarent eamque adeo huic quodammodo praeferrent. Verum quotquot magis subacta Litteris ingenia habebant, quamvis Ypeji doctrinam, humanitatem, facilitatem magni facerent, tamen Clarissium imprimis divino munere ac beneficio studiorum ducem sibi obtigisse laetabantur.

De hujus institutione hoc unum adjicere juvat. Et aliis in Scholis et dogmaticis permultos laudare solebat, qui eadem argumenta tractâssent, librorum auctores, veteres, recentiores, novissimos. Quod eum minime ad doctrinae jactationem contulisse dicere non attinet. Quid enim caussae habebat cur nobis adolescentibus, quos sponte incredibilem suam admirari eruditionem haud ignorabat, ambitiosius sese venditaret? Enimvero, accurate commonstratis doctrinarum fontibus, providere voluit ut, sicubi plura et uberiora cognoscere cuperemus, ne per quaerendi molestiam deterreremur aut operam luderemus. Atque haec de Scholis dicta sunto; quas si admiratus sum adolescens, magis etiam nunc admiror senectuti propior, quam adolescentiae.

Sed si nobis imprimis discipulis illius profuit statio Harderovicena; nec fructibus ea caruit in societatem vel litteratam vel sacram redundantibus. In quibus symbolas fuisse, quibus, ineunte hoc ipso tempore, *Litteraturae theologicae Bibliothecam* ornare pergeret, non est quod iterum memorem. Verum sub initio anni 1806 vernacule edi coeptus est *Censor, ipsorum etiam Censorum* (1). Sic enim *Promtuarium* appellare placuit, menstruis particulis distributum, quod non, uti caetera in hoc genere opera, solas mixti argumenti commentationes librorumque recens editorum censuras continebat; sed item aliorum Censorum judicia vel confirmando, vel confutando retractabat, auctoribusque iniquius se habitos conquestis, publice caussam suam tuendi spatium dabat ac locum. Cui utilissimo instituto multos per annos idque, nisi fallor, quamdiu vixit, praefuit Guilielmus Antonius Ockerse, qui, variis muneribus, primum sacris tum civilibus, perfunctus variâque fortunâ jactatus, diu Amstelodami privatus degebat. Ingenio Vir elegantissimo ac philosopho, doctrinâ locupleti, editis anthropologici argumenti libris ita clarus, ut nostratum nemo magis. — Hic igitur de opere, quod dixi, condendo cum nemine prius consilia contulit, quam cum Clarissio; cui vetere eum amicitiâ junctum fuisse, quam civilibus de rebus dissensio non restinxerit, parentalia docent, quibus illius memoriam hic celebravit (2). In consilii societatem adsumti sunt Kemperus, Brinkius, Reinwardtius, Professores Harderoviceni. Quamquam alios etiam nonnullos fuisse suspicor (3). Sed noli dubitare, quin Clarissii potissi-

---

(1) Vernacule: *De Recensent, ook der Recensenten.* Qui titulus cum saepius nobis nuncupandus esset, plerumque, brevitatis caussâ, reposuimus : *Censor Censorum.*

(2) Vid. *bekn. levensberigt aangaande* W. A. O. *vóór diens Vruchten en Resultaten van een 60jarig leven*, Tom. III; ubi p. 105 seqq. de anthropologicis Ockersii scriptis lectu dignissima reperiuntur.

(3) Propriis certe operis locis Censorum, qui tum erant, errores ac vitia per unum alterumque annum notavit cl. H. G. Tydeman, Juris tunc Antecessor Franequeranus, cujus in hoc genere animadversiones inscriptionem habent vernaculam : *Journaal-Kritiek.*

mum sub auspiciis, quod supra jam aliud agens monui, sit editum Promtuarium. Cujus cum, ante intermissum aliquamdiu per Francogallorum tyrannidem opus, *sena* prodierint *Volumina;* ad singula illa neminem fuisse qui tot conferret, tam varias, tam locupletes doctasque et censuras et alias symbolas, quam Praeceptorem, asseverare non vereor. Nec vero hocce temporis spatio terminatam esse, quam huicce *Censori* impendit, operam postea nobis constabit.

Quamvis autem magnam subsecivi temporis Harderovicensi partem criticum hoc sibi munus vindicaret, non ita tamen id hominem tenuit indefessum, quin accuratissimam etiam operam in Anglice scripto Paleji libro collocaret, quo *ex naturae visis Dei vita virtutesque probantur.* Nam non interpretis tantum officio functus est; sed, doctissimo praemisso prologo ac copiosissimâ subjectâ annotatione, auctoris dicta atque argumenta et explicuit et confirmavit et supplevit et ex pleniore rerum naturalium cognitione emendavit. Gratulemur igitur Paleji memoriae oportet, cujus operi talis interpretis industriâ ac curis novae neque exiguae laudum dotes accesserint (1).

---

(1) En editionis Batavae titulum: *Natuurlijke Godgeleerdheid, of bewijzen voor het aanwezen en de volmaaktheden der Godheid, afgeleid uit de verschijnselen der natuur, door* W. Paley. *Uit het Eng. vert. en met eenige bijvoegsels en aanmerkk. vermeerderd door* J. Cl.; *Amst* 1810. Operis argumentum accurate declaratur atque interpretis opera justis laudibus praedicatur in: *Tijdschr. van Kunsten en Wetensch. van het Depart. der Zuiderzee,* 1812. 1. p. 289 et 337. — Liber uno quidem Volumine constrictus est, sed amplius 900 paginas continet, quarum ducentae fere Clarissianum continent vel prologum vel annotationem.

Nuperrime exstitit aliquis, qui, in *Athenaeo*, Anglice scripto opere, plagii commissi Palejum incusaret. Quem, cum Bernardi Nieuwentyt nostratis *piam mundi Contemplationem* ex Anglicâ Chamberlaynii interpretatione cognitam haberet, illius scrinia turpiter compilâsse arguit. Mihi vero Duumviris clarissimis assentiendum videtur *Instituti Nederlandici* Delegatis; qui, utroque opere diligenter comparato, plagii crimine Palejum absolvendum putârunt. Neque enim facile Clarissium crediderim, qui et magnam cum utriusque libro familiaritatem contraxisset, et in furtis lit-

Qualem operam, Enchusae degens, paraenetico dederit Ewaldii operi supra vidimus. Simili igitur ratione jam in Rosenmulleri libro versatus est, quem nonnulli Ewaldiani illius continuationem dixerunt, magnam certe argumenti ac formae affinitatem habere constat. Neque enim hujus moles atque ambitus a convertendi labore deterruit. Quamquam hîc quidem solas interpretis partes egisse, nec auctorem emendâsse videtur (1).

Tandem *orationum sacrarum* Fasciculo, superiore in statione edito, longam post dubitationem lectorum studiis morem gerens, *alterum* jam subjecit, quem, nisi praestantiorem etiam, iisdem certe laudibus dignum omnes existimârunt (2).

Sed, quando praecipuorum, quae Harderovici degens edidit

---

teratis vel indagandis vel judicandis acerrimus esset, aut nusquam suis vestigiis furem odorâsse aut, cum odoraret, nusquam reum egisse. De omni hâc re plura vidd. in: *Konst- en Letterbode,* 1848, N°. 38 et 42; ubi memorabilia leguntur.

Ipsum Paleji opus quam saepe et Anglice editum sit et alias in linguas conversum, copiose docuit Cl. *Epit. Encycl. theol.* p. 411 et 643. Add. autem editio Germanica quae, cum Broughamii et Bellii additamentis, auctore H. Hauff, emissa est *Stuttg.* et *Tub.* 1837. 8.

(1) J. G. Rosenmüller, *christ. Huis- en Handboek, behelzende overdenkingen over de voorn. waarh. van den godsdienst, voor elken dag des jaars. Vert. door* J. Cl. *D.* 1. *Amst.* 1806. Universum opus IV Tomis continetur. V. *Cens. Cens*s. II. 484. — Non diu antea eâdem ex linguâ Germ. converterat, atque *Hornae* edendum curaverat Lavateri opus: *Pontius Pilatus, of de Bijbel in 't klein en de Mensch in 't groot; Tom.* I. Cujus quidem interpretem non diserte sese professus erat, sed tamen satis manifesto se prodidit, scriptâ ac memorati *Censoris* Tomo I. p. 143 sqq. et 543 sqq. insertâ defensione interpretis doctissimâ. Quae utrum Clarissium auctorem habeat, nemo, qui hujus ingenium stilumque noverit, dubitabit. Quod enim a *Censoris* scriptoribus diversum se fingit, alienam personam suscipientis lepida haec fabula est.

(2) Ipsissimum hoc judicium est Censoris in: *Tijdschr. van Kunsten en Wet. voor het Dep. der Zuiderz.* 1812. 1. p. 297. Cujus tamen Censoris nonnullae animadversiones me quidem probantem non habent.

ipse, scriptorum brevem feci mentionem, dissertationem etiam optimae frugis commemorare juvat, ad quam scribendam atque ibidem publice defendendam discipulum dilectissimum auctoritate impulit, consiliis atque operâ et auxilio efficacissimo adjuvandum curavit. Commentationem dico, quâ, a. 1807, Clarissio Praeside, Guilielmus Huibertus van Griethuysen *quarti Euangelii* germanam originem adversus antiquiorum ac recentiorum, quae adhuc proditae erant, dubitationes objectionesque strenue tuitus est. Hanc enim accurate diligenterque scriptam esse dissertationem ac disciplinae Clarissianae praestantiam commonstrare, una fuit et consentiens intelligentium vox et testimonium. Nec profecto asseverare dubito si, quae ibi pro *Joanne*, Euangelii auctore, afferuntur argumenta, accurate perpendissent Bretschneiderus, Strauszius, Baurus aliique, quos hoc seculum extulit gravissimi scripti vituperatores, eos non ita temere atque inconsiderate ab Apostolo illud abjudicaturos fuisse (1).

Amico quantopere placuerit et quam accepta fuerit Gelrica haec statio, satis superque jam dicta docuerunt. Sed quidni in certiorem rei fidem ipso auctore utemur? Qui *in illius memoriam nunquam sine incredibili vel voluptatis vel desiderii sensu se redire,* oratione Leidensi inaugurali palam declaravit (2).

---

(1) Commentatio, quae ne nunc quidem antiquata censenda est aut lectu indigna, inscribitur: *Pro Euang. Joannei αὐθεντίᾳ diss.; quam*, *Praes.* J. Cl., *defendit* G. H. v. Gr.; *Hard.* 1807. 8. De quâ accuratissime retulit, aliorum etiam Censorum honorifica memorans judicia, Praeses ipse *Cens. Censs.* III. 740 sqq. Qui quod nonnulla vel reprehendit, vel ab auctore adjicienda fuisse dicit, fecit imprimis quo probabilius alieni hominis personam tueretur.

(2) *Oratt. duarum* supra laudd. (L. B. 1815) p. 27. Eodem loco pro illius collapsae redintegratione vota nuncupavit, quae, quamvis vana, tamen constantissimum ejus amorem testificarentur. Atque alibi eam *cum Doctoribus*

Quem desiderii sensum, quin amoris ardorem nullam exstinxisse aut refrigerâsse temporis diuturnitatem, et mihi saepe alias, et omnibus Academiae Harderovicenae alumnis luculenter apparuit quo die aliquot ante annos, optimo hoc praesente ac consorte Praeceptore, lugubri festo, prostratae Palladis memoriam recoluimus. Harderovici enim, ut hinc ordiar, numerosâ prole beatus Pater, ingenii vigore atque alacritate utrumque parentem referente, ad praeclaram spem omnibus succrescere visâ, eâ vixit incolumitate, ut nullis dum gravioribus domum oppressam sentiret cladibus. Cum praesertim binorum, quos nunc jam acerbe luxit, infantum mortem compensaret, leniret certe caeterorum prosperitas liberorum. Nec minus felix ibi contigit vita publica. Nam quot vel sacrarum concionum vel Scholarum auditores habuit, non multum abest quin totidem habuerit admiratores. Quamquam id imprimis gavisus est Vir generosus, vulgi auram non captans ille, quod juvenes non deesse videret discendi cupidos, quorum studiis vitaeque universae sua prodesset disciplina. Laudibus suis faventem habuit Ypejum. Qui alteram ornabat Theologiae cathedram, non doctus magis Theologus, quam homo bonus; cujus in candido pectore fuci nihil, nihil invidiae, nihil aemulationis, quocum quam conjuncte vixerit ipse testis exstitit locuples (1). Sed omnes, quos tunc Harderovicum habebat, Professores firmum copulatos tenuit concordiae vinculum. In quibus cum et alii essent, et Kemperus, Brinkius, Reinwardtius; cum his imprimis familiariter conversatus est Clarissius. Ne de Nieuhovio dicam, Philosopho sene, cujus aetatem ac merita omnes suspiciebant. Quibus Collegis cum a. 1810 aggregatus esset Medicinae Professor Bernardus Franciscus Suerman, cum hoc continuo fraternae familiaritatis societatem ac foedus contraxit. Quae sanctissime culta amicitia *per sex et triginta annorum spatium utriusque mala*

---

tum discipulis gratissimam ac jucundissimam fuisse sedem affirmavit. V. *Cens. Censs.* XV. 63 *recc.*

(1) Vid. modo antea laud. or. Leidensis sub finem.

lenivit doloresque et aerumnas consolata est, ac solâ Clarissii *morte dirumpi potuit* (1). Nec aliud intimorum par me cognoscere memini, qui praesertim adultâ demum aetate conjuncti essent, atque in dispari studiorum ratione ac vitae genere versarentur, quorum ita plane omnia communia fecerit amicitia. — Verum non Professorum tantum, sed item religionis Antistitum, quos illic invenerat, coluit amicitiam. In quibus, ne de Patre meo dicam, fuit imprimis Joannes Guilielmus Tilanus, pari Vir ingenii liberalitate ac doctrinae subtilitate, quem, nisi domestica mala labefactâssent ac saepius afflicta valetudo, in claris adeo Theologis numeraturi fuissent aequales (2).

Atque ita, per octo et quod excurrebat annos, carissimus nobis Praeceptor vitam egerat sibi dulcem, amicis acceptam, Ecclesiae bonisque Litteris fructuosissimam, discipulis imprimis longe utilissimam. Verum tam laetam illam vitae studiorumque amoenitatem, tam uberes illos muneris feliciter gesti fructus, medio fere anno 1812, praeter jus ac fas intercepit ac praecidit Napoleontis, Francogallorum Imperatoris, qui nuperrime Nederlandos etiam plane subjugârat, tyrannica dominatio ac voluntas inexorabilis. Per quam quâ ratione et quibus veluti gradibus Gelrorum Academia, quae duo amplius secula bonae mentis officina fuerat, proscripta sit atque exstincta, alibi nos copiose narrare meminimus. Neque igitur est, quod renovandâ narratione infandum renovemus dolorem. Clarissio quidem, de quo solo nunc dicimus, quo jucundior haec statio obtigerat ac permanserat, eo tristior atque acerbior casus accidere debuit, qui uno eoque fatali ictu et Patrem eundemque conjugem aman-

---

(1) Si hîc dicta repono, quibus, *Hist. Ac. Gelr.* II. 558, intimam hanc utriusque amicitiam descripsi, facio quando quae nunc, meis verbis usus, dicere poteram minorem haberent auctoritatem.

(2) Tilanum *nunquam sibi obliviscendum* dixit Cl. in *Cens. Censs.* XIII. 18. Plura de illo vidd. modo memoratâ in *Historiâ*, II, 451 sq.

tissimum necessariis ad alendam familiam subsidiis privaret, et discipulorum amore cathedrae devinctum Professorem honoris loco deturbaret, et Theologum sanctissimis in studiis habitantem munere removeret, cui non hominum potius suffragiis lectus erat, quam ipsius Dei immortalis manu et moderatione formatus atque educatus. Quo major divinae gratia est habenda Providentiae, quae nec tam diram per cladem constantissimi hominis animum dejici frangique passa est, et ipsi, per tristissimum Academiae naufragium expulso, in Ecclesiae veluti portu tutum atque honestum refugium paravit asylumque.

CAPUT QUINTUM.

DE STATIONE ROTERODAMENSI.

Illius, qui Patriae tristissimus exstitit, anni 1812 verno tempore plane conclamatam esse Academiae Gelricae salutem, nemo erat qui ignoraret. Cujus si nondum occlusa erant auditoria, una morae caussa fuit, quod quo potissimum tempore ac die, Imperatoris ex decreto, abroganda foret Academia dubitabant ac litigabant Francogallorum potestatis Administri ac Satellites. Neque ulla magnopere cura Professorum miseriae leniendae, nedum jacturae compensandae, duros tangebat *Ajaces*.

Sed in ipsis his temporum publicorum ac privatorum tenebris necopinata quaedam, quamvis obnubila, Clarissio ejusque afflictae familiae lux oborta est, honorifica primariae urbis, eum sibi conciliare conantis, invitatio. Nullâ enim gratiam aucupatâ prensatione, Reformatorum *Roterodamensium* Synedri ut suo se coetui praefici sineret rogârunt, eumque solenniter evocârunt. O singularem atque omnium laudibus dignam Moderatorum sapientiam et vigilantiam, qui tam clarum illud Ecclesiae lumen per Tyranni feritatem plane exstingui non paterentur, atque eo id loco collocandum curarent, qui permultorum animos purâ Euangelii luce collustrandi paratam offerret opportunitatem! — Honorifice ac suâ plane sponte evocantibus parendum fuisse quis

dubitabit? Neque enim, quae jam tristissima erant rerum adjuncta, renuere poterat, nisi sibi suisque et, cui uni se totum obstrinxerat, Ecclesiae turpiter deesse, atque inerti otio aetatis vigorem floremque consumere voluisset. Nec tamen prius demandatam capessere placuit provinciam, quam plane exstincta esset, cui vivae valedicere noluerat, Academia (1).

Collectis igitur sarcinis, ineunte m. Julio ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ cum uxore liberisque Harderovico Roterodamum migravit. Ubi, undevigesimo mensis die, auspicando muneri orationem habuit aditialem. Cujus a me lustrato periculo sive, ut vulgo vocant, *schemati* classicum hoc Joannis dictum praescriptum vidi: »*Filioli mei! haec vobis scribo ut non peccetis. Quodsi quis* »*peccaverit, Patronum habemus ad Patrem J. C. justum, qui* »*idem piaculum est peccatorum nostrorum, nec solum nostrorum,* »*sed etiam totius mundi* (2)." Quem locum quod huic potissimum solenni occasioni adhibebat, ita consilii rationes exponit ipse: »*Quid et quale*," inquit, »*eorum, quae Euangelii nuntiis* »*tradenda incumbunt, summum sit habendum ac praecipuum ar*»*gumentum, hoc loco diserte admodum docet Apostolus. Enim*»*vero inter vos, Auditores! haud deesse comperi, qui Joanni ita* »*non assentiant, ut alii doctrinam de expiatis Christi sanguine* »*hominum peccatis sibi annuntiari nolint; alii contra hanc qui*»*dem unice probent doctrinam atque amplectantur, sed aegre fe*»*rant atque indignentur, si morum doctrinam virtutisque praecepta* »*singulatim exposita audiunt ac commendata. Ego vero, et ab* »illorum *et ab* horum *opinionibus quantopere abhorream nunc* »*jam vobis ostendendi ac demonstrandi quaerens occasionem,* »*hâc ipsâ de caussâ Joanneum hunc locum continuo mihi pro* »*concione tractandum sumsi. Quo facto, primâ hâc oblatâ* »*dicendi horâ, totum me vobis aperire volui, ne forte qualis sim* »*et quae sentiam ignoretis.*"

---

(1) Hîc conferat si quis velit *Hist. Ac. Gelr.* II. 475 sqq.

(2) Locum 1 *Joann.* II. 1. 2 ex Castellionis interpretatione reposui; quae utrum omnes veri numeros habeat nunc quaerere non vacat.

En vobis candidum ac cordatum Domini Ministrum, qui, nemini se venditans nec cujusquam gratiam aucupatus, omnibus prodesse, omnes Christo lucri facere niteretur. Atque eundem Oratoris candorem alia spirant ejus dicta, quibus munerum illam, quâ uni denuo coetui adstringeretur, commutationem habuisse profitetur, quod ad sensum suum, nisi injucundum, at novum atque insuetum acciderit. Sed quam sensûs molestiam obruerit ac depulerit Dei immortalis, huc sese evocantis, cogitatio ac veneratio.

Immo nunc etiam bene, quin optime secum actum esse reputabat Vir pius, divinitus adsignatâ sorte semper contentus. Multis enim post annis profitentem eum audimus, »*exsulem sese* »*academicum per tres annos admodum jucunde, quantum sineret* »*temporum iniquitas, Roterodami commoratum esse, et, quod* »*modeste sperabat, haud sine aliquo utilitatis fructu, coetûs* »*Christiani Pastorem egisse* (1)." Quid, quod a. 1815, *in pristinam restitutus dignitatem splendidumque Theologi munus in inclytâ Academiâ* Leidensi *solenni oratione auspicaturus*, minus hilarem laetumque, quem ore ac vultu prodebat, animi sensum sic apud auditores excusandum duxit: »*Quippe huc* »*profecturo*," inquit, »*linquenda fuerunt tot mihi carissima.* »*Linquendum dulce Roterodamum, florentissima civitas et hos-* »*pitalitatis laude imprimis clara; linquendus humanissimus coe-* »*tus meique amantissimus; linquendi Collegae dilectissimi, qui* »*quo me loco numeroque habuerint, ipsâ suâ hîc praesentiâ* »*satis declarant; linquendi amici nec numero pauci et in rebus* »*incertis certissimi* (2)."

Eosdem autem propensissimae voluntatis in hunc coetum sen-

(1) *Epit. Encycl. theol. praefat.* p. XXI.

(2) Vid. *orat. de Theologo vere liberali* principium. — In iis, quibus nunc valedixerat, Collegis fuit Thomas Hoog, quem, *annot. ad or. illam* p. 65, *Amicum* dixit *integerrimum.*

sus atque amoris constantissimi motus spirant, quas videre mihi contigit, orationes, Roterodamensium in templis vel a Pastore habitae, vel postea a Professore cathedrae reddito: nam posterioris quoque hujus generis haud paucas fuisse comperi. A quibus legendis ita fere affectus abii, ut hanc sponte vocem erumperem: En profecto tibi hominem *οὐχ ὅτι ἡ ἀνάγκη ἐπικεῖται εὐαγγελιζόμενον, ἀλλ' ἑκόντα.* Modo enim *Roterodami* actos dies *nullo non tempore in eorum numero sese habiturum esse declarat, quos vita habuerit acceptissimos* (1). Modo quam libenter in dierum illorum memoriam redeat, non verbis magis quam re et facto, demonstrat, ubi, per quinque et viginti annorum spatium sancto functus Ministerio, Leidâ Roterodamum proficiscitur, ut hujus potissimum urbis coetum, quem *a religionis amore* diserte laudat, grati sui erga Deum animi testem sociumque faciat, atque in fraternam precum suarum communionem advocet (2). Modo, ne plura memorem, edendis, quas ibidem pronuntiârat, concionibus sacris id haud ultimum sibi propositum fuisse consilium asseverat, ut quo loco numeroque coetum haberet ostendere posset, *qui, Imperatoris per decretum academici muneris cursu interrupto ac suspenso, sibi provinciam demandâsset, quae ad dignitatem ambitumque gravis esset ac multa complexa, ad animi sensum grata suavisque* (3).

---

(1) Ipsissima haecce verba in oratione reperiuntur valedictoriâ Roterodamensi.

(2) Factum hoc esse comperi m. Septembri a. 1817. Ubi, laeto quem dixi die, Roterodami de *Psalmo* L. 14 orationem habuit, cujus lectio in admirationem me rapuit pietatis in Deum hominesque, modestiae, tum animi grati suâque sorte contenti; quas singulas virtutes fere dixerim singula testificari Oratoris verba. — A *religionis* potissimum *amore* idem laudatur coetus *pentecostali* in concione, ibidem a. 1823 pronuntiatâ, de 2 Corinth. III. 17ª. *Ubi Domini Spiritus, ibi libertas est.*

(3) Vid. praefatio Fasciculi, qui inscribitur: *Viertal leerredenen, naar aanleiding der heuglijke omwenteling in ons Vaderland, door* J. Cl., *Theol. et Herm. S. Professor, thans Pred. te Rott. ibid.* 1814. — Quod hîc *professorii* sui muneris cursum *suspensum* seseque nunc etiam *Professorem* dixerat; fuit ut accepi, qui aegrius ferret aliquis, aliâ quâ de caussâ Viro optimo succensens.

Ubi hoc etiam memorabile visum est, quod semel iterumque et ter exquisitissimis verbis *pietatis exercitationem,* laudat praedicatque, memorato vel maxime propriam coetui, quâ singulis quibusque diei Domini vesperis ad *preces publicas* (a quibus ipsis hi dicuntur conventus) solenniore modo pronuntiandas coire solent Christiani. Quod ipsum institutum, *alibi frustra desideratum commendatumque illud,* sibimet ipsi saepius ad bona quaevis animi sensa alenda fructuosum fuisse profitetur, et omnino retinendum tuendumque videri.

Quam religiose nunc etiam *id egerit* Amicus, quod cum maxime agendum imponebat Deus, luculenter, si quid video, dicta docent. Nec ita tamen in muneris, ad tempus commissi, partibus obeundis acquievit, ut ea persequendi negligeret opportunitates, quae cum depositâ dignitate conjunctiora erant. Anno enim 1814 uberrimum edidit *de Eloquentia sacrâ* librum, ex Ewaldii quidem opere Germanico nostram in linguam conversum, sed quem ipsum haud minore profecto jure *Clarissianum* dicas, quam *Ewaldianum.* Qui enim *copiosam* tantummodo *annotationem* sese adjecisse in titulo profitetur, Praeceptor noster non solum Auctoris, quem sequitur, monita ac praecepta, sicubi opus erat, emendavit, passim illustravit confirmavitque; sed idem tantâ liberalitate ea auxit ac locupletavit, ut plane novus interpretis manu liber exiisse videatur. Qui quanto plus etiam repetitis postea ejusdem curis debuerit, non hujus loci est memorare. Nec est quod mireris, *senis* opus dedicatum esse *discipulis,* quibus primis Harderovici tradiderat Eloquentiae sacrae viam ac rationem. Diserte enim docente praefatione, haec ipsa fuerat disciplina, quae ad conver-

---

Ignorabat nimirum cavillator, quâ de re humaniter me monuit doctiss. Bodel Nyenhuis, hoc pristinae dignitatis ornamentum retinuisse Amicum, ut *Universitatis Imperii Francogallici Socius* seu *Doctor* (*Officier*) ab ipso salutaretur illius Magno Magistro. Cui igitur; quocunque vellet, docendi caussâ mittere illum ac delegare integrum censebatur. Quo certius nihil, nisi quod jure competeret, eum sibi sumsisse apparet.

tendum librum ac commentandum alterius hujus Auctoris animum impulisset (1).

Verum Gelricorum haec mentio discipulorum in eorum me adducit cogitationem, quibus in eâ, ubi cum maxime degebat, civitate eodem uti contigit optimo Magistro. Indicis enim accuratissimi consulendi copiam fecit Itersonii humanitas, quo, suae ipse memoriae subventurus, Clarissius omnium, quos vel Harderovici habuerat, vel Roterodami, vel Leidae discipulorum nomina ac plerorumque curriculum consignaverat. Quo igitur ex indice triennii, quo Mosae fluvii fuit accola, spatio quatuordecim certe fuisse juvenes mihi constitit, quorum animos vel *Encyclopaediâ theologicâ* tradendâ, vel singularibus nonnullis sacrae disciplinae partibus, vel aliarum artium doctrinis excoleret atque erudiret. Quibus in alumnis, ne viventes adhuc nuncupem doctrinae laude florentes, filius fuit Theodorus Adrianus, futurus ille Theologus Groninganus (2). Atque hoc novo liquet documento, quam cupide ac propense, quidni potius dixerim quam humaniter ac benevole? nullo etiam officii vinculo constringente, inexhaustae doctrinae quâ abundabat, ex fontibus adolescentum veluti hortulos irrigare sine intermissione studuerit ac consueverit.

---

(1) Hujusce libri: *Lessen over de uiterl. Kanselwelsprekendheid, met breedv. aanteekk. door* J. Cl. prior editio (*Zutph.* 1814) publice dicata est tribus illius discipulis jam defunctis, D. Tijssen, Past. tunc Keppeliensi, postea Leovardiensi, E. Kreenen, Past. Velpensi, A. van Vloten, Pastori tunc Windeshemiensi, postea Alcmariensi; tum Viris venerandis adhuc viventibus, G. H. Arntzen, cum maxime Past. emerito Woudrichemensi, et G. H. van Griethuysen, Past. emerito Hasseltano. Quibus idem, quod mihi, qui hâc in tabellâ sextus eram, apprecor, felicem reliquam vitam facilemque et beatum, duce atque adjutore Christo, ex vitâ exitum!

(2) *Epit. Encycl. theol. praef.* l. l. »*Roterodami sese degentem nonnullos ju*»*venes ad academicas lectiones privatâ institutione praeparare conatum esse*" narrantem audimus. Atque ibi singulatim *Encycl. theol.* a se traditam esse eodem loco refert.

Nec soli fuerunt adolescentes ingenui, quos eâ in statione collocatus, docendo demereret. Nam item ad alios, aetate provectiores eosque quos vitae genus a perpetuo disciplinarum studio exclusos tenebat, eâdem tempestate liberalioris doctrinae lucem aliquam propagare conabatur. Quo saluberrimo consilio, haud unâ studiose audiente Roterodamensium Societate, sive *Litterarum elegantiorum* amorem, seu *salutis publicae* curam professâ, modo in hoc, modo in illo auditorio, plures habuit orationes. Quarum nonnullae varii argumenti, postmodum emissae, et quantâ facilitate diversissimas in partes stilum convertere posset demonstrârunt, et vero quam sapienter temperatis jocorum blanditiis atque invitamentis vel maxime seriarum admonitionum gravitati viam parare ac gratiam conciliare.

Atque ita per triennii fere spatium, ad Mosae fluminis ostium habitans, vitam egit, pro temporum ratione, in maximis Europae Patriaeque conversionibus, spe atque exspectatione quietiorem magisque tranquillam. Quae illius vita et aliis nominibus utilissima, et Christianorum imprimis gregi, qui secundum Amstelodamensem apud nos quidem maximus est, oppido fructuosa fuit nec minus accepta. Nec dicere attinet, ampla haec multaque Pastoris officia requirens statio quam eximie comparata fuerit ad ipsum rerum sacrarum, cum Antistitum munere conjunctarum, experientiâ ac cognitione augendum cumulandumque. Atque ita ad formandos docendosque, quibus praeiturus erat, sanctissimi Ministerii tirones a Dei Providentiâ novâ veluti Scholâ formabatur ac docebatur ipse. Nec enim diutius Batavorum Athenae tali luce destitui fas erat. Sicuti igitur olim Harderovico Enchusa, ita nunc Leidae eum cedere debuit Roterodamum. Sed cui civitati, quamdiu poterat, doctrinâ monitisque profuit, nec antea quam illuc migrandi tempus proxime sibi instare videret, amantissime valedixit. Quod, ineunte anni 1815 aestate, ita solenni ritu fecit, ut orationis, quae muneris conclusionem ha-

bebat, initium atque argumentum duceret a *Lucae* narratione; qui, *Actt. App.* XX. 36, de *Paullo:* »*Haec locutus,*" inquit, »*positis genibus cum illis omnibus supplicavit.*" Quem profecto locum eo meliore jure ad rem praesentem applicare licuit, quandoquidem, sicuti in antegressâ ad Ephesios oratione valedictoriâ de sese asseverârat *Apostolus*, ita ipse quoque *nihil parserat omne* auditoribus *Dei declarare consilium*, *ac per triennium noctes et dies unumquemque admonere non intermiserat* (1).

(1) V. *Actt.* XX. 27. 31.

CAPUT SEXTUM.

DE PROFESSIONE LUGDUNO-BATAVA.

Sicuti ante triennium una cum Patriâ miserrimâ ceciderat ab Amico occupata cathedra; ita, haud diu post illam feliciter restitutam, non in eandem quidem, sed multo ampliorem in aliam, quo virtus vocabant ac melior Deus, honorifice evectus est. Leidensis enim Academia verno anni 1814 tempore exstinctum luxerat Boersium, Theologum veteranum. Atque in eo erat ut rude donaretur Te Waterus, Ordinis ejusdem decus, vegetus quidem ille viridisque senex, sed senex idem grandaevus. Ne igitur detrimenti quid sacra caperet disciplina, quo potissimum tempore de amplificandis agebatur rebus academicis, sub anni quem dixi finem, prudenter decrevit, qui regiâ potestate Nederlandis praeerat, Princeps Arausionensis Theologis Leidensibus socios nominare atque aggregare ordinarios (1) Clarissium et Suringarium. *Hunc* enim et sua merita commendabant et gratiosissima tunc Voorstii Praeceptoris suffragatio. *Illum*, quem Lingenses, Groningani, Franequerani sibi frustra expetierant, quem eundem octo per annos continuos in Academiae suae

(1) Idem eodem fere tempore honos obtigit Borgero, adhuc Theologo extra ordinem.

Statoribus Gelria numeraverat; illum igitur summâ sine injuriâ nemini postponi posse, unanimis omnium vox erat ac judicium. Plures autem abierant menses, anteaquam, gravissimis expeditis, quae adhuc sibi mandata habuerant, negotiis, alter Roterodamo, alter Lingâ Leidam migrare potuit. Nam die demum 12 *Junii* a. 1815 Clarissius, postridie Collega recens advena, suam uterque habuit orationem inauguralem. *Illi* autem (nam de praestantissimo Suringario dixerunt alii) tam lugubre ac nefastum acciderat iter brevissimum, quam pauca longiora solent esse ac difficiliora itinera. Quod cujusmodi fuerit, flebiliter narrantem audiamus Patrem moestissimum.

Post memoratam igitur ab amicis Roterodamensibus discessionem: » *Vixdum ab eorum lacrimis atque amplexibus*" (ita fere ait) » *me subtraxeram, atque ex acutissimo tristitiae sensu* » *parumper me collegeram, cum, ecce! ipso in itinere gravissime* » *denuo affligor. Suavissimus enim filiolus, vix novem menses* » *natus, at praeclarae jam nunc, uti nobis quidem videbatur,* » *spei puerulus, in hujus urbis propinquitate, quin sub ipsis fere* » *moenibus, immaturâ morte oppressus, exstinctus est. Itaque* » *ut primum in novas aedes pedem cum familiâ intuleram, con-* » *tinuo, reliquis omnibus rebus posthabitis, de efferendo acerbo* » *dilecti infantis funere cogitare coactus sum* (1)." En longe graviorum etiam cladium, quarum in Amici domo testis futura erat Leida, triste augurium!

Sed quamvis vehementer necopinato casu conturbatum se sentiret ac profiteretur, strenue tamen atque eloquenter dixit Orator, cujus constantiam nullae facile lacrimae suffundere poterant atque obruere. Sicuti autem sacris concionibus, majore nescio ingenio an sapientiâ, argumenta tractanda sumere consueverat ad rerum praesentium opportunitates cursumque mire attemperata; ita eandem nunc, academicam hanc habiturus orationem, secutus

---

(1) Vid. *Or. inaug. Leid.* sub initium. — Roterodamo Leidam profecti atque ordinario publici usûs navigio vecti, Parentes Voorschotae puerulum, qui malignâ tussi laborabat, exspirantem viderunt.

est prudentiam. Nam primo hoc instauratarum Europae rerum tempore Regum Principumque, qui adversus *Napoleontem* arma consociaverant, politica *liberalitas* a plerisque impense celebrabatur. A quâ igitur eorum generositate praedicandâ profectus, ad informandum ac laudandum *Theologum vere liberalem* commodam facilemque sibi viam paravit. Atque hujus ad vivum depingens imaginem, eâdem operâ monita dedit saluberrima; quibus si omnes parerent Theologi, quanto minoribus litibus ac discidiis discerptam, quanto paucioribus ineptiis inquinatam cerneremus sacrosanctam Christi Societatem!

Verum eandem, quam inaugurationis dies, prudentiam oratoriam septimo post anno academicae *Rectionis* prodidit abdicatio. Ubi *de conjungendâ* egit, *in quarumvis doctrinarum, etiam Theologiae, studio cognitione historicâ et philosophâ* (1). Quam doctrinarum conjunctionem ita commendantem audimus ut, quae narrandae incumbebant, Academiae vel prosperas res vel adversas ipsi disputationis telae scite atque apte intexeret et devinciret. Sed magis etiam perpendendum est, quam tempestive ad hominum seculique errores coarguendos summum orationis consilium relatum appareat. Non deesse enim videbat historicarum cultores disciplinarum, qui, spretâ certissimâ testimoniorum fide ac neglectis exploratissimis quibusque experientiae dictatis, his ingenii sui conjecturas suspicionesque potiores haberent ac substituerent. Contrario errore alii iique illâ tempestate longe frequentiores, vel Medicinae vel Jurisprudentiae vel Theologiae imprimis tirones, in suâ quisque doctrinâ sic versabantur, quasi nullâ *Philosophiae* luce illustranda foret, ac verendum adeo esset ne per hujus audaciam illius et sanitas corrumperetur et evidentia labefactaretur. Atque hi illo potissimum tempore, ut

---

(1) Edita est or. in *Annall. Acad. L. B.* 1821—1822. Cujus in locupleti annotatione imprimis perpendantur velim, quae, p. 46 seqq., de *Theologiae* ac *Philosophiae* conjunctione vel rectâ vel perversâ disputata exstant.

hominum fert ingenium, celebratissimi alicujus Doctoris academici auctoritate atque exemplo male intellecto suam tueri rationem conabantur. Hujus igitur seculi non ignarus Orator, Philosophiae amantissimus ille, sed saepe in pessimum abusum tractam esse rem sanctissimam videns dolensque, utrique, quem dixi, errori occurrendum duxit. Quocirca praecipuas artium disciplinas, cum philosophas, tum historicas, breviter lustrans, et *illas* Historiae et *has* Philosophiae lucem et auxilium requirere demonstravit. Atque ita scopulos adversos, quos sibi utrimque objectos habet studiorum cursus, pari docuit evitare diligentiâ et cautione (1).

Quando binas memoravimus orationes, quibus habitis Leidae vel munus auspicatus est vel Rectionem posuit, jam de Scholis dicendum est, quas tradentem audiverunt harum Athenarum alumni. Fuerunt autem partim quas in Gelriâ jam habuerat, partim quas habendi nunc demum vel opportunitas exstitit vel officium incubuit. In priore genere primum *Theologia Dogmatica* erat ac *Moralis;* quarum utramque quotannis fere exposuit. *Illi* subinde, ubi *Apologeticen* non seorsim tractabat, comitem hanc indivulsam adjunxit. *Ethicam* aliquando, sive ridendo fecerit, sive serio, *suam* appellavit disciplinam; idque duplici sane nomine facere poterat, vel quod illius institutionem sibi peculiariter demandatam videret, vel quod in illâ totus esset atque habitaret. — De *Encyclopaediâ theologicâ* si quaeris, et antea saepius illius auditoribus copiam fecerat, et commodius, fortasse fructuosius etiam, idem egit post editam a. 1832 priore vice hujus, quam modeste nuncupavit, *Epitomen*. — Porro, si quid aliud, id certe e re fuit sanctioris Ministerii alumnorum, quod iterum iterumque

(1) Ad Academiae haec pertinebant *Rectionem*. Sed proximo etiam anno *Prorector* Successori consiliis et operâ benevolentissimâ adfuit. Quod diserte testatur C. Ekama, a. 1822—1823 Rector magnificus, cujus vid. in *Annall.* oratio.

repetita iis aperiretur occasio *Theologiam Pastoralem* ab eo potissimum percipiendi Professore, qui quae Pastorum officia pensaque sint, pro coetuum diversitate quodammodo diversa aut certe aliter temperata, uberiore etiam, quam antea, usu atque experientiâ edoctus, exponere posset. — Nec ullo fere anno *Oratoriis Institutionibus* destitui Studiosos passus est alter ille *Quinctilianus*. Quae quam praestantiam habuerint, post supra de *Harderovicenis* dicta repetere nihil attinet,

Sed aliae memorandae, quas nunc primum tradidit, Scholae. In quibus fuit, nec frequentissime tamen *Veteris Foederis* cum *Critica*, tum *Hermeneutica*. Quam igitur operam apud Gelros *Novo Foederi* dederat, eam nunc *Veteri* tantum dedit; puto ne alienam in messem falcem immittere videretur. Quamquam et *epistolam ad Hebraeos* aliquando commilitonum in usum explicuit, et, nisi saepius, penultimo certe Professionis anno *historicum ac criticum Introitum nonnullos in Utriusque Testamenti libros* iis cognoscendum dedit. — Item, binorum annorum publico *Programmate*, professum eum accepi *Librum Sapientiae apocryphum* sese interpretaturum esse et *primam Clementis ad Corinthios epistolam*. Cui tamen professioni quem exitum Studiosorum voluntas dederit non accurate novi (1). Quocirca certiora videamus.

Apologeticen enim etsi subinde cum *Dogmaticâ* conjungebat, quod supra monui, non raro tamen privas illi propriasque dedit Scholas. Quo in penso gravissimo quam constanti versatus sit studio, hoc vel luculentissimo apparebit documento. Quaecunque ad memoratam pertinebant Apologeticen, a multis inde annis, et privatâ meditatione et publicâ institutione complexus erat. In quâ tamen operâ non acquiescens, nisi omnium ultimo, certe penultimo muneris anno, novis curis ac repetitâ Scholarum con-

---

(1) Dubium me quodammodo reddit Praeceptoris in brevi rerum suarum notatione silentium. Fieri tamen potest ut non omnia meminerit morti proximus Senex.

scriptione doctrinam commentatus est Senex septuagenarius. Quod minime gloriantem, sed aliud agentem mihi ipsum narrare memini.

Verum non negligenda nobis, cui plurimum operae dedit atque assiduas curas Amicus, *Theologia Naturalis* seu *de rebus divinis Philosophia*. Quam et ipsam quidem semel atque iterum, si forte, cum laudatâ copulavit *Dogmatice*, plerumque autem propriis horis temporibusque cum commilitonibus persequebatur. Atque hi quae gravissimâ de disciplinâ tradentem audierant Praeceptorem, non a rerum tantum copiâ atque ab argumentorum pondere praedicare consueverunt, sed item ab elocutionis gratiâ orationisque ex pleno velut alveo fluente cursu. Cum praesertim hîc, ab adstrictiore recedens, quem alibi sequebatur, *dictandi* more, solutius liberiusque disputaret. Quod ipsum frequentiores has reddidisse videtur Scholas.

Jam universe si quis quaerat *quomodo* et quam praestanti ratione docentem eum audiverit Lugdunum, ad ea redeat velim quae Gelricâ de Professione supra narrata sunt; quae, donec omnium me capiat rerum humanarum oblivio, tanquam praesentia recordabor. Ubi tamen omnino tenendum est hujus potissimum Viri in institutionibus, ut quaeque tempore posteriora fuerunt, ita sine dubio praestantiâ fuisse priora. Neque enim aliter fieri potuit, quin uberiora omnia ac locupletiora reddiderit lectio, meditatio, annotatio, commentatio, nullo vitae tempore intermissa. Sed quae, hoc maxime loco, nostrae huic deesse qualicunque narrationi sentio, ea libenter tibi supplebunt de *quingentis* et quod longe excurrebat discipulis Leidensibus superstites, Viri nunc clari aut venerandi, qui ut diu vivant incolumes, Praeceptoris memoriam mecum sancte colentes, opto voveoque!

Haec igitur, per quinque amplius lustra, quae Lugdunense illius complevit tempus, pensa fuerunt ordinaria. Verum, sicuti

olim Litterae *Semiticae,* ita nunc *Philosophia Naturalis* extraordinariam ipsi provinciam demandavit. Quamquam hanc magis etiam, quam illam, extra ordinem ac rariore etiam munerum copulatione ei impositam esse dicendum est. Academiarum enim et aliarum et Gelricae Annales plurium nomina Professorum consignârunt, qui eodem tempore, quo Theologiam, Litteras docuerint Orientales; qui vero simul cum illâ *Historiam Naturalem,* si ullos, at oppido paucos memorârunt. Ad hanc igitur ex cathedrâ enarrandam quâ viâ et quam necopinato rerum cursu sit delatus Amicus, paucis, age! videamus. Gravissimam cladem illi, quod dixi, studio, m. Julio a. 1819, praematurus obitus intulerat Sebaldi Justini Brugmans; quem de illo optime meritum esse lugentes profitebantur omnes, ex cujusque vegetâ adhuc aetate multo etiam plura in ipsum emolumenta redundatura speraverant. Huic qui sufficeretur summo suo merito destinabatur Reinwardtius, experientissimus idem ac ferventissimus Naturae arcanorum scrutator, tali profecto Decessore dignus Successor. Qui tamen dum ex Indiâ Orientali, quo eum doctrinarum amor studiumque impulerat, reversus foret, non poterat Doctoris luce destituta relinqui cathedra.

Ex hujus igitur diuturniore vacuitate ne nimium incommodi caperet studiosa Juventus, Clarissium adeunt Curatores, quem et in universâ Philosophiâ et in hâc singulatim, de quâ quaerebatur, illius parte ab ineunte inde adolescentiâ diligentem collocâsse operam novissent, *quemque,* Professorem cum maxime Leidensem, *complures per annos assiduum* Brugmansii *auditorem fuisse; cui adeo hic ipse multa dederit atque insignia benevolentiae documenta.* Quo certius igitur Philosophi defuncti disciplina perpetuetur, ab illo petunt, qui *ejus ex institutionibus permulta didicerat ac profecerat,* ut nonnulla certe ejus pensa persequenda suscipiat (1). Curatorum auctoritati ac voluntati morem sibi

(1) Quae litterarum typis distinximus, haec ipsius fere C. dicta sunt, eo loco prodita, quem mox laudabo.

gerendum esse putat Theologus. Atque ita factum est ut per proximi triennii spatium, nequaquam neglectâ, quae sibi priva erat, provinciâ, et in latissime patente *Zoölogiae* campo haud paucis se ducem daret auditoribus, et *Mineralogiam* eos doceret. Ad quam ita non imparatus accessit, ut, Roterodamensi jam tempore, insigne *Museum mineralogicum* magno sibi labore sumtibusque comparare incepisset. Nec novam rem difficilemque diu procrastinat. Continuo enim post exactas aestatis ferias d. 29 Septembris a. 1819, solenniore habitâ prolusione insolitum ingreditur curriculum. Atque ibi tum Decessoris merita tam accurate ac diserte, tam pio gratoque animo celebravit, ut ex intimo commoti pectoris sensu fluxisse orationem sentires. Et quamvis Brugmansio multi parentaverint, tamen non facile crediderim de illo quemquam in tantâ brevitate et Viro laudato et laudatori dixisse honorificentius.

Verum nonnullos esse acceperat, qui a *Theologo* rerum naturalium Professionem, vicariam etiam, suscipi mirarentur nec probarent. Quorum igitur ut occurreret cavillationibus, graviter eâdem docuit prolusione Theologo haud secus, quam cuivis alii erectioris ingenii homini, decoram esse non mediocrem Historiae Naturalis cognitionem. Ubi et de universâ doctrinae dignitate copiose dicentem eum audimus, et duo singulatim opportune urgentem rerum momenta, quae praesenti cum caussâ conjunctionem habebant. Alterum, unam hanc esse disciplinam, »*quae* »*plurimis Sacri Codicis, Veteris imprimis Foederis, locis lucem* »*afferre possit.*" Alterum, quod longe etiam gravius censendum, »*rerum imprimis naturalium scientiâ firmum Theologiae* »*paratum esse praesidium; cum illa sit una, per quam ad Deum* »*O. M., qui sapientissime cuncta atque in usus maxime bene-* »*ficos condiderit et disposuerit, agnoscendum ac venerandum* »*facillime atque efficacissime hominum animus impellatur.*" Sed digna haec omnia, quae ab ipso plenius exposita legantur (1).

---

(1) Hujus prolusionis prior pars, Brugmansii laudes celebrans, vid.

Nec lectoribus ingratum mihi facturus videor, si nonnullos hîc locos reposuerim alterâ ex prolusione, quo usus exordio mense Octobri a. 1820, posteaquam solidum jam annum academicum hâc in palaestrâ versatus erat, eandem denuo strenue ingressus est; cum praesertim hujus nulla pars publici juris facta sit. Ubi tamen ita brevitati consulam, ut ipsos, quos excerpo, locos in compendium redigam et quam brevissimis verbis enuntiem. Primum igitur, *ubi omnium in sese conversa videat ora, vehementius etiam, quam superiore anno, se commoveri profitetur*. Mox, quas ipsa pariat disciplina difficultatibus expositis, ita fére pergit:

»*Quocirca,*" inquit, »*nonnunquam me suscepti poenituit operis, tanquam temere satis suscepti. Identidem tamen erigebat tot Virorum, eruditione, pietate, meritis conspicuorum, honorifica praesentia, maxime quidem exoptata illa, nec tamen sperata. Quid enim ego sperare potueram, tantillus harum rerum enarrator, fore ut, qui Viri docti summum illum* Brugmansium *incredibili cum animi voluptate dicentem audierant, in meas etiam has qualescunque Scholas ventitarent? Quod tamen Vos fecisse ita mihi honorificum est, ut committere non possim quin, pro eximio hoc benignae vestrae de me opinionis vel potius propensae erga me voluntatis documento, Vobis, Viri cla-*

---

in *Commentatt. Lat. tertiae Classis Instit. reg. Belgici*, *Vol.* III, (1824) *p.* VIII. *seqq.* Tantopere enim haec *candoris plena eademque verissima* laudatio Classis Sodalibus placuerat, quibus ejus copiam fecerat auctor, ut omnes eam in proxime edendis commentariis vulgari cuperent. En Virorum clarissimorum, quod ibidem proditum exstat, judicium!

Alibi etiam eundem Brugmansium laudavit Cl., et in opere Nieuwenhusii: *Algemeen Woordenboek van Kunsten en Wetenschappen*, h. v., ubi illius vitam narravit; — et brevius, nec minus amanter et honorifice, in Cens. Censs. XIV. 315—317 *recenss.*, ubi, de discipuli diss. referens, Magistri etiam memoriam celebrat.

Memoratae prolusionis altera pars, quae de *Historiae Naturalis* cum *Theologiâ* conjunctione agit, ab auctore prodita est in *annot.* ad *orat.* laud. *de conjungendâ — cogn. hist. et phil. p.* 39 sqq.

»rissimi et doctissimi! gratum obtestor animum. Verum haec »ipsa nova mihi exstitit animi perturbationis caussa. Bonam »enim, quam de te forte excitaveris, spem et exspectationem, nisi »superare, certe non fallere difficile est. Difficilius novo Doc»tori eâdem de disciplinâ eosdem ad auditores, eruditos impri»mis ac litteratos, bis saepiusque ita dicere, ut rerum novitas ac »varietas audiendi studium vel alat vel instauret; cum praeser»tim tironum etiam ratio habenda sit, quos ipsa ignorare doc»trinae initia probabile est. Difficillimum vero hoc, ubi et librorum »accurate pictis iconibus ornatorum, et speciminum doctrinam »illustrantium satis largâ copiâ destitueris, nec otium, ad om»nia diligenter inquirenda ac conferenda necessarium, alia tibi »concedunt negotia quotidiana, omne paene tempus tuum stu»diumque sibi vindicantia. Quibus omnibus me cum maxime »premi incommodis, me non monente, intelligitis, Auditores! »Nec igitur me declarare mirabimini, si, anteaquam Historiae »Naturalis Professionem vicariam pro tempore suscepi, ultra »unius anni academici spatium mihi prorogatum iri novum mu»nus scivissem ac praevidissem, me illud vel plane deprecatu»rum fuisse, vel certe non ita facile mihi, sponte occupatissimo, »imponi passurum. — Cum vero jacta jam sit alea, quae pos»sim mihi facienda esse intelligo. Faciam igitur quod potero »ut, et studiosae juventuti viam ad uberiorem rerum naturalium »cognitionem comparandam monstrando, et ea, quae superiore »anno vel praetermittere vel leviter tantum attingere jubebat tem»poris brevitas, nunc primum plenius tractando, nec vestram »spem plane frustrari, nec Curatorum desiderio aut florentissi»mae Academiae honori deesse videar. Donec igitur verus ad »nos venerit atque unice huic muneri par Brugmansii *Suc»cessor* Reinwardtius, *donec hic lautas nobis dapes apponat, »obsonium nostrum ac coenam dubiam non spernere, Auditores! »sed eodem, quo antea, favore me meaque studia prosequi ve»litis rogo et obsecro.*"

Haec, quae summatim quidem, sed accurate ex alterius anni

prolusione dicta reposui, Naturae Interpretis cum modestiam, tum candorem luculenter ostendunt; nec minus clare comprobant eadem, quod aliunde etiam cognovi, quanto auditorum variae aetatis atque ordinis studio et approbatione hae illius Scholae exceptae sint. Exspectatione autem diutius prorogato Reinwardtii reditu atque inauguratione, non altero tantum hoc anno, de quo dicere incepi, sed item tertio suscepta pensa persecutus est Theologus (1). Ubi, in *Zoölogiâ* quidem, Blumenbachii, partim etiam Okenii sequebatur compendium (2). Caeterum tam promtam ac paratam hîc demonstrabat doctrinam, ut, Latine dicentis memoriam brevi tantum annotatorum scidulâ fulciente, libere nec de scripto cuncta fere traderet. *Rem enim provisam*, ut ille ait, *verba haud invita sequebantur*. Tandem in patriam redux Reinwardtius, sic inaugurationis die compellat Amicum:

» *Tu*, Clarissi! *cum antea mihi amicissimus fuisses, nunc* »*carior etiam redditus es, — per incredibilem in omni Doctri*»*nâ scientiae copiam, quâ factum est ut in meorum adeo stu*»*diorum societatem jam pridem veneris; tum vero novissimis his* »*annis, quibus Tu, a sanctis iisdemque gravissimis tuis studiis* »*digressione factâ, in omnem, quâ late patet, Historiam Natu*»*ralem exspatiatus es, et in eâ ita Studiosis viam praeivisti,* »*ut, sicuti meus adventus tuâ exspectatione serior accidit, ita idem* »*jam supervacaneus esse videatur* (3)."

---

(1) Utrum *quarti* etiam *anni* priore parte, anteaquam d. 3 Maji a. 1823 inauguratus esset Successor, eadem docere perrexerit, non certo mihi constitit. Quocirca ipsius, annos hîc 1819—1822 nuncupantis, notationem sequor.

(2) Blumenbach, *Handb. der Naturgesch.; ex ed. undecimâ Gött.* 1825; — Oken, *Lehrb. der Naturgesch. Lips.* 1813, III Tomis. De utroque vid. Cl. *Epit. Encycl.* p. 148.

(3) V. or. inaug. *de augmentis, quae Historiae Nat. ex Indiae investigatione accesserunt*, (*Ann. Ac. L. B.* 1823—1824) p. 21. Hic ipse autem Orator pro suâ benevolentiâ eorum, quae supra his de Scholis narravi, nonnulla me docuit. — Earundem Scholarum praestantiam exquisitissimis quibusque verbis praedicârunt Corn. Ekama et M. J. Macquelyn, suâ uterque in *orat. rect.* a. 1823 et 1830, *Annall. laud.* a. 1822—1823 et 1829—1830. Quo-

Amanter sane atque honorifice Vir praeclarus! Nec quemquam tamen dubitaturum puto, quin laetissimus hic Clarissio dies fuerit, qui sicuti Patriae Reinwardtium, ita sese theologicis totum redderet studiis. Duplicis enim Professionis, gravissimae atque amplissimae utriusque, oneri et officiis ne tandem aliquando succubituri fuissent, quamvis validi, humeri reformidandum erat (1).

Jam igitur, his expeditus curis, ad suam plane se retulit disciplinam. Quamquam hanc adeo non neglexerat, ut subtiliori potius Naturae perscrutationi atque explicationi id haud postremum (quidni *summum* dicam?) consilium proponeret, ut ad Deum, cujus sapientiam bonitatemque tota testificatur rerum universitas, et cognoscendum et agnoscendum et venerandum cum suus, tum auditorum animi efficaciter impellerentur. — Sed ipse hic Amici regressus de officio nos admonere videtur praecipua certe memorandi scripta theologica, quae Leidae degens commentavit. Ubi tamen nec omnia, in tam copioso proventu, nominabo, nec singula ad temporis calculos revocabo. Utrumque enim *Indicis* officium erit, huic opusculo subjiciendi. Hîc autem ab iis non incommode ordiemur, quae pensorum antea susceptorum vel continuationem habebant vel emendationem vel ab-

---

rum hic non magis ample, quam vere, Clarissium *nullius non scientiae cultorem ac patronum vocat.*

(1) Quam constanti flagraret rerum naturalium in dies melius cognoscendarum studio ac desiderio, reverso etiam Reinwardtio omnibus apparuit. Per biennium enim, hujus Collegae Scholis et de *Mineralogiâ* et de *Geologiâ* interfuit. Et cum *Chemiae* nondum satis peritum se putaret, hanc quoque tradentem eum audire non dubitavit. Atque eodem benevole adjuvante *Museum* suum, quod supra memoravi, *mineralogicum* locupletavit, ac *geologicis* adauxit speciminibus. Haec, ne quis dubitet, mihi narrantem audivi Reinwardtium; cujus Viri optimi ac meritissimi senectuti utinam propitius adsit Deus O. M.!

solutionem. Quae nec numero pauca fuerunt nec pondere levia. Ubi primum denuo nobis in memoriam revocandus est *Censor, ipsorum etiam Censorum*. Hanc enim Ephemeridem quam frequentibus et quam exquisitis ornaverit symbolis, in Gelriâ dum habitabat Amicus, supra narravimus (1). Id ipsum autem opus, *Napoleonticam* per tyrannidem consopitum aut exstinctum, ineunte a. 1814, una cum Patriâ, revixit. Verum non prius illius denuo vulgari inceperant menstruae particulae, quam his, haud secus quam prioribus, manum admovisse, doctam illam et subtilem, Theologum nostrum acutiores viderunt lectores. Neque hanc Roterodami redintegratam operam retardavit in Academiam Lugdunensem migratio. Nam deinceps etiam multorum annorum spatio operi prodesse perrexit, cujus nullus facile mensis novum efferebat manipulum, ad quem nihil ipse vel censurarum contulisset vel aliarum commentationum. Etenim de longe plerisque scriptis *theologicis*, in patriâ recens editis, ibi referendi diu ipsi commissa mansit ordinaria ac propria provincia; quamquam etiam alia, veluti *Academiarum Annales*, vel invitante operis Moderatore vel ipso impellente animo, censere non dubitabat. Omnes autem illius symbolae, etsi breviores erant pleraeque, quam pristinae illae Harderovicenae tamen, in eadem argumenti formaeque varietate, eandem plane habebant doctrinae ubertatem, eandem et judiciorum subtilitatem aequitatemque, et admonitionum sapientiam, nec dispar ingenii acumen. Tandem vero plures exstitere caussae, quae censorium illud munus, quod juvenis jam strenue tuitus erat, deponere suaderent; aetas ingravescens, aliarum occupationum magis magisque increscens moles ac multitudo, aerumnae domesticae. Accedebat, quem fortasse omnium primum memorare debueram, amicissimi sibi Ockersii, cui universa operis edendi cura commissa fuerat, luctuosus obitus. Quibus igitur omnibus, alia ne memorem, factum est ut, ab ineunte anno 1826, in ordinariis *Horrei* memorati auctoribus nomen profiteri desineret. Quod tamen non

---

(1) Vid. p. 68.

sic profecto interpretandum est, quasi proximorum annorum Volumina suis plane destitui symbolis passus sit (1).

Non diu post Enchusanae stationis ingressum, *Acta Apostolorum* eum et in civium usum interpretatum esse, et copioso complexum commentario practico supra accepimus (2). Hujus quidem libri repetitis curis retractandi opportunitas nunquam auctori videbatur exstitura; *cum praesertim praeter germana exempla haud pauca alia ferri supposita, non temere suspicaretur.* Verum *tam singulari ac tam raro civium favore juvenile hoc opus exceptum esse,* grato in Deum hominesque animo declarat, *ut spes suas atque exspectationes longe superaverit exitus.* Quo factum esse ut, a. 1825, iterum ederetur opus, idque sic, *ut prioris imprimis Partis nulla facile pagina sine emendatione, sive majore illâ, seu minore, reponeretur.* Limae autem severitate adhibitâ, multi quidem loci passim locupletabantur, sed quaecunque, quamvis per se bona, non hujus tamen libri ac

---

(1) Ipse quidem Senex grandaevus, memoratâ in scidulâ, librorum censuras sese edidisse dicit, *Cens. Censs. Volumine* I—XVI. Verum vix dubito quin vegetiore memoriâ scripturus fuisset: *Vol.* I—XVIII. Alia enim ne memorem, Vol. XVII, p. 483 seqq. illius manui censuram debuit libri, quem Bretschneidero Cromius opposuerat; — item Vol. XVIII. p. 461 seqq. copiosam relationem de Champollionii inventis, Aegyptiorum antiquam litteraturam illustrantibus. Et vero Censor *Annalium Acad.*, XVII. 549, et *Disputatt. theol.*, XVIII. 170, quem Clarissium fuisse mihi crede non dubie affirmanti, sese ab hoc de libris referendi munere brevi discessurum esse, haud obscure significat. Volumen autem XVIII, quod postremum memoravi, a. 1825 emissum esse novimus, i. e. ultimo anno viventis Ockersii, qui mox, d. 19 m. Januar. 1826, fato functus est. Quae omnia si perpenderimus, quam supra inii, temporis notationem satis certam habebimus. Postea igitur si quae contulit Clarissius, non amplius ordinariae hae fuisse videntur, sed subito animi motu natae atque extra ordinem concessae symbolae. Verum de his, item de orationibus ac dissertationibus ab eodem auctore in universo opere consignatis, alibi monebimus. Nam hic summatim tantum tempus definiendum videbatur, per quod in *Horrei* scriptoribus ordinariis sese numerari passus sit.

(2) V. supra p. 45.

consilii esse judicaret maturior scriptoris aetas, excludenda curabat. Atque ita opus, quod jam diu et Antistitibus, dicenda populo Christiano commentantibus, et huic ipsi, pietatis alimenta quaerenti, fructuosissimum sese praestiterat, ad eam pervenit absolutionem, quae ne posteritatis quidem judicia reformidanda haberet (1).

Si Enchusa hunc, quem proxime dixi, commentarium extulerat; Roterodamum Ewaldii *Eloquentiam sacram* ab eodem Praeceptore nostro novâ plane eâque longe ampliore ac splendidiore veste indutam vidit (2). Qui liber cum et ipse multos invenisset cupidosque emtores, a. 1839 ab altero Parente novâ editione repetitus est. In cujus igitur praefatione et alia eum monentem audimus, et haec fere, quae referre juvat: »*Honorifica hujusce libri approbatio,*" inquit, »*multorumque ejus exemplorum distractio quantopere me civibus obstrinxerit, sponte intelligetur. Atque hoc ipsum me impulit et excitavit ut iteratam hanc, quae a multis inde annis desiderabatur, editionem novis plane curis refingerem atque expolirem. Eandem autem, ternis praemissis orationibus praeparantibus, adauctâ monitorum ac praeceptorum copiâ pluribusque, quam pridem, laudatis scriptoribus, locupletandam duxi. Tandem majorem formae gratiam ei conciliare studui.*" Haec ille. Ubi quod postremum dicit ne quis dubitet quo pertineat; prior editio *collocutionum*, nullâ magnopere arte divisarum, familiaritatem habuerat gratamque negligentiam. In alterâ vero per triginta *orationes*, quarum suum quaeque sibi proprium lemma habet, totum dispertitum apparet argumentum. Quâ sane formae mutatione ordinis concinnitati melius consultum est. Quamquam prioris editionis minus artificiosa illa forma nobis certe auditoribus suavitatis, olim

---

(1) Quae litterarum formis distincta comparent Clarissii verba sunt, partim ex alterius ed. praefatione ducta, partim ex scidulâ privatim mihi traditâ.

(2) V. supra p. 79. 80.

ex Praeceptoris colloquiis haustae, praesentiorem ac viridiorem instauraverat memoriam. — Utut nunc praestabilis sit liber, praestabilior etiam procul dubio exstitisset, si suo potius, quam Ewaldii, remigio totum hoc aequor navigare Rhetori placuisset cum paucis comparando.

Sed quanti ab eruditis aestimarentur Amici scripta, nullus ejus liber evidentius ostendit, quam *Encyclopaediae theologicae Epitome*. Sic enim copiosissimum Volumen appellare auctoris visum est modestiae. Quod opus cum a. 1832 emissum esset, nec paucis expressum exemplis, haec tamen emendi studiis, quibus vel cives ferebantur vel exteri, explendis adeo non suffecerunt, ut jam triennio post altera requireretur editio. Quae priore quanto locupletior sit, et quantopere laudanda, infra a nobis exponendum erit. Hîc quidem celerrima libri distractio eo magis memoranda videbatur, quando et solos allicit subtilioris doctrinae amatores, et satis magno pretio venum ivit.

Nec magis habuerunt quod de fortunae iniquitate aut de lectorum vel paucitate vel frigore conquererentur *Orationes ad adolescentes, honestioris maxime loci*, quarum priorem Semissem a. 1818, alteram sexto post anno vernacule edidit (1). Earum quidem pleraeque ex *concionibus* succrevisse videntur, in templorum amplitudine ad universos Christianos habitis; ita tamen habitis, ut haud pauci auditores Academiae, vel Harderovicensis vel Leidensis, alumni essent (2). Jam autem illas ad hoc singulatim consilium saluberrimum accommodavit auctor, cultiores ut juvenes et religioni, Christianae imprimis, et virtuti et sa-

---

(1) *Voor jongelingen bijzonderlijk uit de beschaafde standen. Zestal redevoeringen door* J. Cl.; *Amst.* 1818. — *Tweede zestal; ibid.* 1824. Altera ed. (*Amst.* 1846) ita eundem repetiit titulum, ut jam unico minoris formae Fasciculo *duodecim* orationes contineri significaretur.

(2) Vid. e. c. orat. *septima*, ed. alt. p. 143. 166. *Undecimam*, *ibid.* p. 235 seqq., Harderovici d. 8 Oct. 1807 pro concione pronuntiatam esse, aliunde mihi constitit. Item aliae, anteaquam legerentur, in templis auditae erant.

pientiae conciliaret ac devinciret. Atque hanc agens caussam sanctissimam, noli quaerere, quam profundam prodiderit ingenii juvenilis cognitionem, quam comem atque amabilem humanitatem, quam admirabilem eloquentiae vim ac copiam, quam paternam prudentiam ac gravitatem! (1)

Nec tanta haec libri praestantia atque utilitas lectorum studia torpere passa est. Quod cujusmodi fuerit et aliunde mihi constitit, et ex his ab auctore candide dictis. Qui, in alterius Semissis *praefatione:* »*Ubi ante hoc sexennium,*" inquit, »*orationum Fasciculum emiseram, cultioribus destinatum juvenibus, etsi plerisque non improbatum iri conatum speravi, a tantis tamen ac tam concordibus approbantium plausibus, quantis opusculum cives excepere, spe praecipiendis quam longissime abfui. Gratissimum autem, mihi fuisse insperatum hunc propositi exitum, non est quod dissimulem. Ubi iis vel maxime me obstrictum sentio, quales permulti fuerunt, qui haud unâ ratione, idque nonnulli eximiâ quâdam magnanimitate, libellum passim legendum et consulendum curârunt ac commendârunt.*" Haec ille a. 1824.

Quibus similia, post quatuor et quod excurrebat lustra, novae editionis praefatione professus, in magnanimis harum *orationum* fautoribus principe loco N. C. Lambrechtsenium numerat, qui apud Zelandos non generis magis nobilitate, quam raris in artium disciplinas Christique societatem meritis excelluerat. Per tanta igitur haec et illius et aliorum studia ac commendationes auctori grandaevo a. 1846 id gaudii contigit, ut revisum atque emendatum opusculum denuo edere, vel potius posteritati legare ac donare posset. Quae editio omnes, quae antea seorsim editae erant, orationes, numero duodenario illas, uno nitidae formae Fasciculo complectitur. Atque hic sane, si quis alius, liber ab

(1) Cf. omnino *Cens. Censs.* XIV. 103 sqq; ubi quid potissimum in hujusmodi scriptis requiratur, Verwysii censuram agens, diserte exposuit Cl. Qui non hic profecto, ut alibi modeste professum audivimus, dicere potuit: *Meis ipse minor sum monitis.*

unoquoque adolescente, sive doctrinarum Studioso illo, seu in alio quo honestiore vitae genere versante, *qui quidem supra vulgus sapere velit*, legendus est et relegendus (1).

Haud absimilem vel originem produnt, vel lectorum approbationem tulerunt, vel auctoris manum emendatricem curamque repetitam senserunt *Characterismi* seu *Picturae*, *ex Christi vitae perpessionumque historiâ adumbratae* (2). Quarum priorem Semissem a. 1827 emiserat; alteram triennio post subjecit. Hîc igitur duodenos *Euangeliorum* locos, plerosque omnes longiores, ad eum modum enarratos invenimus, ut, quae iis prodita exstant Christi res et facta dictaque non tam explicentur, quam lucidis potius coloribus pingantur atque ad vivum delineentur. Quo efficacius ad Dominum fide amplectendum, amore prosequendum, vitâ imitandum vel lectores impellerentur vel auditores. Vel *lectores*, inquam, vel *auditores*. Nam has quoque orationes, prius quam typis expressae legerentur, Christianorum in templis auditas fuisse, et ipsa earum conformatio docet et diserte declarat Amicus.

---

(1) His jam scriptis plane assentientes me habere plures librorum Censores vidi. In quibus Anonymus est, in op. *Godgel. Bijdr.* 1847, p. 800. A quo *poma aurea argenteis imposita patinis* hae vocantur orationes, *quarum usu nemo juvenum carere possit Batavorum.* Cf. rev. G. C. van Balen Blanken, in op. *A. letterl. Maandschrift*, 1847, p. 728 *recenss.* Sed prae caeteris consulatur Ockersius, magnus ille Anthropologus, in *Cens. Censs.* XII. 416, et magis etiam XVIII. 194 (*recenss.*), ubi, moribundus fere, has legendas commendavit orationes judex in paucis idoneus.

Quam accepti civibus conatus, sui fuerint juvenes religioni ac virtuti conciliandi, grato etiam animo ipse professus est Clarissius in praefatione, quâ praemissâ librum ornavit ac de meliore nota commendavit, qui vernacule inscribitur: *Heliodoor, des jongelings leerjaren. Voor godsdienstig gevormde zonen. Door* Dr. G. Friederich. *Uit het Hoogd. Amst.* 1822. Quem igitur librum legant et cum Clarissiano, quem dixi, comparent qui discere velint juvenes.

(2) Ita titulum vernaculum convertere liceat: *Tafereelen uit de levens- en lijdensgeschiedenis van den Heere* J. C. *Eerste Zestal. Amst.* 1827. *Tweede Zestal. ibid.* 1830. — *Alterius editionis revisae* utraque Pars prodiit *Groningae*, a. 1845.

Atque hîc ex praefatione, utrique editioni praemissâ, pauca reponere juvat. »*Praeter princeps illud, quod supra expositum* »*est, consilium,*" inquit, »*alia quoque fuerunt quae spectarem.* »*Primum enim narrationum, quae Euangeliis continentur, pul*»*critudinem recte aestimandam ac sentiendam commendare volui;* »*quo plures ad meditatam earum lectionem allicerentur. Tum* »*vero, exemplis nonnullis propositis, ostendere visum est quâ* »*prae caeteris ratione, me quidem judice, Christi vitam perpes*»*sionesque pro sacrâ concione frequentissime enarrare expediat.* »*Pervelim enim in Dominum ipsum, ad quem omnia referantur,* »*quantumpote audientium animos defigat Orator, nec magis,* »*quam res plane requirat, ad alios vel alia cogitanda eorum* »*distrahat mentes atque abducat. Quod si ita assequi contingat* »*consilium, ut et aliis junioribus Euangelii Ministris et vero* »*dilectissimis discipulis harum prosit chartarum exemplum, ha*»*bebo sane quod grato in Deum animo gaudeam.*"

Ecce! quae potissimum opusculo commentando vulgandoque cum spectaverit tum speraverit, ipsius verbis summatim tibi expositum cernis. Nec profecto frustra se sperâsse aut operam lusisse et antea acceperat, et imprimis ad metam accedente vitâ terrestri luculenter confirmatum vidit; jam non nova tantum exempla requirente Bibliopolâ, sed eâdem cupiditate novas orationes petentibus lectoribus. Quod igitur ut anno 1845 intellexit; iterandae jam editionis rationem ita describit, ut primum non omnibus sese morem gerere potuisse Censorum admonitionibus humaniter significet, ne nimis multa mutando eorum, qui priorem sibi compararaverant editionem, commodis obsit. Quod nec necesse esse, quando non magis opusculo proposita consilia mutaverit, quam animi de ipsis, quas attigerat, rebus sententias. Stilum tamen atque orationem ad majorem se refingendam curâsse perspicuitatem, puritatem, concinnitatem. Tandem, si vitae viriumque corollarium aliquod concedatur, eorum se desideriis obsequi velle recipit, qui binas, quas ediderat, *Characterismorum Semisses* binis alteris auctas cupiissent. Hoc enim a Deo beneficium sese petere immeritum, *ut cana etiam fructus ferat sua*

senectus. — Ita pius Senex; cujus tamen spem illam mox irritam fecit acerbissimus ex filii morte luctus. Quem non ita diu post ipsius obitus excepit.

Vidistisne ex dictis, quam rara haec apud nostrates huicce auctori fortuna honosque contigerit, quod plures ejus libri praeter omnem ipsius spem iteratis repetendi fuerint editionibus? Quod eo magis et ipsi et civibus honorificum fuit, quoniam plerique nostrâ conscripti erant linguâ, quae suis finibus, arctis sane, terminatur ac circumscribitur. Benevole igitur lectores ignoscant velim, si, quo clarius id, quod dixi, uno oculorum obtutu conspiciendum darem, pauca quaedam hîc narrando praecepi, quae non in Leidensem ceciderunt stationem, sed in subsecutum otium negotiosum.

Quae proxime recensuimus praestantissima bina opera ex *concionibus* enata esse vidimus, quas piis in Christianorum conventibus pronuntiârat Amicus. Haec igitur sponte in memoriam nobis plures illos revocant *orationum sacrarum* Fasciculos, quos, sine ullâ vel *formae* vel *nominis* mutatione, omnibus promiscue legendos obtulit fidei sociis Theologus *Leidensis*. Quos nunc breviter tantum, age! memoremus, de eorum pretio postea paullo uberius expposituri. — Primo igitur binis majoribus, (nam de solis his hoc quidem loco dicimus) quos antea publici juris fecerat, jam a. 1817 *tertium* subjecit Tomum. Cujus quam grave sit argumentum et quo vinculo singulae partes contineantur, explicantem audimus *praefationem*. Quam praefandi rationem ad lectores hujusmodi librorum studio praeparandos ac conciliandos apprime accommodatam habuisse videtur, certe alibi etiam non raro secutus esse deprehenditur. Item breviores esse declarat, quam prius editas, quas nunc emittat plerasque orationes, non plane tamen sepositis longioribus. Nam et hâc in re et in caeteris dicendi se quaesivisse varietatem. Quâ ipsâ sectandâ varietate diversis consulere se voluisse auditorum classibus, singulatim autem, neque id unâ ratione,

sancti Ministerii tironibus prodesse, quos discipulos haberet carissimos.

Atque ita orationum sacrarum priore *Serie* seu *Catenâ* apte conclusâ, alteram sibi instruendam atque evulgandam putavit; cujus bini Tomi, a. 1823 et a. 1828 editi, *novarum* inscriptione *concionum sacrarum* a prioribus distincti reperiuntur. Quorum uterque *praefationem* denuo habet, antegressae illius, quam modo antea attigi, similem. Nam nunc etiam, quae argumenta eaque quomodo sibi invicem connexa his in orationibus (sunt autem bis denae) tractata sint, veluti in tabellâ videmus expositum. Quâ conspectâ tabellâ, dictorum sententiarumque gravitatem cum ordinis distributionisque concinnitate ad lectionem nobis commendandam concinere videbimus. — Quamquam alia etiam in *Tomi prioris* limine memorabilia offendimus. Veluti quod lectores meminisse vult, cum *Academiae* sit *a concionibus sacris*, atque his ipsis etiam habendis orationibus hoc pensum persecutus sit, officio deesse non potuisse Oratorem iis obviam eundi, qui, a fide Christianâ aversi, sanctissimum Codicem vel negligerent vel vilipenderent. — Ne auctoris de monito dicam, modo sese *Homiliis*, quae ab aevo vocabantur, locum dedisse, modo *demonstrativum*, modo alia genera, pro diversâ argumentorum indole, praetulisse.

Priorem hunc alterius Catenae Tomum, vix paucis interjectis mensibus, a. 1824 novus excipit isque sibi constans senarum orationum, item in templis habitarum, Manipulus. Quas ex *singularibus* exstitisse *rerum temporumque opportunitatibus* titulus profitetur (1). Primam enim audierat Leida, ubi decem jam ipsissima lustra abierant, ex quo *nova Psalmorum imitatio rhytmica*, numeris *Nederlandicis* expressa, Reformatorum in templis cantari coepta erat. Quod ne quis miretur, teneat velim hanc ipsam *Psalmorum imitationem* valde admiratum esse

---

(1) *Leerredenen, bij bijzondere gelegenheden uitgesproken; Amst.* 1824. 8.

Clarissium, ejusmodi elegantiarum arbitrum in paucis idoneum, eamque, a Poëseos certe praestantiâ ac nitore, plerisque, quae nostrum hoc Seculum peperit, Protestantium Canticis sacris longe praeferendam duxisse (1). Sed satis de primâ hujus Manipuli concione. — Altera, ipso habita die *instauratorum Sec. XVI sacrorum* anniversario, insolitâ quodammodo, admodum ingeniosâ certe ratione, hocce celebrat festum. Pulcre enim docet Lutheri sociorumque hallucinationes adeo nihil de caussae, quam tuebantur, integritate detrahere, ut hujus potius divinitatem luculenter comprobent. — Quas adhuc memoravi ternae aliae excipiunt, sacro Ministerio consecrandis vel Filio vel Genero vel Collegae destinatae. Ex quibus singulis meditate lectis quam magni fecerit et quam sapientibus monitis regundum duxerit Ministerium illud Vir prudentissimus, haud sine magno animi ingeniique emolumento cognoscent percipientque Christi Hypophetae. — Fasciculum concludit oratio super loco *Apocal.* XXII: 5. *Ibi* (in coelesti Christi regno) *nulla erit nox*. Ad quam commentandam filiae natu maximae luctuosissimus obitus Patrem excitaverat. Quo in genere lugubri eodemque sublimi perfectius quidquam unquam me vel audivisse vel legisse nego.

Necdum omnes recensuimus, quos, *Leidae* degens, ex templorum parietibus in omnium notitiam produxit, *orationum* Fasciculos. Ultimus enim restat, qui eorum singulatim, *quae nostrae aetati vel desint vel requirantur*, rationem se habiturum profitetur (2). Cui quae praescripta est temporis notatio editum esse librum docet, non diu posteaquam rerum Francogallicarum conversio et *majores* expulerat *Borbonidas*, et *Belgas* ad defectionem nostro a Rege moliendam sollicitaverat; cujus utriusque eventûs, posterioris maxime, haud immemorem se demonstrâsse, pium auctorem reperies. Huic ipsi igitur libro paullo copiosius

(1) Vid. Feithii carminum sacrorum censura, *Biblioth. Litter. theol.* III. 277 sqq.

(2) *Leerredenen naar de behoeften van onzen leeftijd*; *Gron.* 1831.

praefatus, *Seculi*, quod agebatur, laudes atque ornamenta et vero lucem, quâ illustraretur, liberaliter admodum per varias rerum partes eundo praedicat. Ut nemo *querulum* eum, *morosum, acti temporis laudatorem* arguere possit. Verum non minus libere ac candide ejusdem illius Seculi labes maculasque et morbos, per religionis imprimis vel verae neglectum vel falsae cultum contractos, veluti acu tangit et reprehendit. Quibus igitur an adhortando ac deterrendo, juvante Deo, medicinae quid afferri possit sibi tentandum videri dicit. Sed haec impraesentiarum quidem de *quinis*, quos Leida extulit, *sacrarum orationum Voluminibus* monita sufficiant. Nam de singulis nonnullis concionibus seorsim editis nunc non quaerimus.

Verum item aliâ nec minus efficaci ratione privatam pietatis in Christianorum aedibus exercitationem et salutari pabulo nutriendam sibi putavit, et utilibus monitis moderandam. Quo igitur consilio a. 1822 *'Εγχειρίδιον* evulgare incepit, *Dei cultui domestico* regendo destinatum (1). Cujus operis perficiendi spem, multis remorantibus impedimentis atque aerumnis, jam prope abjecerat auctor, cum, septimo et decimo post anno, ita voti compoti fieri ei contigit, ut, *tertii Voluminis alterâ Parte* editâ, totum illud concludendum curare posset. Quo de penso, admodum longo illo, nunc tandem pertexto eo magis gaudere optimum Senem memini, quo blandiore spe tenebatur fore ut hâc potissimum suâ operâ, sese etiam defuncto, in perennem multorum salutem Deus uteretur. Nec vanâ eum delusum esse exspectatione confido. Quam enim sapientiae maturitatem, et ex humanis et ex sacris imprimis fontibus haustam, consecutus erat, eo illam contulit omnem, ut ad sanum ac frugiferum *Codicis sacri* usum lectores adduceret, impelleret adjuvaretque.

---

(1) Operis multa complexi modesta haec est inscriptio: *Aanleiding tot huisselijke Godsdienstoefening; Vol.* I. *Pars* I. *Hag. Com.* 1822. *Vol.* III. *Pars* II. *Amst.* 1839.

En tibi operis rationem! Quot cujusque anni dies sunt, tot habet commentationes, haud sine molesto subinde auctoris labore in eam brevitatem compactas, ut non plures implerent singulae quam quaternas paginas. Singularum in fronte, praeter Psalmi aut Cantici partem, quae *cantanda* sit, binos tibi indicatos conspicis S. S. locos, quorum alter ad *lectionem*, alter, brevior fere ille, ad *meditationem* commendatur. Posterior hic populariter deinceps explicatur, ac diversâ pro argumentorum diversitate orationis inflexione ad legentium animos illustrandos, erigendos emendandosque applicatur atque adhibetur. Toti huic operi quatuor subjecti reperiuntur *indices* valde accurati. Qui si usum facilitant, iidem rerum tractatarum quam concinna sit distributio, quam copiosa messis, quam insignis utilitas ad oculorum veluti sensum demonstrant.

Verum suscepto penso plane deesse viderer nisi, in statione Leidensi describendâ versatus, palmare opus memorem, quo nunc *patrias* atque affines *Litteras* locupletandas curavit. Atque hîc profecto valuit, quod vernaculo dicere proverbio consueverant majores: *Robiginem non trahit vetus amor.* Adolescens enim ac juvenis *Nederlandicis* in Litteris multum operae posuerat. Postea vero nullo quidem tempore vetera haec studia plane dimiserat. Nec tamen, tot ac tam variis occupationibus ecclesiasticis, academicis, universe theologicis districtus et implicatus, tantum, quantum voluerat, temporis illis dare potuerat. Ecce vero! Senescens jam atque in ipsâ adeo senectute juveniles has repetit delicias. Nec recolit tantum Patriae Musas, sed liberaliter ornat ditatque.

Minora quidem, quae hoc in genere edidit, quamvis exquisitam habentia doctrinam, nunc non attingam. Sed hîc omnino memoranda, quae in lucem evocavit, *Secreta Secretorum.* Sic enim medii aevi tempore Latinum aliquod opus *de arte regnandi* dicebatur, quod *Aristotelicis* ex fontibus haustum plerique opinabantur. Quanta id excitaverit hominum studia, testes adhuc

habemus centum et quod excurrit, qui supersunt, illius Codices. Et in alias Europae linguas commentatio Latina conversa est, et, exeunte Seculo XIII aut ineunte Sec. XIV, carmine conclusa didactico, nostram in *Nederlandicam*. Cujus carminis vernaculi auctorem esse Jacobum Maerlantium, binorum Codicum testimonio Clignetius, Bilderdicius aliique crediderunt; dubitante tamen ac judicium suspendente Editore, Critico illo prudentissimo. Quidquid sit; hoc ipsum poëma recensuit, auspice *Litteraturae Batavae Societate Leidensi* edidit, introitu ac copiosâ admodum annotatione illustravit Amicus (1). Quam annotationem plane *Clarissianam* habere ubertatem, vel ipse *paginarum*, quas implet, *quadringenarum* et quod excurrit numerus ostendit. Quamquam suas etiam symbolas, egregias illas, Siegenbecius adjecit, Litterator veteranus. Nec ignoro quidem Virum exstitisse doctissimum, cui crebrae hujus annotationis *excursiones* minus probarentur. Enimvero eam illae ipsae habent variae doctrinae significationem rerumque scitu dignarum enarrationem, quam nec sublatam velis nec vehementius circumcisam. Atque huic annotationi si justi judicii mensuram adhibere velis, perpendas oportet, quam multas hoc prae caeteris carmen voces habeat vocumque constructiones, quarum obscuritas diligentem interpretis operam requireret. Cujus rei quem magis doctum magisque idoneum testem ac judicem advocabo, quam Lulofsium, qui, ut majorem carminis difficultatem non dissimulat, ita Editoris praedicat operam? (2)

(1) Hacce inscriptione: *De heimelijkheid der heimelijkheden; dichtstuk, toegekend aan* Jacob van Maerlant, *met eene Inl. en aanteekeningen, van wege de Maatsch. der Ned. Letterk. te Leiden, uitgegeven door* J. Cl.; *Leiden*, 1838. *Novorum* memoratae *Soc. Operum* integrum continet Tom. IV; sed separatim etiam venale prostat. Laudatur doctâ lectuque valde dignâ censurâ, in op.: *De Gids*, ad a. 1840, N°. 1. p. 1—16; ubi pro carminis auctore Maerlantio minime contemnenda producuntur argumenta. Consentire videtur Lulofsius, cujus vid.: *Verh. over den tijd van den — aanvang onzer — Nederl. Letterkunde; (Gron.* 1847) p. 80. Cff. *Letteroeff. ad a.* 1840, p. 166 sqq. *recenss.*

(2) L. modo antea laudato.

Sed haec de praecipuis, quae Lugduni Batavorum nata sunt, scriptis nunc quidem hactenus. Nam et alia, et exquisitam illam ad *Helonis Peregrinationes* annotationem, infra commodo loco memorabo.

Adhuc vidimus, quam strenuâ atque indefessâ operâ, Leidensium in cathedrâ, *Theologi* eruditissimi nomen tuitus sit Amicus; adsumto etiam aliquamdiu *Naturae interpretandae* voluntario sed eodem difficillimo munere. Jam antea docendo claruerat scribendoque. Verum nunc in illud escendit laudis gloriaeque fastigium, ut doctiorem nullum meliusque de Ecclesiâ meritum Theologum habere Patriam, omnes aequi judices arbitrarentur ac profiterentur. Sed quam amplum illi fuit ad honoris incrementum Leidense, de quo dicimus, tempus, quam ferax ad uberiores identidem vitae suae studiorumque utilitates permultis impertiendas; tam lugubre non raro fuit idem nefastumque gravissimas inferendo alias ex aliis clades domesticas. Atque illae procul dubio eo vehementius Viri quamvis constantis animum affligere debebant, quo laetiores adhuc spes ostendere visa erat futuri temporis exspectatio. Sed qualis eheu! fuit ille et quam tristis, quem *caliginosâ nocte presserat* Dei sapientia, speratae prosperitatis domesticae *exitus!* Nunc enim non priorem tantum, sed postea etiam alteram deflentem vidimus uxorem; quo tempore neutrius dum provecta aetas imminentis jam fati augurium marito ostendebat. Atque eodem hoc Leidensi tempore (nam de posteriore postea) et tres filios et filiam, adultâ omnes vegetâque aetate, et binos generos acerbo extulit funere Pater Socerque. Sed paullo distinctius haec narranda videntur, quo certius et quantis aerumnarum fluctibus jactatus sit appareat, et quali magnanimitate tam intolerabile illud malorum pondus tulerit ac sustinuerit.

Ne igitur denuo infantem attingam, qui Leidae sub moenibus exspiraverat, ea sola, quae hoc secuta sunt ac se invicem exceperunt cumulâruntque, funera memorabo. Filiorum alter Cornelius erat, cujus laetam hilaremque pueritiam, in corporis robore ac gratiâ, haud mediocrium ingenii facultatum significationem habere accurate memini. Hic igitur adolescens navali militiae nomen dederat, neque in contemnendum pro aetatis modulo honoris gradum adscenderat; quando bellicis in navibus tertium aut quartum a Nauarchâ locum occupabat. Ecce vero! in Indiam Orientalem profectus, versus finem m. Julii a. 1818, undevicesimo aetatis anno nondum expleto, Bataviae praematurâ morte rapitur. Cujus necopinati casûs acerbitate quam acriter pungeretur Patris animus, hic *orationum juventuti destinatarum* opportuno loco flebiliter significat. Has enim orationes typis paraturus, cum maxime *Davidis* Regis exemplo parentum in liberos amorem pingebat, ubi dilectissimi sui Cornelii longinquis illis in terris exstinctam esse adolescentiam accepit (1).

Sed vix aut ne vix quidem lacrimae hujus in funere profusae, triennii spatio interjecto, exarescere coeperant, ubi graviore etiam vulnere sauciatum pectus sensit, filiâ orbatus natu maximâ, quae matri cognominis fuerat. »*Ego,*" inquit, »*dilectissi*»*mam filiam* Catharinam Corneliam, *vixdum* 24 *annos na*»*tam, quae biennio ante* Henrico Gerardo van den Es, »*Theologiae Doctori et Pastori Sassenhemiensi, nupserat, nono* »*post difficillimum et arte adjutum partum die,* XVI *Augusti,* »(a. 1821) *puerperali istâ febri sive peritonitide correptam, in* »*ipso aetatis et formae flore exstinctam vidi* (2)." Quod lugubre spectaculum quomodo viderit, quam vehementer depressus nec tamen oppressus, non est quod memorem. Neque

---

(1) *Redevoeringen voor Jongelingen*, I. 119 prioris editionis. Neque enim in alterâ, p. 90, locum, qui filii mortem attingebat, repetiit.

(2) Vid. annot. prima post orat. supra laud. *de conjungendâ cogn. hist. et philos.*

enim ex cujusquam narratione tam plene rem percipies ac persentisces, quam ex Patris illâ oratione sacrâ, cujus eximiam pulcritudinem modo antea sumus admirati; quâ ad *coelum, ubi nulla nox erit*, oculis conversis, suis consortiumque malis consolationem paratam esse, solam illam sed certam eandem, et profitetur et ostendit (1).

Sed quando de Catharinâ dixi, continuo pauca adjiciamus de Essio marito, Viro non indocto et bono. Hic igitur uxori Clarissiae, quâ defunctâ altera vota contraxerat, per tredecim fere annos superstes vixit. Jam vero hujus quoque ipsius obitus inexspectatus novo nec mediocri luctu Soceri domum funestavit. Cum praesertim filium relinqueret impuberem, ex Catharinâ natum. Cujus res et fata, neque haec sola, optimo Avo, ad extremum usque vitae halitum, quantum sollicitudinis atque aegritudinis pepererint dictu incredibile est (2). Sed ad ea, quae antea jam longe acerbissima Clarissio evenerant, pedem referamus.

Filium igitur Cornelium filiamque Catharinam lugenti Patri id certe aliquamdiu remanserat solatii, quod doloris participem ac sociam haberet, secum liberos deflentem, conjugem fidelissimam Eckiam, de cujus dotibus supra me narrare memini (3). Verum ne huic quidem una cum marito senescere contigit. Vix enim aetatis annum alterum et quinquagesimum expleverat, ubi d. 28 Augusti 1826 exspirat. Atque ita, quam per duos ac triginta amplius annos utriusque fortunae con-

(1) *Leerredenen, bij bijzondere gelegenheden uitgespr.*, p. 203 sqq.

(2) H. G. van den Es edidit *disp. inaug. de Pauli ad Titum ep., cum ejusdem ad Timotheum epp. duabus compositâ;* L. B. 1819. 8. Quâ de disp. vid. Clar. *Cens. Censs.* XIII. 1. 276; item Vir doctus in: *Bijdr. tot de beoef. der godgel. Wetensch.* VII. 723. Ejusdem binae exstant commentationes in: J. H. Krom, *nieuw Christ. Magazijn*, IV. 126. 535. — D. 25 m. Oct. 1834, aetatis annum agens 39, Sassenhemiae obiit.

(3) Vid. p. 34 sq.

sortem habuerat, difficillimo sibi tempore debuit efferre Vir viduus.

A tristissimo illo, quem dixi, die biennii fere spatium abierat, cum Praeceptoris epistolam accepi, cujus *Jeremiana* haec vox dicto vehementius me percelleret: »*Corona nobis de capite decidit! Vae nobis quod tam graviter peccavimus!*" Quae vox nescio utrum majorem spiraret Patris, qui vitam ex vitâ amisisset, aegritudinem, an hominis Christiani, Dei beneficiis sese plane indignum reputantis, modestiam ac pietatem. Nuperrime enim obierat, immo Parenti non magis, quam Patriae, quam Ecclesiae, quam artium disciplinis praematurâ morte ereptus erat Theodorus Adrianus Clarisse, Joannis filius natu maximus idemque Theologiae in Academiâ Groninganâ Professor laudatissimus.

Hic in pueritiâ quidem atque ineunte adolescentiâ ingenii alacritate ac dotibus inferior fratribus visus erat, quin, per minus elegantem incessum atque habitum, semiclausis fere aut conniventibus oculis, subinde scurrilium nonnullorum hominum risus excitaverat. Quamquam Virum venerandum ac valde perspicacem cognitum habui, cujus institutione catechetica puer utebatur, qui, non sine indignatione istis auditis jocis, reponere soleret: »*Enimvero mittite mihi huncce* Theodorum, *qui suis ipse* »*contemtoribus longe sapientior est.*" Quem verum vidisse luculenter docuit exitus. Idem enim illud, quod in puero obtusius visum erat, ingenium, ubi primum in adolescente explicare se atque evolvere incepit, acerrimum apparuit raroque vigore praecellens. Nam primum Academiae Harderovicenae civibus adscriptus, tum privatâ Patris Roterodamensi, tandem publicâ et hujus et aliorum Professorum Leidensium disciplinâ usus, aquilinis veluti alis in doctrinarum arcem evolavit. Immo, paucorum annorum spatio, tantam ac tam variam sibi comparâsse eruditionem perceperunt Praeceptores, ut hâc quidem in re nullus Parenti similior esse posset filius, quam Joanni Theodorus. Qui qualis futurus esset, certissimo jam augurio doctissimae

binae demonstraverant disputationes academicae; quarum altera *Athenagorae* cognitionem, altera *Psalmorum Hammaäloth* interpretationem sibi propositam habebat (1). Non mediocri igitur laude commendatus juvenis, quadriennio fere utiliter in *Dornae* statione acto, ubi idem, quod olim Pater, obibat munus sanctum; a. 1823 Groningam evocatur, Hermanno Muntinghe, Viro summo, theologicâ in cathedrâ successurus. Ubi quantâ cum discipulorum utilitate et approbatione, quam incredibili cum omnium applausu per quinquennium in sacrâ disciplinâ tradendâ versatus sit, si ex vero narrarem, et fidem fere superaret oratio et actum agere videretur. Nam et academici hujus curriculi

---

(1) Vid. commentatio, praemio acad. ornata, *de* Athenagorae *vitâ et scriptis*, quae exstat in *Annall. Acad. L. B.* a. 1818—1819; — tum: *Psalmi quindecim Hammaäloth*, *philologice et critice illustrati. Spec. exeg. inaugurale;* L. B. 1819. 8. De priore commentatione v. *Cens. Censs.* XV. 1. 62; — de posteriore *ibidem* XIII. 1. 278; item *Bijdr. tot de beoef. en geschied. der godgel. Wetensch.* VII. 522.

Ipsum esse cui *indices* debeamus ad Hamakeri *Spec. Catalogi Mss. OO. in Bibl. Leid.*, refertur a *Cens. Censs.* XIV. 1. 125. Nostram in linguam convertit utilissimum Ewaldii opus: *Menschenbestemming en Levensgenot, zedek. voorlezingen;* Amst. 1814. II. Voll. 8. Quod refert Pater *Epit. Encycl.* p. 553. Cf. *Cens. Censs.* VIII. 1. 527. IX. 1. 197. Item convertit Münscheri: *Leerboek der Christ. Kerkgeschiedenis; Amst.* 1818. 8. Quod docet Pater l. l. p. 368; qui etiam ipse et operi praefatus est et nonnulla addidit. Cf. laud. opus menstruum, XII. 1. 429.

Suo Marte, Jenam tamen et Reinhardium in nonnullis imitatus, T. A. Cl. edere incepit opus: *De weg tot Christ. volkomenheid of de Christ. Zedeleer* caet.; *Gron.* 1826. 8. Quod opus, hujus morte interceptum, sese absoluturum receperat J. Cl., l. l. p. 518; nec tamen consilium perficere potuit. — Et haec scripta et vero binas, quas edidit Professor Groning., *orationes acad.* accurate laudavit Sendenius, in auctoris *Memoriâ*, (de quâ infra) p. 47.

Posthumas nonnullas ejus orationes edidit J. Cl., inscriptas: *Nagelaten leerredenen door* Th. Ad. Cl.; *Gron.* 1829. Quem librum Patris ornat *praefatio*, quam sine magnâ animi commotione nemo paullo humanior legerit. — Rari atque unici fortasse res fuit exempli, quod Jo. Cl. et *Patris* et *Filii*, *cognominis* utriusque, posthumas edidit orationes sacras. — Filii de Gerardo Magno commentationem ipsum continuâsse atque absolvisse mox videbimus.

laudes et totius vitae terrestris, eheu, quam brevis illius! ornamenta praestantissimi plures Viri accurate ac perhonorifice posteritatis memoriae mandârunt (1). Ut paucissimi fuerint, tam praematuro quidem fato abrepti, Doctores publici, quibus tot obtigerint eâ facundiâ laudatores. Quin Pater adeo, litteratam aliquam, quam inchoatam reliquerat Filius, telam pertexere ingressus, de ipso Theodoro suo ea adjecit, quae interius ac penitius, quam alius quispiam facere potuisset, cognoscendum eum darent (2). Quocirca quae, et ab illis et ab hoc potissimum, copiose ac vere narrata sunt legenda commendare malo, quam tenuiter repetere.

---

(1) Datâ operâ ejus vel vitam enarrârunt vel merita celebrârunt A. Ypey, *akad. leerrede ter gedachtenis van wijlen den Hoogl.* T. A. Cl. *Gron.* 1829; — P. Hofstede de Groot, *hulde aan* T. A. Cl. ibid. 1828; — G. H. van Senden, *de nagedachtenis van* T. A. Cl. *plegtig gevierd in eene openlijke vergad. van het natuur- en scheikundig Genootsch. te Gron. ibid.* 1828. Qui etiam de eodem videndus in: *Almanak der Akad. van Gron. ad a.* 1829, p. 68 sqq. — Porro illius celebratur memoria a S. Brouwer, *orat. rect.* p. 28 sqq., in *Annall. Acad. Gron.* a. 1827—1828; — a Juynbollio, *or. de meritis* Hamakeri, p. 58 sq., *ejusdem Ac. Annall.* a. 1835—1836; — a Bakio, *or. rect.* p. 25, *Ann. Ac. L. B.* a. 1828—1829; — a Kistio et Royaardsio, in *praefat. Tom.* I. operis: *Archief* mox laudandi; — a Colloto d'Escury: *Hollands roem in Kunsten en Wetenschappen*, V. 207; — a Siegenbeekio, in *or. ad Soc. Leidensem Litt. Nederl.* ad a. 1829, p. 32 sq.; — a Roversio, in *Memoriâ* Heusdii, p. 98. Nec negligatur *Supplementum ad* G. Nieuwenhuis, *algemeen Woordenboek van Kunsten en Wetensch.*, in nomine.

(2) Hic in opere: Kist *en* Royaards, *Archief voor kerk. Geschiedenis, inz. van Nederland*, T. I. 335 sqq. multis cum additamentis suis commentationem edere incepit, quae inscribitur: *Over den geest en de denkwijze van* Geert Groote, *kenbaar uit zijne schriften. Door wijlen* T. A. Cl. Cui commentationi locupletem Pater praemisit *epistolam ad Editores*, seu narrationem de Filii fatis et indole. Cff. quae de eodem dixit ipse in Fasc. *Leerredenen naar de behoeften van onzen leeftijd*, p. 217 sqq., ubi flebilis non magis, quam pia oratio de *Rom.* XI. 33—36 Patris animum nos admirari jubet. — Sed ad commentationem de Gerardo Magno redeamus, a Th. A. Cl. inchoatam. Hanc igitur, incredibili collatâ in hoc argumentum eruditionis copiâ, continuavit atque absolvit J. Cl., memorati *Archivi* Tom. II. p. 245 sqq. Tom. III. p. 1 sqq. (*Supplem.*) tandem T. VIII. p. 1 sqq.

Theodorus igitur, quem non verius necessariorum amorem ac delicias dixeris, quam Patriae atque Ecclesiae gloriam et spem, feriarum aestivarum anni 1828 opportunitate usus, Groningâ Leidam se contulerat, Parentem, ut sperabat, de tot consolaturus malis domesticis. Apud quem vero aliquamdiu commoratus, ineunte mense Septembri necopinato corripitur morbo; cujus vehementiae versus ejusdem mensis finem, proh dolor! succumbit, aetatis annum agens quartum et trigesimum. Quem tali praestantiâ Filium, quo intolerabili fere pectoris moerore discruciatus, suis in brachiis exspirantem adspexerit Pater, silex sit qui non persentiscat. Hujus sane animus, tot jam carissimorum capitum amissione tentatus jactatusque, quod ne hoc quidem ferali calamitatis ictu plane prostratus est; illustre constantiae documentum vides ac fidei Christo habitae, quae mundi non tantum illecebras, sed dirissimas etiam quasque aerumnas vincere docet ac superare.

Ecce vero! vix pauci nonnulli menses abierant, cum a dilectissimo lugendo Theodoro novus eum luctus avocat atque avellit, sauciati pectoris ac male sanati vulnera novo vulnere refricans. Jam enim minore orbatur filio Abrahamo Adriano, qui, aetatis anno septimo et vigesimo, Amstelodami, ubi mercaturam exercebat, lentâ tabe consumtus diem obiit. Et viduam hic relinquit uxorem et filiolum infantem. Quem vero, Patri non diu superstitem, etiam ipsum fato raptum vidit Avus; cujus aegritudini ac moerori ne hic quidem cumulus deesse debere videbatur.

Ac ne nunc quidem malorum, quae Leidae habitantis Patrisfamilias animum cruciârunt, exhaustum fuit poculum. Solitariae enim senectuti ne suavissima vitae domesticae solatia deessent, neve maternis curis perpetuo destituti manerent prioris tori filii filiaeque minores, anni 1829 mense Aprili altera vota contrahere visum erat cum uxore lectissimâ, honestissimo loco natâ eâ, Adrianâ Joannâ Pompe van Meerdervoort.

Quas pari fere jure vel faustas dixeris vel infaustas nuptias. Nam faustas dicere non dubitabis, si qualis illa mulier esset ex unanimis eorum, quibus cognita fuit, testimoniis acceperis; omnibus iis artibus exculta, quarum cognitione ad honestam elegantiam sequioris sexûs ingenium informatur ac componitur; tum, quod longe majoris etiam faciendum, pietatis in Deum hominesque ac sincerae virtutis Christianae pulcerrimum exemplum. Nec solum cum Marito, a quo quantopere amaretur testes habeo plures hujus epistolas, conjunctissime vivere ipsi contigit; verum ipsorum etiam hujus liberorum, et majorum et minorum, tantum sibi conciliare amorem, ut, quamvis ominoso nomine noverca diceretur, vera eorum mater esse omnibus videretur.

Sed quibus nuptiis faustissima quaeque augurari visae erant Uxoris Marito dignissimae virtutes eximiae dotesque; eas et infaustas reddidit nec diuturnas esse sivit illius valetudo afflicta, haud intermissa aegrotatio, mors praematura. Vix enim Clarissio juncta erat, ubi vehementius a diro tentari coepta est hydrope; cujus jam antea prognostica Medicorum aciem non fefellerant. Magis magisque increscens malum a saepissime repetitâ paracentesi brevissimi tantum temporis levamentum aliquod accipere, nec ullo cujusquam remedio curari posse. Nullo non matrimonii tempore graviores, subinde fere intolerabiles, dolores magnanimam agitare matronam. Quidni enim magnanimam dicamus, cui, teste Reinwardtio, Clarissii Familiari, *in gravissimis corporis doloribus animi fuit invicta aequabilitas et constantia et patientia?* (1) Sed quantis illam vexatam videbat corporis cruciatibus Maritus amantissimus, tantam hauriebat ipse ex acerbissimo hoc ejus malorum conspectu mentis aegritudinem. Ad vetera enim, cruda adhuc, novum hoc idque acerrimum vulnus accedebat, quod, dilectissimae conjugis mala spectare coactus, aliud ex alio auxilium tenerrimo molitus amoris affectu, nihil tamen suppetiarum ferre, nullum certe, quod letalem averrun-

(1) Ipsissima haec illius verba sunt, quo loco, *orat. rect.* p. 30 (*Ann. Acad. L. B.* a. 1832—1833) de Clarissiae obitu retulit.

caret aut differret horam, remedium excogitare aut parare posset. Ipsissimo enim a matrimonii contracti tempore elapso triennio, tam diuturnis illa corporis exercitata malis succubuit, atque incredibile Marito sui desiderium reliquit (1).

Per lugubrem hunc conjugis vigilantissimae decessum, qui ad animi moerorem dictu acerbior illi acciderat, novam denuo curarum domesticarum molem ac sarcinam in Patremfamilias, iterum viduum, revolutam esse sponte intelligitur. Verum harum curarum ad pondus ac gravitatem, quarto post anno, novum nec leve momentum adjectum sensit Amicus. Jam enim alterum vegetâ aetate exstinctum videt Generum, Gualtherum Macquelyn (2), qui aliquot ante annos juniorem nupserat Clarissiam. Nemini enim cuiquam et Filiae viduatae et Patre orborum liberorum impuberum salutem, incolumitatem, victum magis curae fuisse majoremque sollicitudinem peperisse, quam illius Parenti atque horum Avo, qui et paternum animum cognoverit et funesti casûs adjuncta tristia sequelasque, facile me tacente videbit.

Quam gravibus, quam saepe repetitis nec raro incredibili celeritate cumulatis cladibus domesticis ac carissimorum capitum funeribus, stationis Leidensis spatio, contristatus sit atque afflictus Clarissii animus, brevi sed atrâ tabellâ deformavimus. Nec omnia tamen nos narrâsse mala domestica, non deerunt lectores qui facile recordentur. Nescio igitur utrum potius Viri, tot ac tam continentibus aerumnis exagitati, nec iis tamen prostrati, sortem misereri oporteat, an constantiam admirari. Nullis enim fractus aut dejectus quamvis magnis calamitatibus, nec ullis in-

---

(1) D. 16 Aprilis a. 1829 Clarissio nupserat, obiit autem d. 27 Aprilis a. 1832.

(2) Mortuum d. 3 Novembr. 1835, vix tricesimo aetatis anno exacto.

gravescentis aetatis incommodis retardatus aut hebetatus, muneris officia ordinaria atque extraordinaria strenue obeundo, et libros utilissimos ac doctissimos edendo, et alia numero infinita in commune bonum Societatis vel sacrae vel litteratae conferendo, multos per annos, indefessâ virium contentione ac juvenili vigore, perrexit duravitque. Atque ita tandem ad illam publici curriculi metam pervenire contigit, ubi, nostrarum Academiarum ex institutis, otium cum dignitate septuagenaria concedebat atque adsignabat aetas.

Primâ igitur illâ sese abdicandum putat muneris parte, quâ statis diebus *sacrae* pro concione *orationes academicae* pronuntiandae incumbebant. Quo consilio, d. 11 Octobris a. 1840, ubi septem jam amplius lustra binis potissimum in Academiis docuerat (1), ultimam hujus officii orationem habet, auditoribus locum enarrans *Ecclesiastis* libro consignatum, Cap. III. s. 1—15. Quem ipsum locum per haud paucas, quae antecesserant, dierum hebdomades, tanquam eum animo suo obversatum esse affirmat, cujus recordatio hujus imprimis diei ac consilii opportunitati accommodata foret. Nec pauca sane, de temporum sese invicem excipientium varietatibus ac vicissitudinibus, ibi dicta leguntur, quae suas ad res suamque ad vitam, vel ante actam vel praesentem, commode ac fructuose transferre posset ingeniosus idemque copiosus Orator. Veluti quae docentem audimus Koheleth: »*Sua* »*cuique rei tempestivitas est, habetque tempus quidquid sub coelo* »*libet. Est serendi tempus, est et sata evellendi. Est destruendi* »*tempus, est et construendi. Est plorandi tempus, est et ridendi.* »*Est disjiciendi lapides tempus, est et comportandi* (2)." Haec atque alia in eandem sententiam ille.

Nec continuo tamen post habitam hanc, quam *valedictoriam* dicere possis, orationem rude donari atque Academiae valedicere voluit Amicus. Huic enim solidum etiam proximi stadii annui tempus, corollarii instar, donandum atque impertiendum

(1) Intermedio etiam tempore Roterodamensi eum docuisse vidimus.
(2) L. l. sect. 1—5, interprete Castellione.

putat. Neque igitur, ante anni 1841 exeuntem mensem *Junium*, vel auditorium claudere vel Leidae moenia relinquere. Verum nunc etiam candidi non deerant amici, qui, Te Wateri, Royaardsii, Heringae aliorumque Professorum veteranorum exempla laudantes, ut nonnullas certe Scholas habere pergeret suaderent. Nam et tantâ illius luce illustrem, quam diu occupârat, cathedram nondum plane destitui volebant, et vero ne consilii, quod eum cepisse acceperant, rus secedendi postmodum eum poeniteret verebantur. Cum praesertim, quinque jam per lustra, in splendido illo doctrinarum theatro ac domicilio Lugduno-Batavo, nullâ non supellectile litteratâ abundante, Vir versatus esset cum ad docendum natus factusque, tum suae ipsius doctrinae identidem augendae opportunitates, ad ipsam usque senectutem, cupidissime quaerens captansque.

Nec his tamen eorum consiliis de suâ se demoveri patitur sententiâ ac proposito. Tot enim, quot diximus, per annos innumeris distractus varii generis occupationibus molestisque studiorum interpellationibus, tot jactatus fortunae fluctibus, nunc tandem quietem requirit anhelatque ac liberius tempus illud, quo, nullis amplius muneris vinculis atque officiis adstrictus, juventutis intermissa quodammodo studia repetere ac persequi posset; quo Naturae, cujus semper amantissimus manserat, miracula propius contemplari; quo scripta vel inchoata absolvere vel edere meditata. Et vero, quod primum me dicere oportuerat, tempus ardentibus sibi votis expetebat, quo, rerum terrenarum impedimentis solutior, liberiore cum Deo Christoque commercio ac communione usus, animum ad abitum migrationemque in beatorum sedes plenius praeparare contingeret.

Atque aliud quid accessisse videtur, quod ipsi secedendi consilium commendaret, vel in eo pridem capto persistere moneret. Sicuti supra audivimus, proxime jam instante legitimo curriculi fine, haud mediocri senilium contentione virium novas commentârat ac tradere inceperat Scholas in religionis Christianae *Apologeticen*. Hae vero Scholae, quae noli dubitare quin quantivis pretii fuerint, in auditorum studia inciderunt nec ab

initio fervida et minime constantia. Quod eorum frigus mihi, discessum a cathedrâ modeste dissuadenti, diserte objicientem atque opponentem audivi. Non profecto quasi minus placide tulerit aut impatientius, quod, rerum academicarum cursum longo usu perspectum habens, haud vehementer mirari posset. Cum praesertim Studiosorum querelas non ignoraret, Scholarum, quibus interesse lex jubet, multitudinem inculpantium. Sed per haec tamen atque alia rerum suarum adjuncta jam vela contrahendi sibi signum dare Providentiam divinam putabat. Qui igitur unius Dei ad nutum bis olim cathedram occupaverat, eamque coelitus commissam diu puram atque illibatam servaverat, nunc ita vel maxime ejusdem monitis sese obtemperaturum persuasum sibi habuit, si ab eâ tempestive descenderet. Atque hic vitae Clarissii academicae finis fuit et exitus. Ex quâ ipsius vitâ disciplinam exstitisse, quae mihi multisque variae aetatis condiscipulis vitae *vere theologicae* initium fuerit ac fundamentum, aeternam Deo gratiam habebimus.

CAPUT SEPTIMUM.

DE EMERITI RUSTICATIONE.

Pulchro atque amoeno in Gelriae tractu, Velaviae ad marginem, prope Rhedeniae pagum villa est, (*Brinkiae* vocant aedificium) modica quidem illa, sed nitida eadem ac commoda. Cujus et situs et purus aër et aedes et hortus et alia bona ita Senem allexerant ac ceperant, ut reliquae sibi vitae terrestris domicilium ibi potissimum collocare placeret. Cujus consilii nunquam eum poenituisse satis mihi constitit. In hanc ipsam igitur villam, una cum binis filiabus, alterâ innuptâ, viduâ alterâ hujusque cum liberis, memorati jam anni 1841 m. Julio commigravit. Quâ Sapientis quiete usum, longe maximam temporis partem recolendis Litteris et sacris et aliis artiumque variarum disciplinis eum dedisse, dicere vix attinet. Nec enim Clarissio vita, sine frequenti Musarum ac Palladis commercio acta, vitalis fuisset. Verum aliquid etiam temporis corpori recreando ac reficiendo dare, et frequenter institutis ambulationibus, et horto, quo delectabatur, pro virium senilium modulo suâpte manu exculto. Nec quisquam putet velim, Philosophi Cynici instar aut Monachi Eremitae, villae suae se terminis lucifugum inclusisse aut abscondisse. Hominum enim amans ac nihil humani a se alienum putans, quos cognitos habebat et li-

benter apud se recipiebat, et majore alacritate ac facilitate paullo etiam remotius habitantes invisebat, quam a Sene, multis curis ac lucubrationibus detritum habente corpus, exspectâsses.

Leidam quidem alias subinde rediit, Collegas civesque, quos ibi reliquerat, sibi devinctos salutaturus; sed minime gratâ de caussâ, anni ab abitu proximi sub autumnum, *Bibliothecae partem majorem* publice divendendam curaturus (1). Librorum enim nullius non generis, in quibus maximae formae non pauci, insignem copiam ac multitudinem diuturnâ illâ vitâ litteratâ sibi collegerat ac fere cumulârat. Quos igitur omnes asportari iisque aedes onerari, pulcras quidem, sed rurales easdem, nec ad tantam capiendam Bibliothecam factas, commode non posse facile videbat. Triste quidem negotium ab haud paucis divelli libris, quos a pueritiâ comites habuisset vitaeque socios maxime assiduos atque intimos. Verum aequâ mente necessitati parendum esse existimabat. Nec mirabimur tamen, si libros divenditos in iisque, ut fit, non paucos exiguo aut nullo fere pretio venum euntes videns, adstanti dixit Amico: *Est mihi quasi jam sepeliar ipse!* Quamquam *amara* haec et amariora non pauca alia *lento temperavit risu.* Et vero ex distractione eam sibi Bibliothecae partem reservavit, quae et nunc asportata permultas repleret majores cistas, et senectutis studiis alendis abunde sufFectura foret.

Sed laetiora videamus. Secessum enim ac solitudinem non mediocriter exhilarabat consuetudo binis cum Viris optimis ac litteratissimis, in dispari aetate ac necessitudine pari aut simili

---

(1) Catalogi, minutae formae typis expressi, ac pp. 152 implentis, titulus est: *Pars major librorum, varii scientiarum generis, quibus usus fuit* J. Cl. — *Quorum publica fiet auctio d.* 4 *Octobr.* 1842 sqq. caet. Scriptorum *anonymorum* notationi saepius adjecta reperies auctorum nomina. Quocirca librorum amatoribus non est negligendus catalogus.

certe Clarissio junctis animorum consociatione. Uterque enim maximi eum faciebat ab ipsoque vicissim eximie diligebatur. Endium dico et Itersonium. Illum Viri, de quo dicimus, veterem fuisse condiscipulum Haastrechtanum eundemque, per totam deinceps utriusque vitam, Familiarem intimum supra narravimus (1). Hunc igitur Patriae *Scholarum*, de quibus immortaliter meritus erat, *Inspectorem* emeritum, id temporis in agri Zutphaniensis villâ *Geessinkiae* rusticantem, constanti pacto alternis mensibus invisebat ipse, alternis hospitem excipiebat gratissimum. Ubi collocutiones tales inter binos Senes, quorum foedus dimidiatum amplius Seculum confirmârat, quantâ familiaritatis suavitate condirentur, et quam singulari rerum divinarum humanarumque cognitione cernerentur, ita sponte intelligitur ut referre supervacuum sit. Tandem Endio suis vicibus Amici adeundi non sane voluntas animi, sed corporis, magis magisque senio confecti, vires defuerunt. Sed, ne nunc quidem conversationem refrigescere ac mutua colloquia cessare passus, paullo vegetior alter Sodalis stata in *Geessinkiae* villam itinera continuavit. Ac duodecimo demum die ante Endii obitum ultimum illi dixit Vale (2).

Alterum, in propiore etiam vicinitate habitantem, Amicum habebat Itersonium, cujus nomen huic jam opusculo praefanti mihi honorifice nuncupandum fuit. Qui, quâ assiduitate et constantiâ et fide olim, Theologiae Studiosus Leidensis, magni hujus Theologi disciplinam coluerat, eâdem nunc, coetûs Arnhemiensis Antistes facundissimus suoque merito aestumatissimus, Senis ejusdem sapientissimi et amicitiam coluit et colloquia quaesivit. Quibus eorum colloquiis, ne theologica memorem, uberrimam praebebant eamque certo definitam materiam communia *Mineralogiae* ac *Geologiae* studia. In utrâque enim quantum operae, neque id privatâ magis industriâ quam publicâ auctori-

---

(1) Vid. impr. p. 29. 30.

(2) Vid. supra laudata Endii *vita*, p. 91 sq.

tate, posuisset alter supra narravimus. Utriusque autem interiorem cognitionem jam cupide appetebat alter. Cum praesertim haec studia facilitaret ac commendaret locuples, qui *Brinkiae* nunc ornabat aedificium, lapidum, metallorum aliorumque in utroque doctrinae genere naturae operum thesaurus. Cujus conspectum fructuosum reddebat intelligentissimi Domini explicatio (1). Quid multa? Nemo in illam, quam dixi, villam frequentior ventitabat aut gratior hospes, quam Itersonius. Nec discipulorum quemquam huic anteponebat, paucissimos aequiparabat Praeceptor idemque Familiaris.

Sed prae Museo mineralogico, quamvis pulcre instructo ac disposito, *Pulpitum sacrum* amabat, ac lectissimis quibusque, quos libenter eum adiisse novimus, doctorum hominum consessibus conventus Christianorum, in templis Deum colentium, anteferebat Amicus. Nec mirum igitur Euangelium annuntiandi opportunitates, hâc ipsâ etiam senectâ, quaesiisse eum potius, quam refugisse. Veluti hoc agens, a. 1842 rudiore aëris autumnalis temperie se non deterreri passus, paullo molestius iter suscepit in pagum *Amerongiae.* Hujus enim civibus, quibus multos ante annos Pastor praefuerat *Pater*, quique postea ipsi, Dornensis tempore stationis, benevolentissimos se demonstrârant, vetere se junctum sensit animi affectu. Atque apud hos cum maxime Christi ministerium auspicaturus erat P. A. Borgerus, magni illius Borgeri, Collegae dum vivebat Leidensis, filius idemque Clarissii de meliore notâ discipulus. Huic igitur consecrando orationem habet solennem, cui Paulli Apostoli verba praescripta erant: *Ταῦτα λάλει.* (*Tit.* II. 15ᵃ).

(1) Ad dictorum illustrationem ac confirmationem cff. supra p. 88 sqq. narrata, et lustretur *Catalogus librorum ad Mineral. et Hist. Nat. pertinentium*, item *Musei mineralogici* caet. *Quae reliquerunt* J. Cl. *et* W. C. L. Cl. Quem catalogum *a.* 1848 *Amst.* vernacule edidit Fred. Muller, cui totius apparatûs publice vendendi cura commissa fuerat.

Brevissima sane illa; sed quae eadem Oratori, verborum contextum accurate perpendenti atque in usum convertenti, campum aperiebant latissimum Antistitum officium omne ac doctrinae, quae imprimis iis commendanda incumbat, rationem per partes exponendi. Ac gravissimo huic argumento ita satisfecit, ut auditores non juvenilem tantum dicentis vigorem, senili junctum prudentiae, mirarentur, sed candidam etiam, quae nihil dissimularet, *παῤῥησίαν*. Nec enim levi ac blandâ manu Seculi ipsiusque adeo Ecclesiae ulcera tacta percipiebant. Rogantibus vero Amicis ut hanc certe utilissimam orationem publici juris fieri pateretur, sibi iis gratificandi non tam voluntatem deesse reposuit, quam facultatem; quandoquidem Amerongiae dicendorum non nisi minutam aliquam in chartam conjecisset notationem. Nec ullam veriorem esse potuisse excusationem, mihi certis constitit indiciis.

Hocce cum itinere, Borgeri consecrandi caussâ suscepto, iter comparari potest, quo Rhedeniâ proximo anno *Dornam* se contulit, ut, cujus templi in cathedrâ, ante seculum dimidiatum, consecratus erat ipse, in eâdem temporis illius, quo vix ullum sibi gravius aliud, memoriam cum primorum auditorum filiis ac nepotibus pie sancteque recoleret. Sed laetissimi hujus diei, aliâ in superioribus datâ opportunitate, brevem me facere mentionem memini (1). — Quocirca ea nunc ex eodem postremo vitae stadio memorare malo, quae minus quidem festa essent atque extraordinaria, nec minus tamen certo constantissimam Viri grandaevi propensionem in pulpiti sacri officia obeunda declararent. Subinde enim fiebat ut pagi, cujus incola erat, nec proximus tamen templi accola, Pastores vel valetudine impediti, vel curis domesticis detenti, vel ad alium quem coetum Antistite orbatum docendum vocati, Rhedeniae statis temporibus verba facere non possent. Jam ad suppetias ferendas neminem promtiorem ac li-

(1) Fuit dies festus 18 Septembris a. 1842; quo locus tractatus *Hebr.* XIII. 8: *Heri et hodie et in aeternum idem est* J. C. Cf. supra p. 35.

bentiorem experiri Collegam juvenem, quam hâc aetate Clarissium. Quem nonnunquam adeo ad eorum vicem in templi cathedrâ fungendam, suâ plane sponte, nemine rogante, se obtulisse puto.

Etsi autem jam decrevisse memoriam, decrevisse alias mentis dotes conqueri solebat sibi non facile placens Amicus; promtam certe pro concione dicendi facilitatem non imminutam esse, binis allatis, quae in ejusdem senectutis tempus inciderunt, exemplis probare juvat. Ubi igitur Solis die aliquo verba in templo se facturum receperat, ecquod argumentum tractare decreverit, et quo ordine singulas ejus partes disponere, proximâ vesperâ Filiae narrat contubernali. Nam, dummodo temporis paullulum suppeteret, dicenda non accurate tantum meditari, sed item disponere assolebat. Quae ipsa curiose meditandi ac severe meditata disponendi consuetudo diuturna (audiant omnes, ad quos res attinet!) admirandae illius facilitatis mater erat, quam nullus senectutis torpor retardaret. Sed quantopere mirari Filia, ubi postridie plane alium eumque longe diversi generis S. C. locum a Patre expositum audit! Ex quo domum reduce subito mutati consilii rationem exquirens, hanc fuisse accipit. Ex villâ in templum deambulans, horae quadrante aut paullo amplius distans, ita Naturae, Divinam testantis bonitatem ac magnitudinem, pulcritudine contemplandâ capitur atque abripitur, ut, seposito quod commentaverat argumento, in hujus ipsius sensûs societatem ac communionem e vestigio auditores advocare constitueret. O felicem, quem ita pectus disertum faciat ac promtum, Oratorem!

Ac, ne postremâ quidem vitae terrestris hieme, vel animum vel facultatem eum destituisse extemporali plane oratione Christi gregem docendi, viderunt omnes atque admirati sunt. Pio pro more, a quo sequendo nullâ facile brumae saevitie deterrebatur, templum adierat (1); Antistitem, ut sperabat, auditurus, qui,

(1) In quâcunque aëris temperie, bis singulis Solis diebus pedes Rhedeniae templum petere consueverat.

Rhedeniae, vacante sede, suâ nunc vice ex ordine sacra facturus erat. Quem vero diu frustra praestolari coetus. Consiliis cum Clarissio collatis, alios ex aliis hymnos cantare jubet Praecentor. Tandem omnem jam exspectatum videndi Oratorem spem evanuisse certiorem facit Senem, suo placide sedentem in subsellio, ne ecclesiastico quidem amictu indutum illum. Adeo non quid sibi agendum foret praeviderat aut suspicatus erat. Quo igitur erat habitu, suo de loco surgit, nec ullâ amplius morâ interpositâ suggestum adscendit. Quasi nihil inexspectati gereret, ita S. C. locum, quem repentino animi motu commodum judicaverat, enarrat, ita docet, adhortatur. Quid multa? Sic rem agit, ut auditorum neminem de Oratoris, quem praestolatus erat, absentiâ conquestum esse confidam.

Neque improvisa tamen haec oratio vicaria habitarum ad Rhedenienses omnium postrema fuit. Quo enim tempore vix unius mensis spatio ab abitu in coelestem patriam remotus tenebatur, adhuc quâ unâ viâ eo perveniri posset, Patris instar, demonstrantem audierunt iidem. Siquidem et haec, et quas antea non raro ipsius ex ore perceperant, conciones, utut accuratae et concinnae, veriore tamen nomine cohortationes erant, paternam et benevolentiam spirantes et sapientiam et gravitatem, quam ambitiosâ arte perpolitae orationes.

Verum non solos, quos dixi, vicinos, sed alios etiam quam plurimos otii sui fructus percipere voluit salutares. Quo consilio et ea, quae supra memorata sunt, scripta retractavit atque iterum edenda curavit; et vero, non diu posteaquam rus secesserat, novum *orationum sacrarum Fasciculum* emisit, sibi constantem illum, nec communis inscriptionis vinculo cum prioribus conjunctum (1). Qui praefationis loco humanissime scriptam

(1) Quod diserte monendum duxi, ne quis, *anni* forte notationem in titulo non attendens, hunc temere negligeret aut cum *Enchusano* confunderet. Hic enim, de quo dixi, brevissimam hanc habet inscriptionem: *Leerredenen, door* J. Cl. *Te Leiden, bij* S. *en* J. Luchtmans, 1842.

habet *dedicationem*, quâ *Christianorum Reformatorum Coetui Lugduno-Batavo* liber donatur. Hos enim, per seculi amplius quadrantem, eâ se prosecutos esse benevolentiâ atque eo affecisse honore, qui sua longe superaverit merita, demisse de se sentiens profitetur Auctor. Quocirca, posteaquam alibi collocato vitae domicilio ab iis discesserat, in publicum grati animi documentum, ipsis sese nonnullas offerre orationes, posteriore gesti muneris tempore in eorum templis pronuntiatas. Ex iis autem, quas fere perscriptas haberet, illas prae caeteris huicce insertas esse Fasciculo, quarum relegendarum copiam sibi fieri subinde Leidensium nonnulli cupiissent. Haec igitur aliaque ad eos, quibus proxime antegresso tempore Euangelium annuntiaverat. Quamquam ejusdem exitus dedicationis caeterorum, quibus antea eodem ministerio profuerat, coetuum, *Dornensis*, *Enchusani*, *Harderovicceni*, *Roterodamensis*, non minus benevolam habet recordationem. Quod reliquum est, ut in superiorum *Manipulorum* praefationibus, ita hîc denuo quae argumentorum summa sit, quae catenatio breviter declaratum legimus. Nulla hîc oratio quin argumenti pondere, una et altera, quae item novitate commendetur; veluti *sexta*, de 2 *Thess.* III. 5[a], *octava*, de 1 *Petri* III. 7[b]. Verum nec tales desunt, quae ab iis prae caeteris meditandae sint, qui, quid de summâ religionis doctrinaeque Christianae, consummatâ illâ vitae ac sapientiae maturitate, hic in paucis magnus statuerit Theologus, accuratius cognoscere cupiant ac percipere. Quarum orationum in numero et alias censuerim ac ternas imprimis eas, quae ordine primae sunt. Haud plane negaverim antea editarum nonnullas, si solum sermonis ornatum ac lumina spectaveris, ultimis his potiores fortasse haberi posse. Verum postremus hicce Manipulus procul dubio majore aliquâ commendatur cum universarum orationum, tum singularum et periodorum et partium brevitate. Ac memorabile mihi visum est ne eos quidem ipsos, qui de omni re theologicâ ab Auctore valde dissentirent, laudis testimonium illis denegâsse.

Rusticationis tempore non raro *Trajectum ad Rhenum* excurrebat; quo, si Heringae aliorumque vota valuissent atque ipse annuisset, olim ad Theologiae cathedram occupandam vocatus fuisset. Hîc enim et Professores inveniebat aliosque cives sibi amicissimos, a quibus maximi fieret. Hîc discipulos, quorum honore laetaretur, qui vero nihil sibi magis honorificum ducerent, quam eum, quem Praeceptorem habuerant carissimum, eundem veteris secum necessitudinis nec poenitere nec pudere. Hîc caeteris prae omnibus Suermannum invisere consueverat, Familiarem intimum; quocum, post contractum Harderovici foedus amicitiae sempiternum, illi laeta omnia communia fuerunt ac tristia. Cujus justissimo gaudio paterno ita modo antea se socium dederat conjunctissimum, ut sui ipse luctûs acerbissimi pro tempore oblivisci videretur. Cui vero nunc in moeroris atque orbitatis intimam communionem ac fidelissimam consolationem sese offerebat jungebatque, sive in Filii ejusdemque Collegae praestantissimi tumulo amare flenti, seu optimae Uxoris funus efferenti.

Amstelodamum eum subinde, alia ne memorem, *Instituti regii artium ac disciplinarum* conventus alliciebant. Illustris enim hujus Sodalitii Classi tertiae, serius quidem, quam oportuisse multi jure existimârant, sed tandem tamen aliquando Socius ordinarius adscriptus erat (1). Cujus honoris in titulo eum non otiose acquievisse, si vel aliunde minus certo constaret, satis superque gravissima doceret disputatio *de caussis neglectae, nostrâ maxime in Patriâ, Philosophiae.* Hujus enim, a. 1845, memorato Virorum doctorum consessui copiam fecit, eamque deinceps publice roganti discipulo cuidam, rogantibus aliis hu-

(1) Plerisque etiam aliis nostratum Societatibus litteratis adscriptus fuit. Sed, quando de omnibus accurate referre nequeo, in universâ hâc notatione acquiescere malo, quam, hâc illâve singulatim omissâ, hujus honori quid derogare. Nec vero laureolam in mustaceo quaerebat Clarissius. — *Leonis Nederl. Equitibus* eum adscriptum fuisse, satis notum est.

maniter morem gerens, emittendam curavit (1). Neque igitur prius eum *Philosophiae* reliquit amor studiumque, quam vitae terrestris halitus.

Harderovicum etiam ultimis vitae annis subinde se conferebat, ubi Academia floruerat, cujus memoriam nunquam eum sine magno desiderii sensu vidimus usurpantem. Cujus igitur Academiae alumni cum, a. 1840, vitae academicae recordati ac misere prostratae Palladi veluti parentantes, supra memoratum agebant festum; sociorum neminem praesentem salutârunt, cui conventus, flebiles cum laetis cogitationibus unicâ plane ratione conjungens copulansque, magis curae cordique esset, quam Magistro Clarissio. Haec quidem paullo anteaquam rus secessit acta erant. Praecipua autem eademque gratissima et tunc et postea memoratam in urbem excurrendi caussa Filii fuit amor, unius sibi, in Patriâ quidem atque in Europâ, relicti (2); quem ibi honorifico munere ornatum, sed ibidem, eheu! tristissimâ sibi suisque morte ereptum vidit. Quo de Filio, Patri carissimo paternaeque laudis ex asse herede, pauca quaedam hîc nobis dicenda sunt; quo verius de paterno judicemus et gaudio et dolore.

Walrandus Cornelius Ludovicus Clarisse, d. 17 Aprilis a. 1811, Harderovici natus, disciplinae puerilis feliciter positis tirociniis, a. 1828 Academiae Leidensis civibus adscriptus

---

(1) Conf., si tanti est, mea orat. *de Institutis acad.* (*Traj. ad Rh.* 1845) p. 60.

(2) Alter quidem filius vivebat Thomas Adrianus Maria Cl.; qui vero aliquot ante annis in Indiam Orientalem sese contulerat. Ubi Primipilus fuit militaris, tormentis bellicis praefectus; postea vero, ni fallor, Colonum se fecit. Aetatis autem annum agens quadragesimum, d. 23 Septembris a. 1848, Bataviae fato functus est. Hic igitur tribus cum sororibus Patri superstes fuerat. — Omnino Joanni Clarisse duodecim fuerant liberi, quorum, ipso vivo, tres tenerâ aetate mortui sunt, quinque adultâ. Ne de binis denuo dicam, quibus superstes fuit, generis.

erat. Ubi, primum Theologiae colendae destinatus, postmodum praecipuo quodam amore Humaniores complecti Litteras incipit; in quarum igitur studio vitae tabernaculum ponere mavult. Nec honesto Juvenis desiderio Pater intercedere sapientissimus. Quo igitur probante ac laudante, eâ assiduitate ac tam felici successu in elegantissimas illas incumbit Litteras, ut, ne privatas memorem vitae academicae laudes, a. 1834 publico eoque eximio honoris testimonio studiorum primitias ornatas videret. Philologi enim Rheno-Trajectini cum praemio proposito Lycaeorum nostrorum alumnis *Periclis vitam ac characterismum* describendum commendâssent, plures in arenam descenderant non unius Academiae cives minime contemnendi. Quo magis sane anceps ac dubia palmae obtinendae spes reddebatur. Verum, quod plures frustra speraverant, praemium Clarissio obtigit. Qui pariter cum commilitone Bootio, cui tamen minus favebat sortis fortuna, certaminis litterarii victor declaratus est. Illius enim commentationem *a diligenti rerum disquisitione, ab Antiquitatis Atticae cognitione, a judicii atque ingenii acumine doctrinaeque copiâ et varietate* commendari censuerant Judices (1).

Eodem autem, de quo agere incepi, anno 1834 Velavici Gymnasii Harderoviceni *Conrector* dicitur. Ac mortuo, triennio fere post, ejusdem *Rectore* Jacobo Terpstrâ, Viro de Litterarum disciplinâ optime merito, huic, omnibus probantibus, successor datur. Accessit, postremo vitae tempore, *Scholarum* dioeceseos illius *inspiciendarum* ac curandarum *provincia*. Quibus in muneribus obeundis quam accurate, quantâ fide ac religione versatus sit, omnium testimoniis constitit. Nec vero vitae scholasticae, quamvis occupatae, labores atque officia eum ab edendis detinuerunt elegantissimis doctrinae speciminibus. In quibus

---

(1) *Ordinis Phil. theor. et Litt. hum.* judicium consignandum curavit cl. Th. G. van Lidth de Jeude, *orat. rect.* p. 36 sq. V. *Ann. Acad. Rheno-Traj. a.* 1833—1834. Quo etiam in Vol. Clarissii exstat disp., quae eodem honoris loco habita est, quo elegans commentatio Joannis C. G. Boot, Viri nunc doctissimi et experientissimi.

Annotatio fuit *ad Thucydideam belli Peloponnesii epocham.* Cujus priore parte a. 1838 publice defensâ, *Doctoris* honoribus auctus est, cuique postmodum alteram subjiciendam curavit, illi non inferiorem. Item alias edidit *Clarissiano* nomine dignissimas commentationes; quae raram imprimis prodebant antiquas Graecorum *Inscriptiones* emendandi atque explicandi solertiam, peritiam, felicitatem. Immo, quâ jam nunc erat exquisitae doctrinae copiâ, altiorem ab eo cathedram non mediocriter ornatum iri, periti censebant arbitri. Ad quam sane obtinendam ipsi fortunae benignitas, non Praeceptorum defuit suffragatio. Verum tam laetas illas spes quam subitus, quam necopinatus excepit necessariorum et aliorum multorum luctus planctusque! »*Utilissimam enim ejus vitam multisque adeo necessariam, d.* 23 *m.* »*Decembris a.* 1845, *morbus absumsit gravissimus, quo carissimae Conjugi, tribus parvulis liberis dulcissimis, Patri grandaevo, dolentibus Amicis ipsisque Litteris ereptus, ingens sui desiderium bonis omnibus reliquit* (1)."

Patri igitur misero, ut de hoc uno dicam, quam acerbum pepererit moerorem Filii tam praestantis ejusdemque ultimi, in quo se revicturum speraverat, obitus necopinatus, nullâ quamvis disertâ narratione plene describi potest (2). Et vero tot jam domûs *Clarissianae* mala, quorum alia ab aliis excipiebantur, hîc lugenda inveni, ut si recentissimi hujus doloris magnitudi-

---

(1) Ultima haec reposui fere ex *Memoriâ Clarissii*, quam eleganter scripsit J. J. Kr e e n e n, ac *Symbolis litterariis* inseruit, *editis a Doctorum in Gymnasiis Batavis Societate*, Volum. VIII, p. 195—203. Atque idem Vir doctus, qui Collegam et vivum et mortuum coluit, eodem loco illius scripta accurate ac diserte recensuit. Magna W. C. L. C l a r i s s i i in *Epigraphicen Graecam* merita jure laudantur in opere: *De Gids of nieuwe Letteroeff.* 1847. 5. 377 sqq. Cf. *Konst- en Letterbode*, 1846, N°. 2.

(2) T h e o d o r i sui dilectissimi indolem atque ingenium hunc plane referre, sibi persuasum habebat utriusque Pater. Quo major eum spes tenuerat, fore ut *hujus* virtute atque eximiis dotibus *illius* jactura et sibi et Orbi erudito compensaretur.

nem verbis aequare conarer, nihil nisi putidam antea dictorum repetitionem afferre viderer. Ac me non monente intelligit unusquisque superiora calamitatum pondera, quamvis ingentia, Patrem, nisi vegetum, certe nondum aetate atque annis plane exhaustum et debilitatum, perculisse, hunc vero unum fuisse casum fatalem, qui labanti atque in sepulcrum jam inclinanti senectuti ultimum veluti fulcrum ac columen subtraheret et auferret. Quocirca de re omnium tristissimâ nihil nisi hoc unum narrabo. Vidi amice me invisentem Parentem moestissimum, quo ipso die Harderovico redierat, ubi carissimi capitis aperto tumulo testis funeris adstiterat miserandus. Jam etsi loquentis vocem fere faucibus comprimebat aegritudinis vehementia; nihil tamen querelarum de viduae, de infantum, de suâ sorte atque orbitate, nihil muliebris ejulationis, ne levissimam quidem impatientiae umbram, ex ejus ore dictisque percepi. Hoc uno autem vel maximo solatio depressum erigi significabat animum, quod, instantem sibi praesentiens mortem Filius, fidem Christo Conservatori eidemque peccatorum Expiatori habitam, quam vitâ demonstraverat, ipso jam abeundi tempore adventante, magnâ animi tranquillitate atque immotâ spei fiduciâ, diserte et definite tanquam unicum suae salutis praesidium ac Palladium professus esset.

Verum ne hic quidem ictus, qui tot aliis luctibus cladibusque cumulus adjectus erat, ita Viri invicti mentem prostravit, ut a Litteris strenue colendis suâque operâ locupletandis desisteret. Cujus sane perseverantiae novum hoc tibi erit idemque luculentum documentum. Nefasto illo, quod attigi, tempore totum eum occupatum tenebat vetus aliquod Carmen didacticum, exeunte Seculo XIII aut ineunte Sec. XIV permultis versibus *Nederlandicis* consignatum; quod, pro prisci aevi simplicitate ac ruditate, hujus *Universi rationem ac catenationem* astronomicâ ac physicâ institutione declarare conatur. De auctore etsi non certo constat, fuisse tamen ferunt *Fratrem* ali-

quem Gerardum, aequalibus suis paullo doctiorem. Copiosum igitur hoc Carmen plures Litterarum nostrarum Statores honorifice memoraverant; Bilderdicius adeo accuratiore argumenti expositione quodammodo illustraverat. Nec quisquam tamen ex bibliothecarum pulvere emittendum curaverat.

Quocirca, neglecto adhuc a Litteratoribus penso suscepto, hoc ipsum Carmen interpretari atque editioni parare instituerat Theologus veteranus. Nec vero levem fuisse hanc opellam aut facilem oblectationem senilem existimet quispiam. Nam primum permultis locis misere depravatis, plurium Codicum lectionibus collatis, nec raro testimoniorum vicariâ in subsidium advocatâ Criticâ conjecturali, medicina quaerenda erat atque adhibenda. Deinde voces locutionesque explicandae objiciebantur haud paucae, nonnullae adeo huic propriae privaeque auctori, quae non mediocrem in interprete vetustae linguae ejusque dialectorum peritiam requirebant ac cognitionem. Et vero, si hujusmodi officia plerisque veterum monumentorum editoribus communia sunt, *Fratris* Gerardi singulatim interpreti peculiare hoc incumbebat idque difficillimum pensum physicas illius atque astronomicas explicandi doctrinas. Quo consilio, facem praeferente sed tenuiter tantum lucentem Historiâ, ex hodiernâ rerum naturalium cognitione in angustas antiqui aevi ac valde circumscriptas earum notitias sese veluti transferre debebat ac demittere. Quâ demum sui ingenii demissione his ipsis tenebris lucem afferre poterat. Haec igitur omnia editoris pensa, tam varia illa ac molesta, sextum et septuagesimum agens vitae annum (1), ne per luctuosissimam quidem Filii mortem sese retardari passus, peregit Theologus emeritus. Atque ita peregit ut, in physicis certe atque astronomicis, quae hîc in censum veniebant, illustran-

(1) *Annotationis in Fratris Gerardi Carmen* p. 483 bina laudantur scripta, quae die demum 9 et 10 Octobris 1846 edita erant. Hoc ipso autem mense Octobri, m. Novembrem, ipsi fatalem futurum, proxime praegresso, Cl. sextum et septuagesimum complevit aetatis annum. Et vero, post consignatam illam scriptorum laudationem, nonnulla certe alia adjecit. Immo paucissimis demum ante exitum ex vitâ diebus opus plane perpoliisse videtur.

dis, paucissimi eorum, qui patriis in Litteris aetatem consumserant, vegetâ ac florente vitâ usi eâdem peritiâ ac felicitate versari potuissent. Quod igitur, ultimis vitae hebdomadibus aut diebus potius, telam pertexere contigit longam ac laboriosam, ipsius memoriae atque Orbi erudito gratulemur oportet. Gratulemur, inquam, doctae *Societati Litterarum Nederlandicarum Leidensi*, cujus in Operibus, non diu post Editoris mortem, liber locum invenit meritissimum. Qui sane liber, illustri hoc optimi Senis exemplo, omnes docuit Nederlandos, cum aequales tum posteros, amori, quo pulcherrimam nostram linguam prosequamur studioque, quo ejus honorem pro virili cujusque parte tueamur, non alios, nisi ipsius vitae, terminos nobis ponendos esse (1).

Sed ne quis forte, hujusce terrae rebus studiisque, quamvis laudatis, penitus immersum, altiora ac coelestia minus eum curâsse putet; et ea in memoriam revocet velim, quae, de constanti illius sacra in templis vel frequentandi vel praeëundi desiderio ac consuetudine, supra narrata sunt, et pauca ex epistolâ accipiat, quam, aliquot ante abitum diebus, ad discipulum aliquem dedit. Hic enim nuperrime exactum sextum et septuagesimum aetatis annum Praeceptori gratulatus erat, ac quam multa et quam magna illi sese debere sentiret declaraverat; adjectâ scribendi caussâ, quod, hâc illius aetate suaeque valetudinis infirmitate, ultima haec fortasse foret, quam daret, eo in genere epistola gratulatoria. Cui igitur, postridie Kalendas No-

---

(1) In *Operum* memoratae *Societatis novâ Serie* hocce Carmen *quartum* continet Tomum, L. B. 1847; et peculiarem habet hanc inscriptionem, unde plenius et illius ratio et Editoris opera cognoscetur: *Sterre- en natuurkundig onderwijs, gemeenlijk genoemd: Natuurkunde van het Geheelal, en gehouden voor het werk van zekeren Broeder Gheraert. Een Nederduitsch oorspronkelijk Leerdicht, — uitgegeven naar vijf zeer oude handschriften, met gebruikmaking van vier latere maar zeer naauwkeurige afschriften, met eene Inleiding en aanteekeningen, door* J. Clarisse.

vembres, longas atque humanissimas reponens litteras, et alia respondit; et ea, unde omnibus, quibus desideratissimi Viri cara est memoria, constare poterit, propinquâ morte, quam modeste ac demisse de se, quam pie ac fidenter de Deo Christoque senserit, qualemque salutis comparandae viam solam sibi sectandam proposuerit. Quae eo magis memoranda videntur, quoniam sancte mihi asseverare licet priores omnes, quas vidi, ejus epistolas, nullâ non datâ opportunitate, eadem, quae ultimam hanc epistolam, prodere animi sensa pietatemque. Accedit, quod postremis vitae horis, letali jam morbo tactus, quid mente agitaret necessariis atque amicis vix aut ne vix quidem aperire potuit.

En igitur *fidei* illius veluti *testamentum;* eo ipso tempore consignatum, quo per ea, quae vel petierat discipulus vel narraverat, et ad totius vitae ante actae memoriam recolendam et ad instantem proxime mortem cogitatione anticipandam sponte ferebatur. Propter quod ipsum epistolae momentum verba minus eleganter reponere ac convertere malo, quam minus accurate. »*Quod ex animo fausta apprecatus es,*" inquit, »*me tibi ob-* »*strictum sentio. Quas igitur preces vel integras vel ex parte* »*exaudire si Divinae placuerit sapientiae et bonitati; utinam* »*Dei id honori conducat, et verae nec opinatae tantum meae* »*saluti et aliorum utilitati atque emolumento! Verum, quod et* »*alias me tibi significâsse puto, nimis de me sentis honorifice.* »*Quâ quidem de re non omnia dicere licet, quae* mihi *mea di-* »*cit Conscientia. Profecto enim, si quis alius, ego certe* Porti- »toris *illius, in templo stantis, preces mihi accommodare pos-* »*sum debeoque ac mihi applicare. Quod utinam ego eo faciam* »*pectoris sensu, quem in illo depinxit Conservator! Utinam, ple-* »*nius, quam adhuc, Christo fidente animo, illi debitam amplec-* »*tar atque accipiam δικαίωσιν; eamque fidem vitâ et factis* »*exprimam, nec in publico tantum ac spectante mundo, sed* »*item in occulto, Deo coram omnia sciente sanctoque eodem!* »*Quam velim talis ego fiam, qualem me fieri debere scio, nec-* »*dum tamen esse, quantumvis grandaevum, existimo! Cui asse-*

»*quendo consilio utinam et consecretur et conducat hicce* (vitae »jam inchoatus) *annus pro ratâ hujus, quâ Divinam per beni»gnitatem vivere pergam, parte quâcunque, et vero reliqui tem»poris, si forte diutius etiam vita prorogetur, nullus non dies,* »*nulla non hora! Quod ut ita fiat, tuis etiam me precibus com»mendatum volo.*" Haec ille postridie Kalendas Novembres.

Sic igitur animatus, ratum hinc abeundi tempus, non magis anhelans quam extimescens, placide exspectavit. Et qualem sibi invicem apprecari consueverant veteres, facilem ex vitâ exitum; talem, aut non difficilem certe, sub ejusdem mensis finem ipsi largitus est Deus immortalis. Neque enim Virum pium, quem viventem multae aliorum mortes, multi fortunae casus acerbi cruciaverant, ubi letum oppetebat ipse, vehementioribus ejus angoribus cruciari voluit nec permisit Divina benignitas (1). Quamquam subito ex casu haud mediocri pavore sese perculsos senserunt necessarii atque amici.

Diu erat, quod Medici iidemque familiares, quâ corporis conformatione uteretur Clarissius attendentes, ne quando apoplexiâ tangeretur reformidaverant. Quorum quam verum fuisset augurium diei Veneris, 27 m. *Novembris*, vespera demonstravit. Hilariore enim animo cum filiabus pro more theae potu sumto, illud in conclave se receperat, ubi, post accensum in foco suâpte manu ignem, solitis litterarum studiis operaturus erat. Non diu vero hunc post discessum, ecce! subito cadentis fragore terrentur Filiae. Pavidae accurrunt. Humi prostratum, miserabile dictu! Parentem inveniunt dilectissimum. Jacentem, sed quid sibi accidisset monentem, erigunt quantumpote ac

---

(1) Quod post haec jam scripta animum adverti; loco postmodum laudando, p. 6, vere cl. Hengelius, illum *non tam morte exstinctum esse* dixit, *quam potius somno sine doloris sensu sopitum*, ac fuisse ejus mortem *abitum ex vitâ, valedicendi carentem acerbitate.*

quamvis consternatae sustentant; donec parato posset lectulo imponi. Quam celerrime Arnhemiâ arcessitus, Enclarius, Medicus experientissimus, brevissimo spatio adesse. Ne de aliis dicam remediis, largam post venae sectionem profluit quidem sanguis, sed est quasi una cum sanguine sana effluat suique conscia mens. Quid multa? Reliqua nox ac dies posterus triste Senis spectaculum ostendunt, modo placido somno sopiti, modo inquieto jactati, nec, si paullisper evigilaverat, animo compotis. Sub vesperam, amicitiae veluti alis vectus, advolat Suermannus, qui, quam fidem viventi nunquam non demonstraverat, eandem nunc morienti probare haud dubitavit. Nec tamen, jam desperatâ carissimi capitis vitâ, novis propinandis medicamentis nequidquam fatigandum esse moribundum existimat. Quamquam quae adhuc suaserat atque adhibuerat Enclarius, plane probantem eum habebant.

Lecto igitur ferali adsidente Suermanno, cui sui conscium salutare non contigit Amicum, moestis adstantibus filiabus, omnibus quantumpote prospiciente Itersonii curâ, postremam stadii terrestris noctem egit Senex. Primum quidem leni somno ac benefico consopitus videri; sed quem fallacem fuisse mox succedens ostendit letargia. Quam leti praenuntiam, *diei Solis, 29 Novembris* a. 1846, *matutinâ horâ octavâ et dimidiâ*, placida mors secuta est (1). Si certe mortuus esse dicendus est ille, cujus, quamdiu doctae constabit honos Theologiae, apud Nederlandos vivet florebitque memoria; animo, qui, in acerrimo terrae certamine, Christo Domino τὴν πίστιν ἐτετηρήκει, vitam apud Deum agente, omni hominum memoriâ diuturniorem omnique hominum laude majorem.

---

(1) *Sex et septuaginta annis, cui unus mensis ac decem praeterea dies adjicerentur*, terrae curriculum eum absolvisse, ex praegressâ apparet narratione.

Unum huic narrationis parti restare videtur officium paucis tradendi, quam amanter et quam honorifice desideratissimi nostri Praeceptoris funeri justa soluta sint. Quo igitur anno 1841 rus migrandi consilium agitabat, sese curaturas Patri desideranti receperant Filiae, ut, si forte in Gelriâ fato functus esset, *Cattovicum* ipsius ossa transportarentur, juxta Filii natu maximi Theodori tumulum componenda. Quâ demum conditione impetratâ, illâ in regione domicilium collocare decreverat. Huic igitur promisso ne fides deesset, die *Jovis*, 3 *Decembris*, mortales ejus reliquiae, funebri currui impositae, Rhedeniâ Trajectum ad Rhenum vehuntur, hinc Lugdunum Batavorum. Tristissimi itineris comites iidemque vigiles, ab initio jam Itersonius, ab urbe, quam priorem dixi, item Suermannus. Uterque enim (O singularem amicitiae fidem!) brumali aëris saevitiae ac nocturno frigori sese committere maluerat, quam lugubre hoc negligere pietatis officium. Tum, posteri diei (*Veneris* erat) horâ decimâ matutinâ, Leidenses solenniore pompâ suam urbem peragrantem currum vident funerarium. Quem ferre accipiunt quod mortale de Viro supererat, qui tot per annorum lustra in Academiae suae praecipuis fuerat ornamentis. Hîc autem ex compecto duodeni pompae se aggregant Theologiae Studiosi, sepulturae comites futuri atque adjutores. Quo igitur *Cattovici* loco mortui requiescunt; ibi ater sistitur currus. Quem non solum sexaginta fere alii praestolabantur vel sacrarum vel aliarum Litterarum vicinâ in Academiâ Studiosi; sed ipsi etiam Theologi Leidenses, Viri clarissimi. Quorum Veteranus Hengelius, quem honoris caussâ voco ego, vocant omnes, qui doctae Theologiae bene cupiunt de eâque recte statuunt; quorum Veteranus, inquam, tumulo proxime adstans, cingente Amicorum ac Juvenum coronâ, brevem habet orationem, tribus dicendi intervallis apte distinctam, precibusque pie terminatam (1). Quae

(1) Postmodum Leidae edita est hâc inscriptione: *Toespraak bij het graf van* J. Cl., *te Katwijk*, *d.* 4 *Decemb.* 1846; *door* W. A. van Hengel.
Sed hîc alii etiam memorandi, qui de Cl. ejusque vitâ vel copiosius vel

sane oratio et Oratore dignissima fuit et Illo, cui funebri illâ horâ ita a laudatissimo laudari Theologo contingebat, ut hic non aequalium magis, quam posterorum interpres esse videretur. Atque ita quod de Amico terrenum restabat et decore et honorifice, nec sine multorum lacrimis, terrae redditum est.

---

obiter certe dixerunt. In quibus igitur sunt cl. M. Siegenbeek, or. ad *Soc. Leid. Litt. Nederl.*, quae vid. in hujus *Actis ad a.* 1847, p. 27 sqq.; — cl. J. H. Scholten, or. quâ habitâ a. 1847 *Ac. L. B. rectionem* deposuit; — cl. S. Muller, or. in *solenni Instituti regii consessu* habitâ. Nec negligantur quae, sub auspiciis, ut videtur, Viri admodum venerandi, dicta sunt in *Studd. Leid. Calendario ad a.* 1847, p. 243 sqq. Alia de illo leguntur in op. *Boekzaal der gel. wer.* ad m. *Decembr.* 1846, pluribus locis. Sed imprimis, eodem in op. ad m. *Januar.* 1847, p. 50—62, or. legatur rev. R. P. Verbeek, inscripta: *Een woord tot de Doornsche Gemeente ter nagedachtenis van* J. C., — *naar aanleiding van Deuteron.* XXXIV. 7. Cf. *Konst- en Letterbode*, ad a. 1846, N°. 52.

Apud exteros honorifice de Cl., nondum fato functo, dixerunt J. C. G. Augusti, in consecratione op. *Corpus librorum Symbolicorum, qui in Eccl. Ref. auctoritatem publ. obtinuerunt; Elberf.* 1827; — et Theod. Fliedner, *Collectenreise nach Holl. u. Engl. Essen* 1831, II. 507 sq. Tum notissimo in op. Francogallico: *Biographie universelle*, ita descripta legitur ejus vita, ut notitiis uti potuerint auctores, quas cum Kampenio, Prof. Amstelod., de semet ipse communicârat Cl. Quod ex hujus ad me epistolâ, d. 25 m. Jul. 1845 scriptâ, accepi. Quomodo vero illis usi sint notitiis, nec dilectissimus meminisse videbatur Praeceptor, nec ego judicare potui.

PARS ALTERA.

DE CLARISSII CUM INDOLE MORIBUSQUE, TUM MERITIS ET ALIAS IN DOCTRINAS ET IMPRIMIS IN THEOLOGIAM.

CAPUT PRIUS.

DE CLARISSII INDOLE AC MORIBUS.

Theologi vitam egisse Praeceptorem vidimus. *Qualis* fuerit Theologus suspicandum quidem dedit, immo, haud paucis vitae momentis expositis, quodammodo certe ostendit, nec pro illius tamen magnitudine declaravit quam legistis narratio. Jam igitur pulcherrimi veluti vultûs lineamenta sic conjungere conemur, ut *Theologi*, qualis fuit, repraesentetur imago. Quam vero cum rudiore tantum penicillo adumbrare possit nostra haec tenuitas, plenius expingant peritiores alii velim.

Quae hominum *animo* cum *corpore* intercedit, necessitudo ut de hoc aliqua certe dicantur requirere videtur. Cum praesertim ita posteris gratificandum sit, Viri, quem non coram conspexerunt, scripta praeclara lecturis. Jam exiguâ potius eum fuisse, quam procerâ staturâ supra diximus (1). Sed teneram juvenis gracilitatem postea compacta excepit obesitas, quâ humeris brevius collum quasi inniti videbatur. Quae ipsa corporis conformatio, accedente ejusdem mollitudine quâdam, varia valetudini

(1) Vid. supra p. 41.

pericula ostendebat, quae tamen spe longe diutius divina avertit Providentia. Quam enim, *Encyclopaediae* initio (1), in Theologo jure requisivit, *satis firma corporis valetudo*, majore vitae parte non plane defuit ipsi; dummodo hoc in postulato vocabulum *satis* acueris. Infirmum certe corpus tot noctium vigilias ac lucubrationes, tot annorum curas continentes, tam assiduam animi ingeniique virium contentionem ad senectutem usque perferre non potuisset. Quamquam non raro nec uno modo *Siracidis* dictum, de *mortalitatis tabernaculo animum gravante immortalem*, in eum convenisse plura docent. Ne enim de *δυσουρίᾳ* saepius molestâ quid dicam; lynceos *oculos*, quales in Tib. Hemsterhusio olim laudavit Ruhnkenius (2), nemo Clarissio tribuerit, qui mature jam vitrorum artificialium subsidio visum acuere debuit. Quorum tamen auxilio usus, senex etiam, minutam Codicum vetustorum scripturam sine magnâ legere potuit difficultate. Ab adolescentiâ jam *pectore* infirmiorem, nec, si quando vehementius commoveretur corpus, asthmate aliquo immunem sese dixit ipse; sed vel sic tamen spatiosis non raro in templis, Roterodamensibus imprimis, coram permagnâ auditorum coronâ ita sese verba fecisse, ut nihil inde incommodi contraheret (3). Vegetâ quidem aetate dicenti nec latera deerant nec nervi, et major vocis ambitus erat ac diapason, quam ab hâcce exspectâsses corporis temperatione. Caeterum, postremis certe vitae annis, sicubi de valetudine quaesieras, subridens fere: *Sic satis valeo*, reponebat, *ut mihi quidem valere datum est.*

Sed *corpore* qualis fuerit, multi meminerunt. Magnum vero *animum* hujusque dotes ita informare, ut vel mihi satisfaciam

---

(1) § 7.

(2) *Elogii* ed. Bergmann. p. 5. — Suorum oculorum de debilitate monuit Cl. ad Ewald. *de Eloqu.* s. p. 271 ed. 2.

(3) Vid. ad Ewaldii l. l. p. 355.

ipse, vel ut omnes, qui eum sibi cognitum fuisse putant, imaginis veritatem agnoscant probentque, id vero me non posse lubens fateor. Praeter dicentis enim infantiam illius, de quo dicendum, indoles obstat. Non tectus quidem erat, nedum simulator aut dissimulator Clarissius; cujus etiam candorem nonnullis subinde displicuisse novimus, cujusque judicio reprobatam audivimus unius alteriusque, quorum merita suspiciebat, amici nimis occultam indolem. Nec tamen is fuit, »*in cujus* »*animum pernoscendum facile penetrare posses.*" Quod ipsum olim, ubi convivii cujusdam hilaritas solutiores omnium reddiderat linguas, me juvene assidente, jocose ipsi objicere memini discipulum aliquem, cujus paullo liberiorem amabat loquacitatem. Cui continuo, ridendo et ipse verum animi sensum aperiens: »*Nec vero opus est,*" reponit, »*ut Tibi in meam mentem pene*»*trandi facultas impertiatur.*" — Nimirum sensuum nobilitatem animique altitudinem nunquam ambitiosius jactabat aut venditabat priscae homo simplicitatis. Seculi ac vulgi de sese judicia non multum curans, nec pietatis, nec eruditionis, nec ingenii vanam umbram famamque popularem aucupabatur; ut fere assolent, virtutum inopiam callide scilicet tecturi, quibus curta domi supellex est. In hunc vero vel maxime *Salomonis* dictum conveniebat, quo id significatu accipere nos docuit Palmius: *Scientiam recondunt sapientes* (1). Quae ipsa modesta prudensque reticentia, priore imprimis curriculi stadio, iniquiora haud pauca de illius ingenio atque animo peperit judicia.

Accedebat quod, in summâ *sentiendi* atque *agendi* constantiâ, tamen sui subinde dissimilior nec, *Socratis* instar, eodem semper esse vultu videbatur. Aliquando enim, in semet suasque cogitationes veluti immersus, sellam, quâ sedebat, ulnâ amplexus, oculis humi defixis, ita tibi colloquenti assidebat, ut nihil fere, quam quod omnino debebat, dicentem audires, neque ad gravissimas etiam quaestiones quidquam reponentem, nisi haec fere: *Sane! Ain' Tu? Non crediderim! Dubito!* Et quae plura hu-

1) *Proverbb.* X. 14ª, ad q. l. omnino cf. Palmii opus: *Salomo*, N°. 13.

jusmodi sunt uberius colloquium refugientium dicta. Alias vero ingenii sui ac doctrinae plenam tibi faciebat copiam, confabulanti totum sese veluti tradebat, et, quâ suavissimâ potuit affabilitate, de nullâ non quaestione abunde tibi satisfaciebat. Quibus consequens erat ut, qui semel tantum aut iterum si forte, incommodâ potissimum atque infaustâ horâ, eum viderat aut interpellârat, longe secus de illo judicaret, quam qui longo usu cognitum habebat. Tam flexibili erat animi ἐλατῆρι, ut, levi momento impellente, modo in laetitiam, mox in tristitiam percipiendam ferretur; ut modo ad curas atque occupationes, quibus semper permultis premebatur, pro tempore seponendas atque obliviscendas, mox ad reminiscendas ac volvendas totâ mente inclinaretur (1). Atque ipse aliquando de variâ illâ animi humani temperatione sive commutatione scite dixit, quae nos, subitae sensorum conversionis rationem frustra nobis ipsis explicare conatos, nunc huc impellit, nunc illuc. Quam sensorum inclinationem Angli ac Francogalli *humorem* fere vocant, nostrates magis proprio etiam ac definito nomine appellant. Quae universe dicta ita deinceps ad se suumque animum applicat, ut nihil candidius esse possit, nihil ad dicta nostra confirmanda luculentius (2).

---

(1) Acrem ips fuisse *sentiendi* facultatem eamque, quam Latini *mollem* ac *teneram*, hodierni fere *sensibilem* animi temperationem vocant, ex iis jam satis apparet, quae de sese dixit ipse, ad Ewaldium *de Eloqu. s.* p. 346 ed. 2. Atque ipsa haec sensûs mollitia aegritudinem exasperavit, quam liberorum, non adultorum tantum, sed item tenellorum mortes pepererunt; quam ita non raro publice ac privatim prodentem eum audivi, ut cum flente non flere non posses. Et *orationum* imprimis *ad Juvenes* ubi plures legi locos, parentum, liberorum caussâ vel laetantium vel lugentium, sensa pingentes, ipsissimi sui animi fidissimum interpretem audire visus sum. Sed quid singula haec memoro? Universa enim Clarissii vita ejusque cum gaudia et cruciatus, tum certamina et laudes ab illo uno possunt ex vero aestimari, qui tam mollem ipsi fuisse sensorum teneritatem meminerit, quam cum virili animi constantiâ consistere posse novimus. Ac ne per extremam quidem senectutem hanc obduruisse aut percalluisse sentiendi agilitatem, amici mihi testes erunt, ad quos ultimo vitae tempore familiariores dedit epistolas.

(2) Quam efficaciter per variam illam impelleretur animi inclinationem,

Sed ne hoc quidem reticendum, quod nescio an scopulos objiciat ejus imaginem pingere ingredienti, non facile evitandos. Alii praeclari Theologi (ut solos hos memorem) aliis cernebantur ingenii ac doctrinae dotibus, a quibus jure prae caeteris celebrarentur. Jam quid dicam? Haeccine omnia bona, inter singulos alios dispertita, in uno cumulata fuisse Clarissio? Veluti Hegelii discipuli nonnulli Magistrum laudare non veriti sunt (1). Verum enim ab effusâ hâc hyperbole non Praeceptoris magis modestia, quam mea abhorret simplicitas. Id tamen asseverare equidem non dubito, in ipso tam harmonicam atque aequabilem variarum dotum facultatumque conjunctionem et tanquam concentum fuisse, ut quae potissimum praevaleret haud facile dixeris.

Quid multa? non Icarias mihi alas assumam, totum repraesentare Clarissium temere aggressus. Id potius agam ut, arctioribus inclusâ narratione cancellis, paucis declarare coner, ad *Theologiam affinesque doctrinas* colendas quam eximie compositum animum, quam feliciter copulatas mentis facultates divinitus acceptas tenuerit Amicus.

Hîc autem ne incerto pede vagetur oratio, videamus in *Theologo*, praeter memoratam jam corporis valetudinem, quas dotes requisierit ipse (2). Hunc igitur nec *memoriae* vi, nec *judicii* acumine, nec *ingenii* felicitate prorsus destitutum esse vult. Nec

---

quam vernacule dixit *Luim*, scite declarat ipsius oratio *de taedio*, in *Cens. Censs.* VIII. 239 *miscell.* — In eum quodammodo conveniebat quod de Göthio, Poëtâ clarissimo, dixit J. P. Eckermannus: *Gespräche mit Göthe in den letzten Jahren seines Lebens*, T. III praefat., Magdeb. 1848. »*Tam mul-»tiformis*," inquit, »*ejus cum hominibus conversatio fuit, quam opera fuerunt »solita. Semper idem erat, et tamen semper alius. Modo inexhausti fontis in-»star ejus profluebant verba. Modo taciturnus erat atque unius quasi syllabae »homo.*"

(1) V. quae ex Muszmanni *diss. de Idealismo* excerpsit Krugius: *Allg. Wörterb. der philos. Wissensch.* v. Hegel.

(2) *Encycl. theol.* l. l.

magis ab illo abesse posse statuit vel haud infucatam *Dei reverentiam*, vel *religionis Christianae*, quam candide profiteatur, *amorem veraeque virtutis studium*. Quibus dotibus *docendi* facultatem aliquam, quod vulgo *donum communicandi* vocant, comitem adjungit necessariam. Atque haec quidem omnia summo jure in sanctioris disciplinae cultore requiri demonstrare nihil attinet. Nec magis opus est ut facultatem animi sensa commode aliis tradendi Praeceptori haud defuisse, ineptâ sedulitate probemus. Quem ipsum, rarâ variarum dotum eodem in homine copulatione, pari felicitate subtiliter et populariter, coram et scripto docere potuisse ac multos per annos docuisse, nemo est qui ignoret. Quocirca de caeteris videre suffecerit.

Jam si in Theologo *memoriae* tantum *mediocritatem* quandam postulavit, ne putes mediocriter eâ valuisse ipsum, aut eâ excolendâ tardiorem fuisse. Nescio enim, rerum quarumvis ac verborum notiones utrum celerius arripuerit, an tenacius retinuerit. Certe vix aut ne vix quidem quemquam cognitum habui, qui tot ac tam diversos libros argumenti philologici, historici, metaphysici, physici, theologici, ethici animo imbibisset. Neminem, cui ex iis, quaecunque praesens usus unâquâque horâ requirebat, tam promte ac tam parate suggereret memoria. Sacrarum quidem Utriusque Foederis tabularum, si forte deperditarum, plerasque partes recordando restituere potuisset alter hic *Augustinus*. *Psalmorum rhytmicorum* atque *hymnorum*, nostrates apud *Reformatos* usu sacro receptorum, quaecunque partes commode cantari possunt, eas aliud agendo ad verbum edidicerat. Ne de pulcherrimis quibusque locis dicam in Anglorum, Germanorum, Francogallorum piis canticis, quos, ubi primum opportunitas invitabat aut animus jubebat, veluti *stans pede in uno* recitare poterat. Sed alia etiam carmina quam plurima, cum classica antiquiora, tum recentiora, apud plerosque populos cultiores nata, in iisque loci singulatim divinis cum rebus atque *Ethicâ* conjunctiores, a puero aut adolescente percepti, non raro facili senis recordatione recolebantur. Quam-

quam nonnulla sibi excidisse postremo vitae tempore conqueri solebat. De technicis disciplinarum locutionibus quid dicam? Non promtius theologicis in Scholis obscuriorum etiam *haeresium* nomina atque *Haereticorum* placita subito edentem audiverunt commilitones, quam, ubi *Historiam* tradebat *Naturalem*, eorum, quae *Chemia* ac *Geologia* cognoscenda offert, naturae operum nomenclationem. Quâ omni in re hoc mihi visum est maxime admirabile. Plerique, qui a memoriae celeritate ac tenacitate celebrati sunt, docti homines, illius felicitati confisi, in ejus subsidium futurosque usus pauca aut nulla scripto notare consueverant. A quorum securitate longe abhorrens Clarissius maximos ac locupletissimos sibi paraverat *Adversariorum* atque *Annotatorum* libros et repositoria, in quorum loculos omnium fere, quae ex librorum lectione perceperat aut suâ ipse meditatione assecutus erat, summas et argumenta accurate referret. Quam tamen ejus cautionem non indignata, sicut apud plerosque, *Memoria* tam fidelem ipsi sese praebuit ministram, quasi suâ fidelitate ipsius diffidentiam rubore suffundere voluisset.

Judicii acumine quis non felicem sese reputabit si illi haud plane impar aut dissimilis censeatur? Ex permultis, quas scripsit ediditque, librorum censuris dummodo paucas legeris; vidisti sine dubio et admiratus es, quam subtiliter in alienae argumentationis initiis, progressione, exitu vera a falsis, certa a dubiis, consequentia a male conclusis discerneret, quam acute, quotiescunque res requirere videbatur, illa tueretur confirmaretque, haec reprehenderet ac confutaret. Atque utrumque agenti judici quae potuerunt objici sophismata, tantâ veri specie blandientia, tam callide commendata, quin illorum fraudes ac fallaciam facili operâ solveret ac dilueret?

Sed non in alienâ argumentatione excutiendâ acrius videbat, quam in suâ, quaecunque proposita esset quaestio, informandâ ac concludendâ. Ipsi enim accurate cogitandi atque acute judicandi consuetudinem in alteram veluti naturam abiisse, scripta testificantur omnia, nec ea magis, quae aliorum in usus commen-

taverat, quam quae, suae subventurus memoriae, raptim exaraverat. Modo *Stoicorum* ratione disputationem contrahebat; modo, *Peripateticos* secutus, liberius discurrebat. Verum utramvis viam secutus esset, semper argumentationis ille nexus apparebat atque ordo, quem facili operâ in constrictam syllogismorum formam redigere posses. Sed repetere nolo, quae de subtili docendi ratione ac viâ, Praeceptoris Scholarum propriâ notâ et charactere, supra breviter monuimus (1).

Atque ignea haec mentis vis et acies nescio an nullum pulcrius habuerit ornamentum, quam amabilem illam *modestiam*, quae inscientiae professionem captaret potius, quam fugeret. Saepe enim mihi usu venit, difficiliore quo de argumento illius sententiam exquirenti, ut responsum ferrem: »*Hâc quidem de re,*" inquit, »*ex arte tibi respondere nequeo.*" Quae vero praefatus ea mox subjiciebat, quorum copiam atque acumen admiratus mecum cogitarem: »*At quantopere mihi placerem, dummodo ita,* »*non ex arte licet, rem explicare possem!*"

Nec vero haec ejus modestia in singularibus tantum dictis nonnullis cernebatur, sed totam regebat vitam publicam ac privatam, sacram ac litteratam. Quod tot ac tam diversis mihi constitit documentis, ut vel praecipua referre longum sit. Singulas illius legentem orationes cum inaugurales tum valedicentes, me nullâ re magis commoveri memini, quam frequenti atque iterum iterumque repetitâ *defectuum* suorum commemoratione et confessione, non oratoriâ eâ atque infucatâ, sed simplice et ingenuâ, sinceri pectoris sensum testificatâ. — De scriptis, quae editioni paraverat, singulisque eorum locis libenter amicorum judicia expetebat, eorumque admonitionibus ita non raro morem gerebat, ut ea etiam ipsa vel refingeret, quae ab initio recte a se scripta esse putaret, vel adjiceret, quae non incommode abesse potuisse. — De se suisque et rebus et studiis et scriptis raro ac parce loquebatur, nec fere, nisi aut necessitati alicui cedens aut amicorum desideriis gratificatus; idque ita ut hîc imprimis

(1) V. p. 65. 66.

dicti *Salomonei* se memorem demonstraret, quod brevissimae, quam ab ipso efflagitâram, vitae sciagraphiae praescripsit: *In verborum multitudine non abest peccatum.* Sibi non placens sibique praeferens alios, ab horum ingenio ac doctrinâ quaestionum, de quibus suum adhuc judicium suspenderat, pleniorem explicationem sese sperare aut certiorem demonstrationem non raro candide professus est. Atque in ipsis adeo, quas prodidit, librorum censuris *Παῤῥησία*, quae nullius auctoritatem sibi dicendi legem scribere sinit, perpetuam sibi sociam habet *Modestiam*, quae non sine dolore quodam a viris eruditione praestantibus dissentire cogitur, atque invita fere eorum refutat errores. Universe ut dicam, solâ Dei juvantis gratiâ quis ac qualis esset, ita non ignoravit, ut quid, vel ad pietatis fructum vel ad eruditionis copiam, sibi deesset, longe melius se scire atque acrius persentiscere, nullo non vitae tempore, demonstraret (1). Verum ex deverticulo in viam redeamus.

---

(1) *Modestiae* luculenta exempla ac documenta videantur in *praef.* ed. prioris or. 1 de H. Alphenio; item in censurâ Voorstii de *N. T. verbis cum praepos. compositis*, *Cens. Censs.* XII. 105 sqq. Quam modeste refutat J. H. Paravium, *ibid.* III. 683; — Ypejum, *ib.* XII 23; — alium Virum laudatissimum, *ib.* XIII. 229! Atque hîc memorabilis etiam videtur locus, quamvis paullo diversi generis, *ibid.* XIII. 389; ubi, post praemissam doctissimam de *Geologiâ* disputationem, *nos adhuc in hujus disciplinae primâ veluti paginâ legendâ versari ac detineri* affirmat. Suo de comment. practico in *Acta App.* quam demisse sentiret, relatio testificatur de Reddingii opere, eâdem in *Ephem.* XIV. 573; ubi sui libri multos esse, qui emendari possint, locos sponte profitetur. Nec alii desunt loci, ubi, nomen non professus, suorum ipse scriptorum eam censuram agit, quae eorum vitia reprehendat. Veluti, in annot. ad orat. de S. F. J. Rau, p. 51, suum aliquod carmen vituperat. Tum in *Cens. Censs.* hi attendantur loci: I. 143, ubi de Lavateri agitur *Pontio Pilato*, quem verterat Cl.; *eod. Tomo*, p. 465 sqq., ubi Stuartii in *ep. Jacobi orationes* censentur; — item XV. 285, ubi de *annotatis* loquitur, *quibus non melior facta sit* sua aliqua commentatio; item *eod. Tomo*, p. 360, ubi suâ in comment. de 2 Cor. V. 7 nonnulla improbanda dicit. — Quod reliquum est, quam modestus erat ipse, tam graviter aliis, junioribus imprimis librorum scriptoribus, modestiam commendat, in relatione de Christiaansii dissert., *Bibl. Litt. theol.* I. 360.

Non magis igitur, quam judicii acumine, *ingenii* felicitate quâdam carere posse Theologum, recte monentem audivimus Amicum. Hanc autem dotem nullâ re potius cerni, quam nova excogitandi facultate ac non prius dictorum felici partu, nemo est qui ignoret. Verum libere profiteamur quod res est. Quâ in luce nunc pleraeque versantur disciplinae, quibus excolendis jam patrum nostrâque memoriâ maximi quique homines operam navârunt; non permultis eae locupletari possunt inventis, quae et proprio sensu atque omni ex parte *nova* sint, et quae eadem eos *veri* numeros aut eam certe probabilitatem habeant, quâ posterorum assensum sperare possint. Unde fit ut, ingenii laudem aucupati, nonnulli *Epicurum* imitentur, qui, quamvis multa cum ex *Democriti*, tum ex *Aristippi* rivis suos in hortulos deduxisset, tamen omnia suis ex fontibus sese hausisse impudenter jactaret. Alii autem, veluti *Tubingensium*, quae cum maxime celebratur, schola theologica, nihil magis veriti et ipsi quam ne decantata recinere videantur, firmissima quaeque audacter convellunt, atque ea opinionum monstra pariunt, quae serione an

---

Cum insigni hâcce modestiâ nobilem conjunctam fuisse παῤῥησίαν, a partium studio alienam illam, et alia docebunt exempla et haec, quae in *Cens. Censs.* prodita exstant. Quo tempore a plerisque omnibus in coelum ferebatur B o r g e r u s, plura in ejus scriptis reprehendere non verebatur; neque tamen id sine candidâ honoris praefatione. Vid. i. a. VII. 383. XI. 193 sqq. Atque idem animus proditur, *et* ubi, XIV. 533 atque alibi, unius *Philosophiae* partes nostra per Instituta academica male divulsas esse conqueritur; — *et* ubi, ejusdem Tomi p. 574, eorum, qui orationes sacras et habent et audiunt, perversa studia vituperantur. — *Societatem Hag. pro defendendâ rel. Christ.* magni faciebat. Vide tamen quam libere et candide multa, quae vel fecisset ea vel omisisset vel justo tardius egisset, reprehenderit, IV. 102. VII. 477. XV. 313 sqq. Nec magis dissimulat in *Societate Teylerianâ theol.* quid displiceret, *Biblioth. Litt. theol.* I. 35.

Nec immerito nos *a partium studio alienam* dixisse hanc ejus παῤῥησίαν, per censuras satis constabit, quae inveniuntur in *Cens. Censs.* III. 748 et XVI. 284; ubi discipulorum, quos ad scribendum impulerat ipse, dicta nonnulla improbantur.

jocose venditata sint, dubitabit posteritas. Sed et ab illorum vanâ jactatione et ab horum impiâ audaciâ vehementer abhorruit Amicus, cui, *nisi utile sit quod facias, stultam esse gloriam,* persuasissimum erat. Itaque ibi tantum a nemine unquam dicta sibi prodenda duxit, ubi religionis honos aut Litterarum caussa id omnino requirere videbatur. Cujusmodi haud pauca sunt in aureâ illâ commentatione *de Ethicae Christianae praestantiâ, coelestis Euangelii originis teste ac vindice* (1). Atque eandem novitatis commendationem, quamvis in diverso plane genere, *conjecturae* habent acutissimae, quibus editorum a sese Litteraturae Batavae monumentorum corruptis haud paucis locis medelam paravit. Verumtamen, invitante potissimum scriptorum, quae emittebat, practicorum indole, plerumque ingenio, quamvis magnâ pollenti inventionis vi, minus splendentia quidem, nec vero minus fructuosa imposuit officia. Pensa dico gravissimas quasque res, non plane ignotas, sed minus lucide aut minus accurate a prioribus informatas, eâ ratione explicandi ac confirmandi, quâ et pleniore luce collustrarentur, et acrius lectorum animos pellerent, et majore veritatis evidentiâ iis commendarentur. Atque ita, si minus materiae, at formae novitas exstitit (2).

Verum, si dicere licet quod sentio, nullâ re luculentius ejusdem ingenii vim creatricem eamque, quam hodie, ni fallor, vim *plasticam* vocant, prodidisse videtur, quam saepissime variando diversisque identidem coloribus pingendo, quae, aliis post alias oblatis dicendi opportunitatibus, *iisdem de argumentis* scribenda incumbebant. Quotusquisque enim est paullo litteratior, qui ignoret quam saepe hodierni haud pauci scriptores, qui pluribus deinceps libris eadem aut affinia tractant argumenta, sua ipsi scrinia compilent? Quod ejusmodi subinde est, ut in eo

---

(1) Vid. supra dicta p. 46.

(2) Est ille cogitatorum splendor, qui ex *novitatis specie* redundat. Quem Oratori sacro quaerendum esse ipse dixit, *oratt. s.* Fasc. I. *praef.* p. IV. Ubi tamen non ambitiosa ornamenta nec Asiaticum dicendi genus ab illo requiri ex iis, quae alibi passim monuit, apparet.

etiam, quem ames, scriptore, parum absit quin nauseam tibi pariat iterum atque iterum recocta iisdemque identidem patinis imposita crambe. Quem scopulum, ne de minus praestantibus dicam Theologis aut Philosophis, ne ipse quidem, quem maximi facimus, Krugius semper evitâsse videtur. Atqui Praeceptori nostro, permulta theologica commentanti, quae vel discipulis e cathedrâ vel lectoribus chartarum operâ traderentur, quam saepe eadem doctrinae de fide atque officiis capita, atque iidem Sacri Codicis loci fuerunt explicandi! Nec tamen in iis, qui interiorem cum editis illius atque ineditis scriptis familiaritatem contraxerunt, quemquam esse confido, qui, crebro recurrente de iisdem dicendi necessitate, sic ejus ingenium exhaustum viderit, ut alias a se dicta magnâ sine mutatione reponeret, aut non magnopere variata repeteret. Ubique ita novus est atque ita suus, ut ne suis quidem ex fontibus hausisse videatur. Tam dives ejusdem ingenii vena est, ut rivi referat imaginem, cujus aquae, eodem ex fonte manantes, continenter ita fluunt, ut iisdem terminatae maneant ripis, nec unquam tamen eaedem sint, ac recentis quotidie te recreënt potionis suavitate.

Verum aliud monendum, cum pleniore indolis *Clarissianae* cognitione conjunctum illud. Nonnullis laetioris phantasiae hominibus inesse novimus quod vulgo, nec incommode, vocant *ingenium satiricum*. Quo ipso fit ut quodcunque in iis, quae vident, audiunt leguntque, absurdum est et ridiculum acrius eos commoveat pellatque, atque ad ineptias suas ridendas ac lepide et festive traducendas sponte impellat. Hanc ingenii sive alacritatem seu dotem, dummodo honestatis ac virtutis ministram se praebeat, quanti fecerit monita docent, ad illam regendam et excolendam pertinentia, quae vel suis vel aliorum verbis eum dedisse legimus (1). Neque eam ipsi defuisse ineuntis jam adolescentiae nos docuit historia. Sed quantopere hâc mentis vi valeret plurima postea prodiderunt specimina, quae non certiorem

(1) V. *oratt. ad Juvenes*, II, 48, ed. 1; *vita* Ockersii, p. 29 sq.

quidem ingenii significationem, sed minus ambiguam a consilii prudentiâ laudem habebant. Haud paucis enim varii temporis orationibus, bonarum Litterarum caussâ habitis, pluribusque etiam librorum censuris, publice editis, ea satirae flagello exagitavit, quae vel morum humanitati, vel virtutis sanctitati, vel religionis divinitati repugnare existimabat. Nam vix ullos ejus scriptorum locos me legere memini, ubi ingenii satirici abusum vel severissimus aliquis jure notare possit *Heraclitus*. Quae sane linguae continentia eo nobis admirabilior videri debebat, quo celeriores ingenii ac phantasiae motus esse noveramus (1).

---

(1) In *Cens. Censs. miscell.* hae prae caeteris vidd. *orationes: de politâ cultâque vivendi ratione, quae Christianorum virtus sit*, VIII. p. 55; — *de taedio, ibid.* p. 237; — *de applausu*, X. 329. — *Censurae* hoc in genere memorabiles exstant in *Bibl. Litt. theol.* IV. 537; in *Cens. Censs.* T. VII, quo loco *Zoilum* aliquem, qui Heringae pro Missuum Societate orationem inepte traduxerat, castigat; tum T. X. p. 333. 343. 350. Quos locos multis ex aliis, qui ad manum mihi sunt, laudandos puto, quoniam luculenter docent Virum, *salis Attici* amantissimum, scurrilibus a jocis, iis etiam, quibus acerrimi peterentur *Protestantium* vituperatores, aversissimum fuisse.

Sacris in orationibus a satirico dicendi genere plerumque abstinebat. Quin eum subinde expunxisse huc pertinentia nonnulla mihi apparuit, concionem, quae legitur *nov. oratt. s.* II. 247 seqq. cum concione comparanti, quam eodem de argumento olim eum habere memineram. Nec prorsus tamen nulli sunt loci, ubi hâc quoque parte *Paullum* Apostolum, in *alterâ* impr. *ad Corinth. ep.*, non raro satirice dicentem, imitari voluisse videatur. Veluti, *nov. oratt. s.* I. 53—60, Naturalistas compellat, qui ipsis naturae legibus, quasi sine Dei Numine universum moderantibus, summa quaeque tribuebant. Alio modo in eodem genere versatur, *oratt. s.* III. 350—354; ubi *Stephani de morte* agens, graphice plane auditoribus repraesentat, quibus coloribus lugubrem illum eventum Orator depingere possit, qui forte in templo scenam imitari velit. A cujus ratione quantopere abhorreret ipse, mox graviter profitentem audimus. Quae illius dicta indignatio peperit, quod modo antea ventosus quidam Orator, nunc diu defunctus, in eâdem, ubi jam Clarissius, stans cathedrâ sacrâ, multis stulte applaudentibus, quasi scenico in theatro Comoedum egerat. Alibi quidem breviora quaedam sunt dicta satirica, sed quae singulatim recensere nihil attinet.

Praeclaris eum excelluisse animi ingeniique dotibus vidimus. Verum ita Theologum hae dotes exornant, si pietatem in Deum Christumque, si virtutis amorem, si humanae felicitatis augendae studium perpetuum comites habeant indivulsos. Jam quâ fuerit in Deum immortalem hominesque pietate, multi nos docuerunt vitae, quam descripsimus, loci; docuit modestia in secundis, patientia in adversis, dignitas in omnibus fati conversionibus; docuit, quam, morti proximus, ad discipulum dedit epistola fere valedicens. Et quo plures nobis, quibus amicis uti non nolebat, legere contigit et incolumis illius et defuncti imprimis epistolas, chartas, scidulas; eo plenius nobis constitit in eum, pro humanâ quidem imbecillitate, plane Paullinum illud convenisse: Ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστός.

Atque hîc, etsi cum piis pectoris sensis, quae non hujus illiusve Sectae aut Scholae proprium sunt peculium, theologica non confundimus decreta, tamen nobis, de *Theologo* quaerentibus, quid de religionis caussâ statuerit videndum est. Universe quidem rara judiciorum constantia erat atque aequabilitas, exsistens illa ex judicandi prudentiâ, quae semper ab assentiendi temeritate eum cohiberet, atque ab affirmando ac negando retineret, donec omnia quantumpote rationum momenta justae disquisitionis lance ponderâsset. Quae autem concludendi tarditas fuerat, eadem judicandi firmitas erat. Sed nusquam luculentius illa cernebatur *in ratione bene consideratâ stabilis et perpetua permansio*, quam in assensione ac fide, quâ Christi Euangelium ac palmaria ejus capita complexus erat. Quae enim de summâ religionis solâque, quae mortalibus divinitus monstrata est, salutis recuperandae viâ, ineunte hoc seculo ex cathedrâ et sacrâ et academicâ, in publicis vel scriptis vel scriptorum censuris, tum familiaribus in colloquiis, docentem ac propugnantem eum cognoveramus, eadem haec, quadraginta et quod excurrebat annis postea, jamjam terrae valedicturus, publice ac privatim professus est.

Reformatorum Societati iisque, quibus imprimis cernitur, doctrinis, quippe in *Christi*, ut sibi persuaserat, auctoritate fundatis, non nomen magis quam intimam mentis assensionem dederat juve-

nis. Deinde quot opinionum commenta et peperit et delevit dies! In quibus nullum fuit quin ex ipsis fontibus sibi cognoscendum putaret. Verum quae disquisitio ac cognitio adeo nunquam debilitavit, quam dixi, in ejus pectore persuasionem, ut confirmaret potius. — Ubi, proximi seculi sub finem, memoratae res Societatis in praesentissimo versabantur discrimine, publice proposito scripto prudentissimorum auctor fuit consiliorum, quibus ejus Antistitum sorti dubiae atque ambiguae optimâ quâque ratione provideretur, adeoque a tenuioribus imprimis gregibus instans orbitatis periculum averteretur (1). — Nec postea quidquam eum magis impulisse videtur ut Ephemeridis, cui *Censoris Censorum* nomen, ordinariis sese aggregaret scriptoribus, quam studium Reformatos eorumque instituta ab acerbissimis vindicandi calumniis, quibus ab aliarum Ephemeridum auctoribus certatim lacerabantur. Jam igitur Censorum liberalitatem mentientium illiberalitatem castigabat, qui nostrorum Theologorum oculos occaecatos esse, nec quidquam nisi *per vitra Dordracena* cernere scurrili joco dictitarent, atque, a nemine provocati, in Ecclesiae nostrae *Formulas Consensûs* iterum iterumque atram bilem effunderent. Quorum ita subinde occurrit iniquis vituperationibus, ut alterum tibi audire viderere *Juvenalem,* haec intonantem: *Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam?* (2)

---

(1) Vid. lectu dignissima cohortatio, 46 pagg. complexa, quae tenerrimum spirat fidei sociorum amorem, atque inscribitur: *Aanspraak aan alle Hervormden in ons Vaderland, nopens hunne belangen.* Subjecta est orationi, cui titulus: *Eene bereidwillige verbetering in godsdienst en zeden, aangeprezen in eene Biddags-leerr. over Jerem.* III. 22[b]; *L. B.* 1799.

(2) Una instar omnium hîc est censura, quae exstat memorato in opere, II. 698 sqq. — Tum *ibidem* cff. ejusdem Tomi p. 391. III. 41. 78. 521. Quibus omnibus locis copiose disputat contra Virum venerabilem ac doctissimum, quem magni faciebat ipse, nec raro pro concione dicentem audierat. Hic enim, quo speciosius suae Societatis res ornaret, nostrae leges, instituta librosque inique vituperâsse Praeceptori videbatur. — Item notetur relatio, quae, X. 453 seqq. *Praedestinationis* doctrinam attingit, a Regenbogenio traductam.

Si quos libros, ab exteris de religionis causså editos, aut ipse convertebat aut ab aliis conversos ad civium lectionem commendabat, quorum auctores dissensum ab Reformatorum placitis non dissimulåssent, videmus eum incommoda, hinc, ut ipse quidem interpretabatur, exstitura, vel monendo vel mutando etiam praecaventem atque averruncantem. Quo ipso nonnullorum in reprehensionem incurrit (1). — Atque ita cum nullo non vitae tempore sensisset, nolite quaerere quam acerbe, eâ exeunte, lites atque altercationes luxerit, quibus illam discerptam videbat Societatem. Ubi non magis aegre ferebat multorum, fratrum imbecillitati *σκάνδαλα* ponentium, inconsideratam levitatem, quam aliorum, a patrum sententiis vel latum unguem recedere vetantium, angustam ac pusillam pertinaciam.

Nam, quo animi candore sibi Reformatorum placita probari profitebatur, eodem verae *liberalitatis* caussam, ore ac scriptis, exemplo ac monitis, tuebatur. Cujus ipsius patrocinium suscipiens eos accurate et constanter confutabat, qui, sese tantum suosque sapere opinati, dissentientes quosvis vel odio vel contemtione prosequerentur. A quibus quam maxime diversus Clarissius, *nullius*, nisi unius Christi, *addictus jurare in verba Magistri*, verbis factisque demonstrare consueverat, in Christianos a suae Societatis placitis alienos, quam leni benevoloque, quam fraterno esset animo, et vero quam placidâ judicii aequitate eorum bona suo quaeque pretio aestimaret. Quâ de re si quis forte dubitet, illustrem illam legat relegatque orationem de *Theologo vere liberali;* quam antea laudavimus, nec vero, ut par erat, laudare potuimus.

Quanti faceret coetuum nostrorum *Formulas liturgicas*, docet *ibidem* XV. 256. Quamquam quae durius in iis aut minus accurate enuntiata videbantur, usu ecclesiastico circumcidere solebat aut modeste emendare.

(1) De Ewaldii opere: *Christelijk Huis- en Handboek*, vidd. supra, p. 45, monita. — Opus, quod apud Germanos ediderat G. Friederich: *Heliodoors leerjaren*, ita nostratibus legendum commendavit, ut in *praefat.* ad eam, quam memoravimus, dissensionem caute eos attendere juberet.

Verum alia permulta in eandem sententiam ab eo dicta vel in librorum censuris vel alibi edita exstant. In quibus hoc imprimis pleniorem sententiae declarationem habet, ubi: »*Negari* »*quidem nequit,*" ita ait, »*fraternum dissentientes* tolerandi *stu*- »*dium sic subinde prae se tulisse atque in abusum traxisse* »*nonnullos, ut animi sensus tegerent aut excusarent, germanae* »*Christi religioni infestos. Verumtamen, si quis lites de* impa- »natione, *de* praedestinatione, *de Christi* ubiquitate, *de licito* »*aut illicito* Magistratuum munere *similibusque de rebus minus* »*curatas vel sepositas viderit; ne hanc, si quae est, neglectionem* »*neglectae aequiparet Euangelii summae atque argumento pal*- »*mari. Quod commendato cernitur* amore *atque* animorum pu- »ritate, *quae ex* fide *redundat, quam Divinae gratiae, per* »*Christum Dominum peccata condonanti, habeamus,* Divini Spi- »ritûs auxilium *implorantes, aeternamque salutem praestolantes* »*ac piâ spe praecipientes*" (1). — Sub idem tempus, de *concionum* Fasciculo referens, quem ediderat Vir doctus ac venerandus, sed qui de summâ religionis longe aliter quam ipse sentiebat, non dissimulat, quibus libri locis de Christi personâ atque opere salutari agebatur, subinde ibi sese paullo plura ac paullo alia requisivisse. » *Vel sic tamen,*" en quae continuo subjicit, »*hoc etiam ipso, quo dixit ille, modo aliquando dici utile* »*est, quo lenius ac quo facilius ad Euangelium amplectendum* »*nonnulli alliciantur. Caeterum uniuscujusque de rebus divinis* »*opiniones, modo a ratione ac pietate non abhorreant, placidis* »*atque amantibus ferimus animis. Falsi enim Athanasii simi*- »*liumque* anathemata *brutorum instar fulminum habemus*" (2).

---

(1) Vid. *Cens. Censs.* XI. 498 *recenss.* Quem locum liberius quidem, sed ita ut sua sententiae constaret integritas, convertimus.

(2) *Ibidem*, p. 455.

Nec negligenda in eodem genere annotatio, quae legitur Tom. XII. p. 120; ubi, de diversâ agens *Christianorum* nomenclatione, et alia liberaliter disputat et haec: »*Si omnino,*" inquit, »*singularia iis nomina videantur impo*- »*nenda, nec in generalibus illis* Christianorum *aut* Christianorum catholicorum »*aut ad summum* Protestantium *quis acquiescere velit, perinde fere nobis vide*-

Nec vero majore aequitate ac lenitate cernebantur publice ab illo edita, quam privatim enuntiata judicia de iis, quorum placita improbabat, Theologis. Veluti, paucis ante abitum annis, de Schleiermacheri ad me scripsit admiratoribus: »*Etsi ho*»*rum nec κυρίαις δόξαις delector nec τρόπῳ παιδείας, bona* »*tamen et pulcra velle eos ac quaerere confido*" (1).

»*tur, quo se nomine vocet ipse aut ab aliis vocetur.*" — Cf. operis Broesiani *de conjunct. Protestt. Nederl.* censura, quae *ibidem* exstat T. XV. p. 405 sqq.

De *Canticis euangelicis*, Reformatorum usu receptis, imprimis de technicâ ac poëticâ nonnullorum ratione, severiora subinde prodidit judicia. Vid. *Cens. Censs.* II. 146. XII. 157, item annot. ad comment. *de* Alphenio *Poëtâ.* Quâ in re si forte nonnullis paullo iniquior fuisse videatur, animum certe probavit a partium studio alienum.

In alio denuo genere liberalem sese praestitit Censorem, *ibidem*, XII. 582 et 588, de Hovingii ac Schotsmanni scriptis deinceps referens. Quorum alter ab altero vix magis dissentiebat, quam ab utroque Clarissius. Sed vide, quam aequâ judicii lance hîc utriusque scripti et virtutes et vitia recenseat.

(1) Erga eos etiam ipsos, qui ab emendatis sacris abhorrebant, admodum liberalem sese demonstravit. Etsi enim strenue eorum errores confutabat et callidas artes, nec iis, ut hodierni nonnulli, qui Orthodoxiae Statores haberi volunt, Protestantes, inepte blandiebatur; tamen ab iniquis eos tuebatur criminationibus, nec falsa iis objici patiebatur. — Vid. censura Th. à Beekom, *Cens. Censs.* IV. 11; ac relationes, unde multa utilia disci possunt, de litibus Lesagianis ac Weppelmannianis, *ibidem* IX. 405. 472, X. 141, ubi docte eum reprehendit, qui indocte ac scurriliter Pontificios riserat; porro p. 207 aliisque passim, qui ad idem argumentum referebantur, locis; in quibus certe non negligenda quae inveniuntur XI. 57. XII. 332. 394. XIV. 423.

Quantopere *τοῖς πᾶσι τὰ πάντα fieri* cuperet, per ipsam ordinationem operis demonstravit supra memorati, quod vernacule dicitur: *Aanleiding tot huiss. Godsdienstoefening.* Quippe quod eâ ratione composuerit, quâ liberalioribus etiam Pontificiis commoda daretur eo utendi opportunitas. Cff. quae ipse *ultimae Particulae praefatione* monuit.

Verum ille demum, Praeceptor noster quam *liberalis* fuerit Theologus,

Atque ingenua profecto et liberalia haec studia in eum conveniebant Theologum, qui impensius, quam ulla Instituta humana, quam ullam de Christi nomine dictam Societatem terrestrem, ipsum diligeret Christum, ac vere adeo, quod olim *Paullus*, profiteri posset: *Ἡ ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ συνέχει ἡμᾶς*. Qui ipse Domini amor mature ejus animum *Missuum Societati Nederlandicae* conciliavit, quae non hujus illiusve Sectae terrestris placita, sed unius Euangelii coelestis cognitionem per orbem propagandam curat. Illius Moderatoribus multos per annos adscriptus mansit, rerum actarum non otiosus spectator, ejusque singulatim Delegatis aggregatus, qui, paraeneticis editis libellis, incultiores etiam homines pietatis virtutisque pabulis augere conabantur. Et vero, ne quid huic operae deesset, a. 1826, in solenni sociorum consessu Roterodamensi, auditu longe dignissimam habuit orationem, quâ, a Christi promissione: *Fiet unum ovile, unus Pastor* (1), enarrandâ profectus, gravissime atque amantissime Christianos adhortatur ut, pro suâ cujusque virili parte, exoptatissimum illud tempus, quod aliquando futurum annuntiârat Dominus, maturare studeant. Quae oratio, postmodum

---

plene percipiet, qui plures accurate legerit, quae huc pertinent, in *Encycl. theol. Epitome* monita sapientissima. Veluti quae de legitimo librorum Symbolicorum usu dicuntur, p. 483. 495—498; — item de consilio, quod Theologiae *Polemicae* s. *Elencticae* propositum esse debet, p. 501—505. Quo postremo loco quam facile lites *Lutheranos* inter et *Reformatos*, item *Remonstrantes* inter et *Contraremonstrantes*, vel caveri potuissent vel mature componi, accurate docet Vir in paucis pacificus. — Cff. etiam quae, de scrutandae sine partium studio S. Scripturae officio, graviter monuit in Comment. pract. ad *Acta Apostt.* II. 165 sqq. ed. 2.

Neque hoc tandem liberalitatis documentum silentio praetereundum videtur. *Eodem in Opere*, II. 238, et caeteris Protestantibus et, quibus ipse adscriptus erat, *Reformatis* graviter *Teleiobaptistarum* pietatem imitandam commendat.

(1) *Joann.* X. 16[d].

edita ac copiosâ annotatione locupletata, utinam, hoc ipso etiam tempore, ab omnibus legatur ac perpendatur *Societatis Missuum Nederlandicae* et amicis et vituperatoribus! (1)

Ex eodem *Ecclesiae*, quae, unum venerata Christum, nullis regionum terminis aut Sectarum placitis circumscribitur, propagandae atque amplificandae studio ac desiderio ardor exstitit et constantia, quâ Societatis, quae a *Codicis Sacri* totum per orbem spargendi consilio *Biblica* vocatur, caussam sibi agendam putavit. Quo primo enim tempore, Britannos imitati nostrates, post pacem Europae redditam hujusmodi Societatis condendae consilium inierant, utilissimo Instituto nec vocis suae commendationem nec auctoritatis patrocinium deesse voluit Clarissius. Cujus voluntatis testis exstat locuples oratio, anno jam 1814 Roterodami habita typisque descripta.

Verum non studiosius nascenti Societati faventem eum videmus, quam adultae ac florenti eidem novos identidem quaerentem amicos. Decennio enim post, in *Sectionis Leidensis altero conventu generali*, alteram pronuntiavit pro eâdem caussâ sanctissimâ *orationem*. Quam ubi auctoris modestia non hoc, sed tenuiore *allocutionis* nomine appellare jubet, ab eo dissentiendum videtur. Etenim perspicue et concinne et, sicubi opus erat, ornate dicendo ac singulas adversariorum objectiones strenue diluendo, omnibus *Oratoris* officiis satisfecit, eâdemque operâ animum prodidit Sacri Codicis veneratione non calentem, sed incensum (2).

---

(1) *Opwekkings-redevoering, gehouden voor het Nederl. Zendeling-genootschap, in deszelfs algem. vergad. te Rotterd. door deszelfs Medebestuurder* J. Cl.; *Rott.* 1826. Annotatio impr. in refutando versatur Abbate Jesuitâ J. A. Dubois, qui irritos esse Protestantium gentes convertendi conatus demonstrare studuerat.

(2) Binarum, quas laudavi, orationum altera dicitur: *Aanspraak bij de oprigting van het Bijbelgen. te Rotterdam,* 1814. Altera, eodem nomine modesto dicta, reperitur in relatione: *Handd. der* 2de *alg. Vergad. der Leidsche Afd. van het Ned. Bijbelgen.;* L. B. 1824, p. 33—63.

Verum et illud Ecclesiae propagandae studium et haec Sacri Codicis veneratio, et quaecunque pietatis sensa Theologi animum imbuerant in ejusque vitam redundabant, ex communi fonte manârunt, *Dei* ipsius ex *amore.* Quod enim sensuum Christianorum interpres fidissimus dixit *Joannes: Nos Eum amamus, quoniam prior ipse,* misso pro peccatis nostris piaculo Filio, *nos amavit;* idem de sese verissime profiteri poterat, nec candide profiteri verebatur Apostolorum hic Christique adeo discipulus (1). Per hunc igitur Dei amorem factum est ut virtutis impedimenta quam plurima, cum externa tum interna, vitiorumque blandissimas illecebras feliciter vincere potuerit. Quid enim? In pueritiâ utroque orbatus parente, mature gravissimis aberrandi periculis sese expositum vidit orphanus, quae vitae academicae libertas, atque ex recentibus orta litibus civilibus licentia, adolescenti objiciebat. Quem potissimum metuendum erat ne indolis, quam descripsimus, in utramque partem flexibilis mobilitas hilaritasque ad sensuum oblectationes appetendas sponte procliviorem redderet. Tum, primis vitae publicae annis, quos non Viri juvenis, cui omnia arridere videbantur, modestiae ac virtuti laqueos tetenderunt frequentissimae multorum, ingenium atque eloquentiam, scripta atque orationes sacras laudantium, applausiones! Ad quas mature honorifice oblata accesserunt splendida munera academica. Laetissima vero haec vitae virilis auspicia multi deinceps secuti sunt anni fere continentes, quibus clades ac difficultates domesticae, quas omnes recensere non licet, ad animum vel plane dejiciendum, vel certe necessario ad litterata studia vigore atque alacritate orbandum,

---

(1) Omnibus, qui ejus animum interius cognoscere velint, auctor sum(ut) nt praestantissimam legant orationem (*fidei professionem* fere dixerim) de 1 *Joann.* IV. 19, coll. sect. 9. 10, iterum iterumque pluribus ex cathedris sacris a Sene habitam. Quae edita exstat ultimi *oratt. s.* Fasciculi (L. B. 1842) p. 80 sqq.

veluti agmine facto, concurrerent ac conspirarent. Quae omnia ubi recoluerimus, (eaque longe plura sunt ac graviora, quam plerique noverint lectores) paucissimis nostrae certe aetatis Theologis tam arduum ac tam difficilem fuisse virtutis tramitem videbimus. In quo ipso tamen tramite ac curriculo, Dei gratiâ adspirante, tam constanter ad metam usque sese continuit tantosque progressus fecit, quantos facere humana imbecillitas paucissimis concedit et aliarum doctrinarum et sanctissimae disciplinae cultoribus. Quod magno sane documento est, per Dei Christique amorem non animi tantum superficiem, si ita dicere licet, sed intima etiam penetralia ac recessus emendatos esse atque ad Dominum imitandum compositos. Ex limpidissimo enim hocce fonte tot ac tam illustres redundârunt virtutes, ut Senis animum, Divinum per Spiritum magis magisque perpurgatum, quamvis nunc etiam a perfectione remotum, tamen *λειμῶνα ἀρετῶν* appellare non verear (1).

Juvatne enim luculento conspicere exemplo, quid sit, quo certius cursum divinitus propositum absolvas, *corpus* non robustum nec validum *ὑπωπιάζειν καὶ δουλαγωγεῖν?* Hunc et juvenem attendite et senem, permultas horas nocturnas, non tumultuario quodam impetu sed constanti fere more, somno ac requieti subtrahentem et veluti suffurantem, lectioni ac lucubrationibus theologicis impendentem (2). — In adversis rebus quam

---

(1) *Chrysostomi* hoc dictum, quod initio legitur *orat.* 1 *in laudem Paulli*, ab editore Valckenario iniquius improbatum, hîc ad Clarissium quodammodo applicatum esse nemo, qui tam diu, quam ego, eum intime cognoverit, mirabitur. — Mox ad 1 *Corinth.* IX. 27 respicitur.

(2) *Quinas* quidem noctis *horas* hominis somno sufficere statuebat. Sed sibi, puto, subinde vix *trinas* aut summum *quaternas* concedebat. Neque id quod, sicuti non raro Poëtarum nostrorum princeps Bilderdicius, somnum capere non poterat, sed quod nolebat. Graviores quosque libros uno quantumpote tenore atque uno veluti haustu legendos putabat, quo plenius totum complectaris argumentum. Quâ igitur ratione si nonnullos interdiu cognoscere non potuerat, noctem sibi diei vicariam assumebat. Idque juvenili tempore ita non raro ut, in lecto sedens, cui nocturnâ in mensulâ lucernam juxta apposuerat, legendi officio fungeretur. Veluti praestantissimae diatribae

patiens fuerit, in secundis quam modestus, omnia Deo, nihil sibi tribuens, in utrâque sorte quam aequâ mente, quam pacatâ, quam contentâ divinitus vel datis vel ablatis bonis; haec igitur omnia passim demonstravit candida, quam legisti, narratio. Verum quo modo et quo praestantiae gradu hae fuerint in illo ac magis magisque increverint virtutes, ita demum plene scires, si tibi, quod uni alterique amico, contigisset omnium, quas habuit, solenniorum orationum exempla aut sciagraphias videre, aliaque ejus manu scripta plurima libere lustrare. — Nec ullo tempore me cujusquam in notitiam venisse affirmo, qui in *Parentes*, *Praeceptores*, *Fautores* magis pio esset gratoque animo. Qui sensus ita propriam in ejus mente rationem habebat ac veluti conformationem, ut suo ex ingenio alios aestimans, vix esse *posse* putaret non pessimos homines, qui eos, quorum operâ ac ministerio moderante Deo edocti erant, obliviscerentur aut ad eorum memoriam frigerent (1). — *Amicitiae*

Wynperssianae *de divinâ Christi naturâ* lectionem unâ ejusmodi nocte sese et inchoâsse et absolvisse, aliquando aliud agens mihi narravit. Nec tamen amicis aut discipulis, infirmiore corpore usis, auctor erat ut lucubrationum suarum nocturnarum exemplum imitarentur Vir prudentissimus; haud ignorans ille plerosque, *οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν*, per torpores ac somnolentias diurnas nocturnorum studiorum fructum amittere, a quibus nec certissimum valetudinis detrimentum abesse. Ipsum, qualem dixi, vitam ad senectutem usque perferre potuisse saepe mirari subiit.

(1) Prae caeteris exordium attendatur orat. de Wynperssio, coll. annot. 2. 3, impr. vero 60. — In annot. ad Ewald. de *Eloqu. s.*, p. 499 ed. 2, *suo ex animo Praeceptorum memoriam unquam deleri posse*, diserte negat. Nec mirum igitur omnes, quas sacrorum Antistes pronuntiavit, orationes aditiales singulorum honorificam habere commemorationem. Atque omnia hîc denuo conferantur illius dicta, (nam operae pretium est) quae supra, de Praeceptoribus agentes, memoravimus.

Nec vero hi soli fuerunt, quorum erga se merita gratissimo animo recordaretur. Veluti haud sine lacrimis eorum se meminisse dicit, quae olim, Parentibus orbus, Hermanno Joanni Krom debuerit, Patris amico eidemque Pastori ac Professori Medioburgensi. V. *Cens. Censs.* XV. 362 *recenss.* — Atque idem fere sensus erat in *Scriptores*, quorum libris multa se

jura legesque quam sancte veneraretur, testis (ne vivos advocem) quamdiu vixit locupletissimus fuit Endius, Vir doctrinâ ac virtute praestabilis. Quocum ab adolescentiâ contractam familiaritatem nunquam quidem neglexit, sed nullo tempore tam studiose confirmavit recoluitque, quam quo tempore hic, qui diu amplissimo loco positus in omnium ore fuerat, in immeritam populi Procerum oblivionem inciderat. — Erga *liberos* eo animo erat atque eâ caritate, ut ne illum quidem filium, cujus res ac fata acerbissimos ipsi dolores pepererant, quique, in Indiâ vivens Orientali, rarissime se vivere significabat, sincere amare desineret. — *Discipulorum* vita ac valetudo, laus ac prosperitas, imprimis vero quies per Christum interna quantopere Praeceptori curae cordique fuerit, vehementer doleo me, cum optime sciam, tamen dicere non posse. Neque ea enim praemature atque inconsiderate aperire licet, quae tum demum, ubi nihil amplius boni ac pulcri celabitur, patefacienda erunt. Hoc unum igitur scitote, Lectores! mihique candide affirmanti credite, si *epistolas* legendi copia daretur, quas non raro ad discipulos dedit, vel bene vel male valentes, vel honoribus auctos (1), vel aerumnis pressos, vel fide vacillantes, vel terrae pertaesos unumque coelum anhelantes; has, inquam, epistolas legendi si via pateret, talem Praeceptorem alterius instar Parentis a discipulis venerandum fuisse, Vos omnes uno ore assensuros. — In *malevolos* atque *invidos* quam benevolum ac libe-

---

debuisse recordaretur, veluti in Gellertium, J. T. Hermesium, Alphenium, alios. Nec fere sine honoris praefatione Hinlópenii, cujus et orationes s. et scripta maximi fecit, nomen usurpabat.

(1) Videndum imprimis, quam amante et quam pio animo de adauctis amicorum discipulorumque honoribus laetaretur. Veluti eorum alicui, qui ad ampliorem evocatus erat locum, nec-tamen ad stationis, quâ erat, suavitates ac commoda illi postponenda se propensum significârat, non magis amice, quam graviter haec scripsit: »*Perpauca*," inquit, »*mihi gratiora evenire potuerant, quam quod tibi jam paratior atque amplior opportunitas data est, quas accepisti, dotes Dei Christique caussae consecrandi. Tuum igitur officium est τῷ Ἁγίῳ τῷ καλέσαντί σε sine morâ obedire.*" Haec ipsa enim ita Graece enuntiata Vir pius apponebat.

ralem sese demonstraverit, hoc certe discas exemplo monitus; unde de universâ illius adversus inimicos sentiendi atque agendi ratione statuere poteris. Ejus scrinia compilârat Lotzius, atque infelici admodum conatu manifestâ plagii suspicione sese liberare studuerat; neque in commisso hoc plagio acquiescens, *haerentem multâ cum laude coronam* veteris condiscipuli de capite detrahere. Nam iterum iterumque proditis publice censuris, illius in libris ea etiam ipsa sibi vituperanda sumserat, quae maxime laudanda censuissent aequiores arbitri. Has igitur injurias quomodo ultus est, quem earum nulla fugiebat, Clarissius? Viri longe doctissimi, qui de Ecclesiâ optime merere potuisset, oculos pravâ ambitione atque aemulatione occaecatos esse sincere dolebat. Ubi primam Lotzii orationem Franequeranam, typis editam, non injuste quidem, sed acerbe censuerat, quae tum erat, *Bibliotheca Litteraturae theologicae*, et indignatus est et nolle se eum in modum Theologiae Professorem traduci, ad Beetsium, non illius quidem Censorem, sed universi operis adhuc Moderatorem, candide perscripsit. — Ac diu etiam postea, cum alias injurias aliis cumulaverat, vastam ejus eruditionem aut copiosam certe, ex plurimorum librorum lectione haustam, rerum theologicarum cognitionem publice laudavit, ejusque *Introitum in N. Testamentum*, ut mihi quidem videtur, praeter meritum fere, Theologiae tironibus legendum commendavit (1).

Quam singulari amore *Patriam* complexus sit, quam amabili humanitate atque aequitate erga omnes fuerit Reipublicae litteratae cives, has aliasque virtutes, quas in ejus animo Dei Christique amor peperit, alibi memorabimus. Verum, quod supra jam professus sum, id quam vere dixerim, quo diutius in Praeceptoris imagine contemplandâ versor, eo penitius sen-

---

(1) Vidd. omnino relationes, in *Cens. Censs.* XI. (1818) 289 sqq. et p. 293 sqq.; ubi attendendum etiam, quam leniter et quali cum excusatione librorum Lotzianorum tangantur errores. Atque eundem animi sensum demonstrant, quae *ibidem* leguntur VI. 241 *recenss.*

tio pleniusque video; totum illum a me vobis repraesentari non posse. Quocirca, ne quis quod praestare nequeam id a meâ requirat tenuitate, id unum me egisse repeto ut demonstrarem, ad *Theologiam* affinesque doctrinas excolendas quam eximie compositum divinitus acceperit, suoque studio magis magisque conformârit et ingenium et animum et indolem universam.

Sed hujus caussae summam admonitio continet, quâ proditâ totum hunc locum concludam. In *Theologo* imprimis requiritur, (quem in generoso quovis homine requirit Ernestius, Theologus primarius) »*animus magnus, qui se super omnes* »*res humanas effert, omnes honores laudesque inanes, omnes* »*divitias generose contemnit, qui omnes laborum molestias,* »*omnia pericula spernit, omnes dolores morbosque sustinet* »*patienter, nullis adversae fortunae casibus indignatur, ipsam* »*mortem minime timet, quam scit corpori, non animo ob-* »*esse.*" (1) Quid enim? Verissime monentes audivimus Litteratores *Classicorum*, qui dicuntur, *Scriptorum* eos tantum persentiscere posse pulcritudinem ac sublimitatem, qui magnos eorum ac generosos sensus ipsi susceperint atque imbiberint. Quocirca in illorum interprete praeter caeteras dotes vel maxime requirunt, quod *Persius* dixit, *incoctum generoso pectus honesto.* Ea autem, quae *Theologis* interpretanda incumbunt, *Moisis* ac *Prophetarum*, multo magis etiam *Euangelistarum* et *Apostolorum* scripta atque omnium maxime *Christi* orationes, humana quidem verba habent, sed coelestem plane ac divinam continent traduntque sapientiam. A quibus ubi non perennia caducis, sensuum illecebris bona non peritura praeferre docemur? Horum igitur interiorem vim ac pulcritudinem, horum dicta sublimia quomodo vel ipsi percipere poterimus vel

---

(1) Vidd. Ern. *Initia doctr. solid.*, (ed. 5 Lips. 1776) p. 454. Nam totus, unde pauca tantum excerpsi, locus legendus est.

aliis declarare, si *animas* habeamus *coelestium inanes atque in terram incurvas?* (1). — Nec magis profecto gravissima rationum argumenta, quibus *Euangelii* atque universae religionis decretorum evidentia fundatur, ex vero quisquam poterit aestimare, qui animo angusto est ac minuto neque ad Dei voluntatem exsequendam sincere propenso (2). — Quid ipsa Christi decreta dicam ac praecepta? Quae generoso quidem pectori, coelestia anhelanti ipsumque Deum quaerenti, suâ sese commendant praestantiâ ac beneficentiâ, sed quae eadem abjecte, sordide, humiliter sentienti mortali *σκάνδαλα καὶ μωρία* et olim fuerunt et aeternum manebunt. — Verum ecce tibi Christi Societatis historiam! Permulta quidem et aliorum Domini cultorum exempla monstrat et Martyrum, qui quoniam pro Christo *mori poterant, cogi non potuerunt.* Horum autem sanctitatem ac generositatem quomodo percipere poterit, quomodo, sicuti par est, enarrare, qui in mundi vel honoribus vel divitiis vel voluptatibus finem bonorum positum esse stulte opinetur?

Quid plura addam? Ut quisque Vestrum, O Juvenes theologici iidemque Commilitones dilectissimi! dummodo a doctrinâ nostrâ non imparatus, Clarissii *magnanimitatis* exemplum studiosius fuerit imitatus; ita melior, mihi credite, *Theologus* erit. Huic enim quam magnus fuerit ac celsus animus, testis omnis juvenilis fuit aetas, testis vitae cursus, testis vel maxime senectus. Quod si forte nondum omnibus plene constiterit, hujus narrationis vituperate tenuitatem, de virtutis, quam descripsi, sublimitate ne dubitate. Sed quid Praeceptoris magnanimitatem me descripsisse dicam, cujus vix tenuia vobis repraesentare potui lineamenta? Quo enim quidque vel in artium operibus, vel in naturae miraculis, vel in pectorum imprimis a Christo purgatorum penetralibus praestantius est atque admirabilius; eo longius ab illius magnitudine assequendâ ac referendâ distabit imago ac remota manebit.

---

(1) Omnino cff. quae dixit Paullus, 1 *Corinth.* II. 14.

(2) Vix opus est hîc Christi dictum memorare, *Joann.* VII. 14.

CAPUT ALTERUM.

DE CLARISSII MERITIS ET ALIAS IN DOCTRINAS ET IMPRIMIS IN THEOLOGIAM.

Theologiae studium longe latius patet ac *Theologi* officium multo plura complectitur, quam haud pauci vel aliarum disciplinarum cultores vel hujus ipsius alumni videantur opinari. Pudet enim referre quam arctos nobilissimo huic studio limites multi ponant, atque absurdâ hâc finium coarctatione quantam imperitorum in contemtionem illud adducant. Quasi cui linguae volubilitas laterumque firmitas constet, nec ad concionale dicendi genus consectandum vel religionis tralaticia cognitio vel animi desit audacia; hic scilicet *Theologus* habendus sit. Quorum quidem judiciorum ineptiam atque iniquitatem, si cum nostrâ tantum ignominiâ conjuncta foret, fortasse taciti ferremus, aut nostrâ certe indignatione vix dignam putaremus. Ecquem osorem enim ars habet, *nisi ignorantem?* Et vero qui continentem rerum divinarum meditationem non ad doctrinae eruditionisque magis, quam ad animi pietatisque fructum contulerit; is, inquam, Dominum imitari conatus, a Deo potius immortali, quam fragilibus ab hominibus honorem sibi quaerendum esse videbit (1). Mortalibus enim prodesse, quam ab iis laudari mavult. Enim-

(1) Cf. *Joann.* V. 41. 44.

vero quantumpote cavendum est ne ex ineptis, quae diximus, judiciis ipsa detrimentum capiat sacrosancta Christi Societas. Quod sane timendum erit, si vel nostrae disciplinae tirones, hujus ratione atque amplitudine non perceptâ, ea mature discere negligant, quorum accuratâ cognitione carere nequeunt; vel si ii, qui eorum studia regunt, rerum suarum eos satagere non putantes, ea praeterea inculcanda ducant, quae tempus atque otium praeripiant, ad addiscenda magis necessaria omnino reservandum. Quod dictu difficile est quantopere mediocria imprimis, qualia sunt pleraque, ingenia confundat corrumpatque.

Theologi igitur cum munere atque officio quam multa conjuncta sint eaque quam gravia studia *philologica, historica, philosopha,* sic, age! contemplemur ut, in Praeceptorem nostrum oculis conversis, quam praeclare de singulis iis meruerit paullo disertius exponamus. Sic exemplum tironibus proponetur, in quod intueantur, quodque eâtenus certe imitentur, ut, si ingenii mediocritas aut temporis concessi brevitas studia paullo arctioribus includat limitibus, non minore tamen animi ac virium contentione ea percipere conentur, sine quibus accurate cognitis *Θεοῦ συνεργῶν* amplissimum nomen munusque tueri non poterunt. Atque utinam ii, quorum in cursu studiorum regendo valet auctoritas, hanc *Theologi* imaginem contemplati, quam ineptum sit perspiciant, quibus ad suas res, ut par est, agendas vix otium suppetit, eos deprecantes atque invitos ad alienas suscipiendas avocare et detrahere!

Verum, quo minus de consilii nostri ratione dubitent lectores, duo praemonenda restant. Alterum, ita nos doctrinarum varietatem, in quâ Praeceptoris industria versata est, spectaturos, ut quem ipse, *Encyclopaediae theologicae Epitomen* informans, secutus est rerum ordinem, eundem nos quoque in plerisque sequamur. Quid enim iniquius, quam alieno eum modulo metiri? Ab illo igitur ordine sicubi recedemus, vel brevitatis studium caussa erit, vel officium eâ potissimum ratione dicendi, quâ maxime conspicua fiant illustria ejus merita. — Alterum, quod praemo-

nendum videtur, ad duplex pertinet officiorum genus, quo sanctiorem sibi obstrinxit disciplinam, et publice *docendi* et *libros edendi*. Quodsi enim, *Socratis* exemplo, *nihil scripsisset ipse*, ac Theologiae tantum *munus et officium docuisset;* vel sic tamen singularia illius in omnes, quos vel Harderovici, vel Roterodami, vel Leidae discipulos habuit, merita fuissent. De his autem supra diximus. Verum meritis cumulum adjecisse *scriptorum editorum* copiam, varietatem, utilitatem, subtilitatem, per ea, quae jam dicenda instant, distinctius atque enucleatius, quam antea fieri potuit, declarabitur. Quamquam res ac rerum connexio suadebit, ut subinde ad superius dicta quodammodo vel illustranda vel locupletanda redeat oratio. Cum praesertim non tam distributionis subtilitatem, quam narrationis facilitatem ac familiaritatem sibi sectandam proponat qualecunque hoc opusculum.

Sed anteaquam ad singulas spectandas accedamus, quibus ejus opera profuit, doctrinas, pauca de munere *censorio* dicenda, quo diu ac strenue functus, universam demeruit eruditorum civitatem. Hujus igitur muneris partes et *privatim* obiit et *publice*. *Privatim* quidem Censorem egit a litteratis invitatus, quibus adscriptus erat, Societatibus. Quales et aliae fuerunt et hae, quas in tabellâ diserte appellavit: *Rheno-Trajectina, Harlemensis, Zelandica, Hagana pro Christi tuendâ religione, tum Instituti regii artium ac doctrinarum Classis tertia* (1). Hae enim Societates de disputationibus, quas, vel praemii propositi consequendi gratiâ vel quacunque aliâ de caussâ, sibi obtulerant auctores, saepe Theologi judicium expetiverunt, *cui, si quid recte curatum vellent, mandandum* sciebant. Nec vero hic, dum-

---

(1) Hocce ordine scidulâ saepius memoratâ Societates appellat Praeceptor, ad quas de commentationibus oblatis referre solitus sit. Quibus vero sine dubio *Societas* adjungenda est *pro salute publicâ*, cujus res quantopere curae cordique habuerit supra narravimus.

modo otio non plane careret, operam suam frustra requiri passus est. Quae opera quam multa complexa sit et quantum occupatissimi temporis absumserit, ipse satis ostendit Societatum, quas dixi, numerus ac diversitas. Necdum nobilissimam nuncupavi *Litterarum Nederlandicarum Societatem Leidensem;* cujus conatus quam efficaciter et quam studiose monitis ac consiliis adjuverit Amicus, postmodum narrandi nobis opportunitas erit. Sed nunc, quod agimus.

Quâ praestantiâ *privatae* illae fuerint censurae, optime ex iis intelligi poterit, quas eum *publice* prodidisse vidimus, imprimis in *Bibliothecâ Litteraturae theologicae* atque in *Censore Censorum* (1). Nam hae demum, non quae olim alibi editae erant, doctrinae maturitatem habebant. Ineunte igitur hoc seculo, plane jacebat apud nostrates nobilissimum *libros publice judicandi* sive, ut vulgo ajunt, *recensendi* munus, atque in infimum et dignitatis et utilitatis locum devenerat. Plerique enim, qui id agebant, lectoribus nihil nisi negligenter conflata ex libris recens editis *excerpta* propinabant. Alii, pejore etiam instituto, judiciorum iniquitate atque acerbitate dissensiones litesque, cum politicas tum theologicas, alere atque acuere non verebantur. Nihil igitur illo tempore artium doctrinis exoptatius fieri potuit, quam quod cum Beetsio et Ockersio, Viris praeclaris, cum aliisque similis laudis sociis consilia contulit Clarissius, ut damna atque opprobria, quae ex istâ male sedulorum hominum perversitate bonis Litteris ipsique adeo Patriae metuenda erant, melioribus propositis relationum in hoc genere exemplis, quantumpote averterentur ac depellerentur (2).

Atque hanc ejus operam non injuriâ a nobis laudatam esse luculenter tibi apparebit, si censurarum ab ipso profectarum praecipuas dotes paullo enodatius explicare, et infra allatis

---

(1) V. supra dicta p. 47. 68. 95.

(2) Eorum, qui sibi libros censendos sumunt, quae officia sint ipse accurate docuit in relatione de Schachtii *Antt. Hebr.; Cens. Censs.* VI. 464 sqq.

exemplis nonnullis confirmare, nobis permiseris. Quo facto si nonnullos forte impellere contigerit ad Clarissiana, quae laudabo, legenda atque ad alia, quae suis se vestigiis facile prodent, quaerenda; nec me monuisse, nec eos monenti morem gessisse poenitebit. Commendantur igitur hae, quas dixi, criticae illius relationes et a *doctrinae copiâ* et a *diligentiâ* atque *ἀκριβείᾳ* et ab *aequitate* atque *humanitate* et a justâ *severitate*, a *studio* tandem *quasvis de Litteris ac Doctrinis bene merendi occasiones captandi* atque in earum emolumentum conferendi. Nam de *judicii*, quam produnt, *subtilitate* supra aliud agentes diximus (1).

Primâ igitur ae propriâ notâ Praeceptoris crisis dignoscitur, *doctrinae copiâ*, quam, sive exquisitam seu exuberantem dicere malueris, est sane plane singularis. Permultas ab ephebis me legere recordor, temporum ac linguarum varietate distinctas, librorum censuras; verum perpaucas, ad quarum conscriptionem tam varium ac tam locupletem attulerint atque adhibuerint auctores eruditionis apparatum. Non raro enim totum, in quo scriptoris liber versabatur, argumentum aut certe praecipuas nonnullas ejus partes ita illustrat, ut vel illius vel harum historia, momentum, indoles atque universa ratio in clariore, quam unquam antea, luce tibi collocetur. Et haec si in majoribus ut plurimum rebus versantur; non magis loci desunt, ubi in minimis enodandis iisque, quae plerumque vel ignorantur vel negliguntur, maxima prodatur eruditio. Id equidem asseverare non vereor, haud multa unquam emissa esse ac publicata de librorum pretio judicia, unde tantum rerum utilium atque exquisitarum discere possis (2).

---

(1) Vid. p. 149.

(2) In *Cens. Censs.* hae ex aliis consulantur Clarissianae relationes: De Champollionio, *res Aegyptiacas* illustrante, XVIII. 461; [cujus se auctorem esse satis diserte indicavit ipse, *Encycl. Epit.* p. 24]; — de *oratt. sacris* M. Stuartii in *Jacobum*, I. 465; — J. H. Palmii, passim; — E. Kistii, impr. X. 62. XII. 22. 236. XV. 4. XVI. 477 et alibi; — A.

Altera criseos Clarissianae dos ac commendatio *diligentia* est et *ἀκρίβεια*. Ubi non sane minutam illam ac pusillam sig-

Ledeboerii, II. 698; — *plurium Oratorum s. Walloonicorum*, ubi est prosopographia homiletica, VIII. 1; — Donkeri Curtii, *ibid.* p. 311; — Dekkeri Zimmermanni, *ibid.* p. 695; — F. Hoekstrae, X. 481; — B. Markenii, IV. 175; — J. R. Boullierii, I. 674.

Tum videas censuras J. G. Marezollii *de Oratore s.*, I. 93; — scriptoris anonymi, (i. e. Liefstinkii) *de munere Antistitis Meditata* edentis, *ibid.* p. 189; — Corn. Epenii de *sortiendi* usu ecclesiastico; VI. 360.

Nec minore cum ingenii ac doctrinae fructu has leges censuras: *Jesaïae*, a Palmio conversi, I. 281 et aliis deinceps locis; — *Operis de V. T.* a Scheidio inchoati, a Stronckio continuati ac perfecti, I. 557 et multis deinceps aliis locis; — *Lexici Hebr. et Chald.*, a Scheidio inchoati, a Groenewoudio perfecti, VI. 458; — J. H. Schachtii *Antiqq. Hebr.*; *ibidem*, p. 462; — J. H. Verschuirii *Opuscc.*, a. Lotzio editorum, *eodem Tomo*, p. 241; — J. L. Overdorpii *de laudatis in N. T. locis Vet. Test.*, II. 365; — G. B. Folmeri *de vaticc. Mess.*, III. 405; — Paravii, Lotzii et Anonymi *de mythicâ interpretatione V. T.*, X. 1; — *Chronologiae* Bosveldianae, XIII. 393.

Porro neminem poenitebit eundem consulere Censorem de Seileri *Hermen. N. T.*, ab Heringâ editâ, I. 1; — de Bosveldianâ interpretandi N. T. ratione, III. 393; — de W. G. Reddingii comment. pract. in *Philipp.*, IV. 1; — de Voorstii *in N. T. annotatione*, VI. 197. 505 et alibi; — de Borgeri libro *de constanti et aequabili ratione* caet. XI. 193; — de Segario, *Clementis Alexandrini* libellum edente, X. 93.

Nec minore dignae sunt attentione censurae Borgeri *de Mysticismo*, XIII. 557; — Hennertii, *de initiis Philosophiae*, XVI. 592; — Villersii et le Roy, *de Philos. Kantii*, XIV. 531. XVI. 586; — Paleji, *argumentorum pro rel. Christ. conspectum* prodentis, II. 93; — J. N. F. Braueri, *de rel. Christ. Imperii lege*, (perfectum fere doctae exemplum censurae) VI. 101. 149; — Reinhardii, *de J. C. consilio*; III. 291.

In magnâ brevitate lectu dignae sunt censurae Suringarii et Reddingii, *de ultimo judicio*, III. 199; — Anonymi, *de revidendis in coelo amicis*, XIV. 469.

In *Bibliotheca Litt. theol.* relationes perpendantur doctissimae de Beeckii Calkoenii diss. contra Volnejum et Dupuisium; I. 32; — *Dissertt. nonnullarum*, Praeside Heringa defenss., *ibidem*, p. 342; — Muntinghii *de hist. Cult. ibidem*, p. 651, item, si recte video, III. 62. IV. 814; —

nifico sedulitatem, quae, si libri de quo quaeritur paucas forte litterulas aut syllabas in triumphum egerit, praeclare se munere censorio functam esse jactat. Verum accuratam dico libri, meditate ac cogitate perlecti, descriptionem; unde qualis sit, quid agat, quâ viâ consilium assequi conetur, quo vel argumentandi vel dicendi genere utatur, sic intelligere possis ac judicare, quasi tuis ipse oculis scriptum inspexeris ac lustraveris. Hujus igitur *ἀκριβείας* luculenta exempla exstant et pleraeque, quarum modo antea locos indicavimus, ejus relationes et multae aliae, quas eodem jure memorare licuerat. In quibus eae imprimis sunt, quae id agunt ut scriptorum argumentum in compendium contraherent ejusque summam, paucis punctis notatam, reponerent, aut praecipuos eorum locos lectorum in gratiam excerperent. Quo in penso ita versari, ut nec fidei nec perspicuitati noceat brevitas, quod non mediocris et diligentiae est et exercitationis, id igitur nullius melius, quam hujus, exemplo disces.

Judicandi *diligentiae* comitem adesse *aequitatem* atque *humanitatem*, quae de Viri generosi erga dissentientes quosvis *liberalitate* supra monuimus, jam suspicari jubebant. Atque hoc praejudicium nullo loco, ubi censorio munere eum fungentem advertimus, confutatum videmus. Ab iniquis enim *Zoilorum* vituperationibus saepe et alios scriptores strenue tuetur, et eos maxime, quos invidia depresserat et partium studium (1). Si quae librorum vitia notanda putat, et minus recte dicta excusare potius studet, quam acerbius exagitare, nec raro scripti reprehensionem, adjectis ipsius scriptoris laudibus, temperat lenitque.

Vlotenianae *Theol. bibl.*, II. 87; — *Diss.* a Snouckio Hurgronje, Praes. Royaardsio def., III. 206; — *Opuscc. de hymnis sacris*, IV. 537; — Feithii *Hymnorum*, III. 276, coll. IV. 910.

(1) Alibi laudatis locis adde *Cens. Censs.* II. 695, ubi Harmsenium tuetur; — III. 575, ubi Kammium et Beekhusium; — IV. 384; ubi Uilkensium; — VIII. 375, ubi B. Verwejum; — XVII. 356, ubi Ockersium.

Atque ejusdem humanitatis est, quod non raro cum bene meritos deflet ac lugendos commendat auctores defunctos; tum incolumes, melioris imprimis spei juvenes, impellit stimulatque ne ab edendis ingenii fructibus se deterreri patiantur, nec *cedant malis, sed his contra fortiores eant* (1).

Nec vero ejusmodi erat haec aequitas, quae, sicubi Litterarum incolumitas aut Patriae honos aut Religionis sanctitas acriorem requirebant vindicem, justam excluderet *severitatem*. Quo in genere non paucae fuerunt Ephemeridum reprehensiones, quarum auctores, malâ aemulatione abrepti aut odiis occaecati, quae doctrinae monumenta laudare par erat, ea contumeliose vituperârant. Nec iis sane nimium indulgentem se praebebat, qui vel suae audaciae abortus in omnium notitiam perferre non erubuerant, vel minus bonis exterorum libris nostram in linguam convertendis aut melioribus male transferendis sordidum sibi lucrum, cum Patriae dedecore conjunctum, quaerere non dubitârant. Malignos autem Euangelii oppugnatores indignos habebat, quos, sic-

---

(1) Operae pretium est *Censorem Censorum* adire atque attendere, quomodo de bene meritis Viris dicat, vel mortuis iis vel vivis. Veluti de Palejo, II. 93; — de Muntinghio, *ibidem*, p. 493; — de J. G. Te Water, III. 102; — de E. Tingâ, III. 297; — de Alb. Brinkio, IX. 509; — de Jo. Newtono, X. 387; — de Klinkenbergio, Prof. Amst., XII. 160; — de P. Bosveldio, XIII. 393; — de Borgero, *ibid.* p. 568; — de Alb. Conradio, XVI. 129; — de J. J. le Roy, *ibidem*, p. 591; — de G. S. Franckio, Theologo Chiloniensi, *ibid.* p. 629; — de Ockersio, sine nominis professione librum edente, cujus eum auctorem esse mirâ humanitate ac comitate indicat, XVII. 351. 354. 360; — de Zevenhusenio, juvene defuncto, XV. 18; — de Scharpio et Jorissenio, senibus meritissimis, *eodem in Tomo*, p. 16. 253; — de Jenynsio, I. 386—396. Quam relationem, doctissimas nonnullas memorans censuras, omittere non debueram. — Nec de Heringâ dicentem audire negligas, *Biblioth. Litter. theol.*, I. 351. 353.

Quam amanter et quam studiose et aliis Viris doctis et juvenibus bonae spei auctor esset, ne ab edendis maturis ingenii fructibus deterreri se paterentur, videbis in *Cens. Censs.* XIII. 282, impr. vero XIV. 315. Cf. XVIII. 161.

uti multi solent hodierni librorum Censores, adhibitâ blanditiarum suavitate, molliter deliniret (1).

Tandem idem hîc apparet, quod in totâ Praeceptoris vitâ eruditâ, *studium quasvis de Litteris ac doctrinis bene merendi occasiones captandi* atque in earum emolumentum convertendi. Quod illius studium quam efficaciter a laudatâ suffulciretur variae doctrinae copiâ, sponte intelligitur. Ex multis autem, quae huc referri possint, haec certe exempli gratiâ teneantur. Cujus auctoris recens editum librum aliquem judicandum sibi sumebat, ejus non raro et priora scripta et universum curriculum atque ornamenta litterata lectoribus in memoriam revocat. Neque igitur solum librum, sed ipsum etiam honorifice cognoscendum dat auctorem; quem dignum esse cujus doctrina ampliore in theatro collocetur, graviter subinde monet. — Qui de argumentis ac doctrinarum locis, aut ipsis illis, qui Critico attingendi erant, aut affinibus etiam, egerant scriptores, vel antiqui vel recentiores, in iisque ii imprimis qui in immeritam posteritatis oblivionem inciderant; horum igitur vide quam saepe, quam studiose, quam accurate memoriam instauret. Librum autem edere instituens, si forte dubitas, in scriptoribus, qui ante te argumentum aliquod tractaverint, vel ad partes vocandis vel tacite praetereundis, quid sequendum sit quid fugiendum; prudentissima illius monita sequi te non poenitebit. Quam multa alia memorare possem, non minore attentione digna! Veluti quod nullam praetermittentem videmus opportunitatem vel artium vulgo neglectarum dignitatem vindicandi, vel obscuros Historiae litterariae locos illustrandi (2). Ve-

---

(1) Quoad religionis oppugnatores, vid. relatio *Cens. Censs.* XIII. 282. — Operum aliis ex linguis in nostram conversorum atque interpretum, qui male vertendo peccant, *severum* se *Censorem* dixit ipse; II. 497. Talemque se demonstravit; e. g. XIII. 19. 596. XIV. 13. 531 et alibi saepissime.

(2) Hîc dicta satis confirmabunt supra jam allati loci. Sed hi singulatim perpendantur. *Poësin Latinam,* vulgo neglectam eam, excolendam commendat; *Cens. Censs.* XI. 361. — Ex ineditis Virorum doctorum scidulis non raro lectu digna prodit. Qualia sunt, ne de Schultensio dicta repetam,

rum quae diximus, dummodo cum exemplis ac documentis infra allatis conferantur, omnibus, si quid video, probabunt ac persuadebunt apud nostrates certe (ne quid amplius dicam) nullum facile librorum Judicem exstitisse, cujus opera censoria et aliis et sacris Litteris majora commoda attulerit atque emolumenta.

---

excerpta ex Valckenarii aliorumque dictatis; *eodem Tomo*, p. 241. — Scripta *anonyma* aut *pseudonyma* quibus tribuenda sint docet; I. 189. 190. IV. 389.

Quo plures, hujus Ephemeridis loco quopiam, *scriptores allatos* videris; eo certius Clarissii manum odorabis. Sed nusquam magis festive hanc rem egit, quam XIII. 555. Ubi de *Historiae Eccl.* parte aliquâ agens, in ipsâ oratione multos laudaverat scriptores, tum voculas subjecerat vulgares: *et caetera.* Mox autem, se vereri fassus ne *ignominiae,* i. e. ignorantiae, *tegumenta* hae videantur, quas dixi, voculae, in annotatione aliorum denuo scriptorum nubem ad partes vocat. Universe, quid in auctorum locis afferendis vel sequendum sit vel fugiendum, saepe diserte docet, bona in hoc genere exempla laudans, mala reprehendens; veluti VII. 76. XI. 443. XII. 159. 178. XVI. 283. Graviter imprimis, VI. 413—415, magno illi occurrit Palmio, qui, in elegantissimâ *ad* Lublinkium *epistolâ*, auctorum nomina ac libros memorandi morem lepide riserat.

Pessimum istum morem clarorum Virorum *posthuma* scripta *inconsiderate* edendi graviter castigat, IX. 520. — De *plagio litterario* et alibi erudite disputat et iis, quos alibi memoravimus, locis, ubi vel Donkero Curtio occurrit vel Lotzium reprehendit.

SECTIO PRIOR.

DE CLARISSII MERITIS IN PHILOLOGIAM, HISTORIAM, PHILOSOPHIAM.

SEGMENTUM PRIMUM.

DE PHILOLOGO IPSO.

I.

Ut nunc res sunt, in rerum divinarum Doctore plurium requiri *linguarum hodiernarum* accuratam cognitionem, non magis id demonstratione eget, quam ab ineunte jam adolescentiâ hanc earum notitiam sibi parandam curâsse atque in studiorum subsidium advocâsse principem, de quo loquimur, Theologum (1). *Germanorum* enim ac *Britannorum* plures libros, in magnâ argumenti ac doctrinae varietate versatos, accurate nostram in linguam convertit (2). Quam adeo rem non raro eâ egit elegantiâ atque eâ curâ, quae nostris civibus et jucundiorem et utiliorem librorum illorum redderet lectionem, quam ipsis fuerat

(1) Cff. quae dixit ipse *Encycl. theol. Epit.* § 19—24.

(2) De *Anglicae* linguae cognitione vide supra p. 26 et p. 37 a nobis dicta, ac conferatur exquisita, quae hanc prodit, illius animadversio in *Cens. Censs.* II. 95 sqq. — Cum vix viginti annos natus esset, quam familiaritatem cum Miltono et Shakespeario jam contraxisset, ex dictis apparet in opusc. *Schatkamer van Vernuft en Smaak* (de quo mox), p. 62 et alibi. — De vulgaribus nonnullis nostratum q. d. *Anglicismis* vid. quae monuit ad *Secreta Secrett.*, p. 196.

auctorum civibus. *Francogallorum* quibus potissimum libris, nomen non professus, eandem operam praestiterit minus accurate novi. Id scio cum ternorum, quos dixi, populorum linguis eam illum mature contraxisse familiaritatem, quam non ad fructuosam tantum librorum lectionem, sed item, sicubi lubebat, ad scriptionem ac collocutionem haud incommodam conferre posset. Ac nescio utrum singularum indoles, affinitates, bona, defectus plenius cognoverit, an scriptores, qui vocantur, *classicos* et horum dicta pulcra et sententiosa quaeque (1). — Sed quid singula haec memoro? *Germanicae* enim stirpis linguarum ac dialectorum nullam facile ei ignotam fuisse existimo. Quid enim eum fugisse putabimus, quod cum subtilissimo patrii sermonis studio, in quo totus fuit, conjunctionem haberet? — Si forte quaeris utrum Tassonem etiam et Cervantesium et Camöensium, ut suâ singuli linguâ locuti sunt ac cecinerunt, legere potuerit atque intelligere; ad affirmandum longe propensior sum, quam ad negandum. De Tassone certe vix dubitaverim.

In *Nederlandicis* autem *Litteris* ita versatus fuit atque ita omnia earum veluti penetralia peragravit, ut, si eum jure olim Groningani ad *Philosophiae* cathedram occupandam evocârunt, non minore suo merito, vel ab his vel ab aliis, ad nostras illas Litteras publicâ auctoritate profitendas vocari potuisset. Atque hîc mihi dicendorum ea varietas est et copia, quae non multum abest quin me plane obruat ac confundat. Iisdem enim his Litteris et eximium se dedit praestititque *Grammaticum* monumentorumque vetustorum *Editorem* et *Poëtam* minime contemnendum et *Oratorem* eloquentem et strenuum *Patronum*. De singulis singulatim videamus.

In ipsâ jam juventute, immo vix primâ efflorescente adoles-

---

(1) De vetustorum scriptorum Nederlandicorum q. d. *Gallicismis* vid. ipse ad *Secr. Secrett.*, p. 219—221.

centiâ, cum Poëseos vernaculae deliciis severius eum conjunxisse Litterarum patriarum studium grammaticum, non uno constat temporis illius, quod peperit, scripto. Hujus enim studii prima nec dubia vestigia in annotatione videmus, quâ inepti *Panegyrici* carmen exagitavit; quippe quae ludicris ac satiricis seria doctaque passim admiscuerit. — Verum laudatiora longe atque uberiora in hoc genere sunt, quae et in Brenderi à Brandis *Horreo* prodidit, et in commentationum versuumque Fasciculo, quem *Ingenii Thesaurum* elegantiorum Juvenum, a quibus profectus erat, Societas appellavit. Quibus ex scriptis luculenter apparet, quam recte, viginti annorum adolescens, his in Litteris viderit, et quam mature cum vetustissimis quibusque earum monumentis intimam contraxerit familiaritatem. Ita autem *suus* erat, ut in quaestione, ubi Lamberti ten Kate Herm. et Adriani Kluit summa esse auctoritas jure censebatur, ab utroque modeste dissentire et utrumque refutare non vereretur (1).

---

(1) In Brenderi à Brandis op. *Taal- Dicht- en Letterkundig Mag.* T. IV. (1790) N°. IX, doctissimas consignavit *animadverss. miscell.*, quarum diu postea honorificam mentionem fecit cl. Siegenb., in annot. ad continuatum Maerlantii carmen: *Wapen Martijn*, in *Opp. nov. Soc. Leid. Litt. Nederl.* V. 2. p. 197. 239. Ad quod ipsum carmen suas secum animadversiones communicâsse Clarissium, ibidem p. 180 monuerat Editor. Sed ad juvenilia redeamus. Laudato in Br. à Brandis op., T. III. p. 241—256 et T. IV. p. 249—274 docte egit de vocabb. nostrorum terminatione aliquâ (*nisse*); quas commentatt. suo nomini vindicavit in annot. ad *Secreta Secrett.* p. 212, et in fine annot. *ultimi Periculi Philol. ex Carolingiorum tempore.*

Quo tempore Academiae Rheno-Traj. civis erat Amicus, editum est opusculum miscellaneum: *Schatkamer van Vernuft en Smaak;* Traj. ad Rh. 1791 (322 pp. 8). Cui edendo fortasse praefuit H. F. Helmcke; cujus Poëtae, mature defuncti, plura ibi carmina inveniuntur, cujusque laudes praedicavit Cl. in *Cens. Censs.* XIV. 113 *recenss.* Hujus ipsius Amici nostri et alia ibi inveniuntur, postmodum memoranda, et p. 33—87 commentatio, quae hîc in censum venit; ubi adversus magnos illos, quos dixi, Duumviros eruditissimâ probare conatur disputatione Batavorum vocabulum, quo *Mortis* notionem enuntiant (*Dood*), apud bonos ac vetustos Scriptores nostros semper *foeminini* generis esse, non, quod uterque putaverat, *communis*. Quam suam senten-

Insecutâ autem aetate, mediâ illâ ac maturâ, *plurima per alia pensa litterata juvenilium horum studiorum cursum quidem interceptum esse, nec emortuum tamen amorem*, restitutâ Patriâ a. 1814 palam declarantem audimus (1). Quem ipsum amorem torpidum non esse nec infructuosum, omni hoc tempore re et factis comprobavit. Nam, et alibi alia scriptis mandans et periodicis in operibus librorum censum agens, nullam facile neglexit opportunitatem nostrae linguae ac singulorum ejus vocabulorum haud paucorum indolem illustrandi, rectam scriptionem tuendi, perversam notandi. Ne de soloecismis dicam atque aliunde male inculcatis locutionibus, quibus nullo jure nec necessitate locupletissimam contaminari linguam quam aegre ferret, saepe graviter declaravit. Profecto vix exitum inveniat oratio, si, vel in uno *Censore Censorum* quam multa et quam exquisita hujusmodi monita prodiderit, enumerare velim atque indicare (2).

Verum omnino memorabile est, quo propius ad stadii metam accedebat, eo majora hoc in Litterarum genere eum et egisse et peregisse. Quare huc quoque *Tullianum* illud applicare licet: *Actionum genera plura, ut obscurentur etiam minora majoribus* (3). Omnia enim, quibus adhuc has sibi Litteras devinxerat, merita laudibus obruta sunt immortalibus, quas sibi in posteritatis memoriam comparavit, et *Secretis Secretorum* editis et, quod *Fratri* Gerardo tribuitur, opere *de Universo*. Sed utrumque tam diu eum tenuit occupatum, ut neutrius comme-

---

tiam »*neminem fuisse qui sequeretur, nec quemquam tamen qui refutaret*," dixit Senex, in *annot. ad* Ulphilae *versionem ep. ad Philem. s.* 11—23. Cff. quae dixit in annot. ad *Secreta Secrett.* p. 190; ubi de *genere* agit nostrae vocis, quae *Necessitatem* significat (*Nood*). Tandem vidd. dicta *ibid.* p. 511.

(1) In orat. postmodum accuratius memorandâ, *Cens. Censs.* VII. 165 sqq. *miscell.*

(2) Ne nulla plane afferam exempla, adeatur *Cens. Censs.* I. 143. 513. XVI. 474. 475. 511. 633. 634 *recenss.* Atque ex iis, quae per binos hos Tomos sparsa reperiuntur, de caeteris judicetur.

(3) Vid. Cic. *de Fin.* L. V. Cap. 21.

moratio a vitae descriptione abesse posse videretur. Quocirca de utroque supra diximus, nisi pro rerum dignitate, at pro instituti nostri brevitate (1). Nunc autem reliqua paucis attingamus, quae breviorem quidem operam habuerunt, nec minorem tamen praestantiam.

Quo tempore igitur, quod prius dixi, opus editioni parabat, Bilderdicii inter chartas forte fortunâ bina fragmenta reperit inedita non contemnendae alicujus *Fabulae equestris*, quam *Pastoralem* etiam dicere possis, vetustâ Nederlandorum linguâ, fortasse jam Seculo XIII, certe non post Seculum XV, compositae ac scripto mandatae. Quae ejusmodi esse judicat, ut in lucem evocanda sint. Quocirca, a. 1839, et ipsa illa fragmenta edenda curavit, et singulis eorum paginis brevissimam subjecit annotationem, et in opusculi fine uberiorem nonnullorum locorum explicationem adjecit. His autem et scriptis et editis, inventorum fragmentorum laudem tribuendam esse comperit Abrahamo de Vries, Harlemensi Teleiobaptistarum Antistiti, Viro nostris de Litteris praeclare merito. Cujus igitur humanitate cum ipsum excutere contigisset, quem descripserat Bilderdicius, Codicem, animadversionum mantissam adjecit, ubi in plurium locorum lectionem denuo inquiritur (2).

---

(1) Vid. supra, p. 106 et p. 132.

Haec in Opp. *Societatis Litt. Ned. Leid.* edita esse vidimus. Verum diu antea, in prioribus ejusdem Soc. Opp., doctam relationem reponendam curaverat *de fragmentis deperditorum Codicum binorum*, quorum alter Maerlantii *Speculum Hist.* continuerat, alter Aemilii Stokii *Chronicon rhytmicum*. Vid. *Verhandd. der Leidsche Maatsch.* etc. II. 2. 1818. Atque ipse haec, quae descripsit, fragmenta invenisse videtur. Quod monente accepi doct. Bodelio Nyenhusio.

(2) Editum est opusculum in optimae frugis opere: A. de Jager, *taalkundig Magazijn*, T. III. P. 2. pag. 161—222; atque ita inscribitur: *Twee fragmenten, waarschijnelijk van eenen Ridder-roman, of van eene Pastourelle; met eene Inl. en eenige aanteekeningen, door* J. Cl. — Postmodum, *ibid.* P. III. p. 313—328, edidit: *Opheldering en bijvoegsel tot de twee medegedeelde Oud-Nederduitsche fragmenten.*

Brevi post vulgata *Secreta Secretorum* non mediocriter denuo Litteraturam locupletavit Nederlandicam, quaternis editis disputationibus *de Psalmis, Carolingiorum tempore in vetustam linguam Germanicam Inferiorem conversis.* His de Psalmis, qui olim Lipsio jam quodammodo innotuerant, quorum vero fragmenta hocce demum Seculo apud Germanos ediderat Hagenius, apud nostrates tres deinceps disputationes evulgavit Annaeus Ypejus, Vir harum etiam Litterarum in paucis peritus. Nec tamen, morte interceptus, inchoatum absolvere potuit pensum. Hoc igitur continuandum sibi suscepit Clarissius; et Collegae, quem Harderovici habuerat, carissimi memoriae id tribuens et vero ipsius pretio monumenti. Ypeji autem ratio cum in J. H. Halbertsmae, Judicis intelligentissimi, censuram incurrisset; paullo diversam hanc sibi viam sequendam duxit de quo dicimus Philologus. Undecim deinceps Psalmorum (LXIII—LXXIII) ipsum textum ex Hagenii recensione reposuit, singulisque locis et interpretationem subjecit, quae verbum pro verbo reddebat, et uberiorem annotationem, quae non ad hos tantum Psalmos, sed item ad alia haud pauca vetustae linguae Germanicae ac Nederlandicae monumenta referebatur. His autem eâ, quam diximus, ratione illustratis Carminibus *Introitum* partim praemisit, partim subjecit; ubi et alia agit et de monumenti Codicibus disputat, et hujus imprimis verba atque orationem accuratissime cum hodiernâ nostrâ linguâ comparat. Cujus comparationis hic exitus est, ut admodum locupletem fuisse ac copiosam vetustam illam linguam appareat; cujus dolendum sit permultas a posteris neglectas esse voces locutionesque. Uno verbo ut dicam; tam diligenter ac tam docte omnem hanc rem egit ut magis, quam quisquam alius, Philologiae nostrae fructuosam reddidisse monumenti hujus *Carolingiani* cognitionem censendus sit (1).

---

(1) Operis haec inscriptio est Germanica: *Niederdeutsche Psalmen aus der Karolinger Zeit, zum ersten Mal herausgegeben durch* F. H. von der Hagen;

Sic igitur vetustissimis his Psalmis illustrandis, et aliarum affinium et *Gothicae* imprimis linguae peritum se demonstravit. Verum jam antea, a. 1835—1837, paratiorem etiam aliam atque uberiorem opportunitatem sibi quaesiverat hanc non tam ostendendi peritiam, quam in universae Philologiae Nederlandicae frugem atque emolumentum convertendi. In commemorando enim brevissimo quidem, sed eodem fortasse omnium illustrissimo hujus, de quo dicimus, eruditionis monumento desinimus. Duabus igitur deinceps emissis commentationibus, memorabile aliquod Ulphilae *Versionis* fragmentum, Paullinae *ad Philemonem epistolae* tredecim sectiones (s. 11—23) complexum, et novâ editione Gothicâ frequentavit, et vernacule convertit, et suo, quem cognitum habemus, more explicuit (1). — Cui quidem

Bresl. 1816. Psalmos continet LIII. 7—LXXIII. Major enim Codicis pars, quae caeteros continuerat Psalmos, sed post Lipsii tempora periisse videtur, jam desiderabatur. In fragmentorum notitiam ab A. de Jager adductus, Ypejus Psalmos LIII. 7—LXII, breviter a se illustratos, reposuit in memorato illius op. *Taalk. Magaz.* Tom. I. P. 1. p. 65 sqq.; *ibid.* P. 4. p. 331 sqq.; tandem T. III. P. 2. p. 145 sqq. Ad quem postremum locum videndus Jagerus, qui Ypejum quodammodo certe ab acutis tuetur Halbertsmae objectionibus, quas hic publicârat in: *Overijsselsche Alman. voor Oudheid en Letteren*, anni 1838. Atque illam ad commentationem ipse etiam nonnulla jam monuerat Clarissius. Qui, deinceps continuatis pensis, sic sua inscripsit, quae a. 1840—1842 edita sunt, quaterna Pericula: *Vierde — zevende Proeve van Taalkunde uit een, in het oud Nederduitsch geschreven, werk van den Karolingischen tijd, door* J. Cl.; *ten vervolge op de drie Proeven door wijlen den Hoogl.* A. Ypey. Quae laudato leguntur in Jageri opere: Tom. III. P. 4. p. 521—620. Tom. IV. P. 2. p. 175—268. P. 3. p. 373—432. P. 4. p. 433—512. *Introitûs* prior pars in initio, altera in fine opusculi invenitur; quod omnium, quos prodiderat Hagenius, necdum illustrârat Ypejus, Psalmorum editionem habet atque illustrationem. — Caeterum digna est quae cum dictis conferatur narratio cl. H. Beyermanni, in relatione inscriptâ: *Het Instituut, of verslagen en mededeelingen van het Koninkl. Ned. Inst. over d. j.* 1841, N°. 1, p. 50—52.

(1) Utraque exstat commentatio laud. in opere: De Jager, *taalk. Mag.* Tom. II. P. 1. p. 1—24 et P. 4. p. 359—378.

explicationi id praecipuum se proposuisse consilium affirmat, ut *Gothicae* linguae quanta sit affinitatis conjunctio demonstraret, et cum caeteris *Germanicae stirpis* linguis ac dialectis et cum nostrâ singulatim *Batavâ*. Quod sane consilium plene consecutus esse censendus est. Quin ita hoc in penso versatus est, ut praeclaris illis Viris, qui nostrâ hâc aetate de Ulphilâ, post immortalem ejus Sospitatorem Angelum Majum, bene meruerunt, Clarissii etiam nomen procul dubio sit adscribendum.

Jam omnia, quae ad antiqua monumenta *Germanica, Nederlandica, Gothica* vel edenda vel illustranda praestitit ac peregit, uno quantumpote obtutu tibi, Lector litterate! repraesenta. Quam multas easque quam diversas et quam remotas linguas ac dialectos cum illis contulerit, in omnes partes oculis conversis perlustra ac perpende. Nec profecto, his omnibus recensitis, mecum profiteri dubitabis: *Theologus* hic idem *Philologus* fuit, quem nihil quidquam fugeret ac lateret, quod ad *Batavorum* et *Germanorum* linguam illustrandam, atque ad utriusque stirpes radicesque occultissimas ex temporum caligine evocandas, quâcunque tandem ratione conducere ac viam parare posset (1).

Verum non eruditum tantum *Grammaticum* atque antiquorum scriptorum *Editorem* nostris his Litteris se praestitit Vir ele-

---

(1) Cum antiquâ Nederlandorum linguâ cum eorumque versus componendi ratione quam raram sibi contraxisset familiaritatem, hoc uno certe ex multis exemplo comprobare juvat. Aliquot ante annos de fragmenti cujusdam, illo quem dixi sermone consignati, origine atque auctoritate quaerebatur, essetne Maerlantianum necne. Quâ de quaestione Clarissii judicium exquirunt Viri docti. Quod ille judicium ita declarare, ut, quae ferenda videbatur sententia, eam pluribus complecteretur *versiculis*, aevi Maerlantiani linguam, metrum, universam dicendi rationem tam accurate referentibus, ut auctorem nescienti lectori longe probabilius videri deberet Maerlantii hunc aequalem fuisse, quam nostrum. Hoc nuperrime mihi accurate narrantem audivi Kistium, clarissimum atque humanissimum Leidensium Theologum; qui Amici nostri scidulam, memoratos continentem versiculos, suis in chartis repositam habet.

gantissimus, sed *Poëtam* etiam minime contemnendum. Quamquam *illam* laudem, quo propius ad metam accedebat, eo magis cumulavit; *hanc* primo tantum vitae stadio quaesivit. Hâc enim parte Bezae et Relandi, item aequalium Ravii et Palmii, aliorumque haud paucorum clari nominis Philologorum ac Theologorum ingenium retulit, quod, sicuti horum, ita ipsius adolescentiam ac juventutem Poëseos ceperunt deliciae, maturiorem vero aetatem severiora hinc studia avocârunt. Nostrae quidem Poëseos legibus accurate perpendendis quam mature animum adjecerit, commentatio ostendit, a. 1791, in laudato jam reposita *Ingenii Thesauro,* quam non arroganter profecto *Conjecturam* vocavit *de versuum apud Veteres ratione.* Ubi *Veteres* intelligit Maerlantium eique aequales scriptores Nederlandicos. Quos igitur *metricae syllabarum dimensionis* non plane ignorantes fuisse, illius imprimis, quem dixi, plures versus scandendo et ad rhytmi pedes revocando, probare conatur. Ubi quodammodo elegantissimum refutat, qui secus statuerat, Huizingam Bakkerum. Quâ de quaestione utcunque statueris, approbabis certe id aetatis in adolescente et rei metricae peritiam et Critices amorem et, quae incerta pro certis non venditat, animi modestiam. Sed haec, ne postea ad hujus *Fasciculi* mentionem nobis redeundum foret, breviter monuisse suffecerit. De *Carminibus* enim videndum.

Eodem igitur in scriptorum miscellaneorum Manipulo lepidum poëma reperitur, quod, ut alia, quae eodem fere tempore composuit, subjecta notat littera C.; nec ipsius nomini tribuere dubito. Poëma dico, puellis inscriptum Rheno-Trajectinis earumque laudes celebrans, quod et ingenii alacritatem habet et dictionis poëticae suavitatem, eumque spirat virtutis amorem, cujus ne castissimum quidem pudeat ac severissimum *Catonem* (1).

---

(1) Commentatio *de Veterum metro* reperitur in Fasc. *Schatkamer van Vernuft en Smaak*, p. 163—174; poëma, quod laudavimus, *ibidem*, p. 298—301. Atque ejusdem libri p. 201—212 satirica exstat prosâ oratione commentatio *de librorum titulis atque inscriptionibus;* quae scite ac festive eorum stultitiam perstringit, qui grandiloquos scriptis titulos praefigunt, atque ita

Verum non minores laudes alia habent, quae juvenilis illius aetas peperit, carmina, de quibus jam nobis videndum. Eodem enim anno, quo *Trajecti ad Rhenum* ille, quem dixi, Fasciculus, *Lugduni Batavorum* paullo brevior emissus est ejusdem generis miscellaneorum Manipulus, qui inscribitur: *Poësis et Prosa, ab Artis Ardore profecta.* Hoc ipso enim nomine elegantiorum Juvenum, quos *Poëtices* amor conjunxerat, sodalitium aliquod appellabatur. Atque in illo, quem nominavimus, hujus Societatis scriptorum Manipulo sena inveniuntur diversi generis carmina, eandem, quam modo antea dixi, Clarissiani nominis notam habentia. Haec enim ab eo profecta esse poëmata, ne quis dubitet, certissimum auctorem habeo Teissedrium L'Angium, tunc eidem adscriptum sodalitio, nunc Senem meritis clarum. — Quod igitur horum Clarissii carminum *primum* est, *Jochebedem* loquentem informat, *Moisis matrem*, ejusque, filiolum in cistulam condere coactae, animum atque aegritudinem nativis pingere videtur coloribus. — *Alterum* id agit ut *Virtutis* studiose laudet pulcritudinem; a cujus priscis legibus jam descivisse cives acerbe conqueritur. — *Quartum Juvenalis*, cujus satiras amabat adolescens, hoc praescripto dicto notatur:

»*Nunquam aliud Natura, aliud Sapientia dicit.*"

Atque ita, quasi recens a quinto Ciceronis *de Finibus* libro legendo ad citharam pulsandam accessisset auctor, *veteris Academiae* ac *Peripateticorum* ratione, *Sapientiae* studioso *Naturam* sequendam esse praecipit. — *Reliqua tria* quodammodo ad Poësin *amatoriam*, partim etiam ad *satiricam* referas, sed castam illam ac pudicam. Nec enim quidquam habet horum carminum ullum, quod Amici vel ingenio vel arte vel nomine

---

lectoribus se venditant. Quae quidem commentatio nullo externo ejus manum ostendit indicio, sed tot internis, ut *auctorem* eum dicere non verear. Et, si cuiquam ejusmodi arrogantiam ridere licebat, huic profecto licuit, cujus libri plerique omnes *inscriptionum*, sive, ut vulgo vocant, *titulorum* brevitate cernuntur ac simplicitate.

indignum jure censeas. Praesertim si perpendas, quâ aetate poëticis his lusibus componendis animum, studiis intentum gravioribus, relaxaverit ac refecerit (1).

Sed ne hâc quidem aetatis excusatione *Carminum Fasciculus* indiget, quem non diu post, quo ipso anno *Dornam* migravit, non dissimulato nomine edendum curavit (2). Centenis fere paginis novem carmina continet libellus, quorum alia *rhytmica* sunt, alia, veterum more, quem recentissime secutus erat Bellamius, nullam rhytmi rationem habent. Posteriore hoc in genere *Hymnus* est *ad Deum,* qui librum aperienti *primus* offertur, atque illius adeo *πρόσωπον τηλαυγὲς* dici potest: nam et universum carmen magnam a sensuum sublimitate commendationem habet, et postremae imprimis strophae hanc cumulare videntur laudem. — *Ultimum* carmen (neque enim singula ordine recensere vacat) Schilleri, Poëtae Germani, nomini inscriptum est, cujus sublimia dicta ac philosopha huicce Juveni non arridere non poterant. Illius igitur laudes celebrans, feliciter *Horatianam* imitatur oden: *Pindarum quisquis studet aemulari.* Alia sunt poëmata, quae vel *heroum fortitudinem* celebrent, vel *beneficentiae* pulcritudinem, vel *pacis* suavitatem. Est quod *luxûs*, Batavos enervantis, turpitudinem exagitat; aliud quod Helmckio, quem memoravi, Poëtae inscriptum, *injustitiae*

(1) Fasciculus, qui paginis 179 plura poëtica continet, unâ alterâque ad finem adjectâ prosae orationis meditatione, vernacule inscribitur: *Poëzij en Proza van Kunst-IJver;* L. B. 1791. Ubi Praeceptoris carmina inveniuntur: p. 16—21. 37—45. 114—119. 122—128. 131—138; tandem p. 142—146. Alia sunt, notata L'., quae L'Angium auctorem habere videntur. Quamquam hâc quidem de re me non monuit Vir modestissimus. Alia, notata H., a laudato profecta videntur Helmckio; — pauca alia ab S. P. van der Meulen, Poëtâ praematurâ morte rapto, de quo vid. Clar. ad *comm. de* Ravio, *Poëta*, p. 56 ed. separ.

(2) Brevissima est libelli inscriptio: *Gedichten van* J. Cl.; *Traj. ad Rh.* 1792. 8. Nam quod in exteriore involucro notatur a. 1793, error esse videtur. — In Praeceptoris librorum catalogo, jam nunc *rarius* inveniri dicitur Fasciculus.

vituperationem cum recte temperatae *libertatis* laudibus apte copulat. Necdum duo legenda commendavi, genere plane disparia, praestantiâ fere paria. Alterum *Catonis Uticensis,* quem ipsum loquentem audimus, sibi mortem consciscere volentis, animum nobis sensaque depingit. — *Alterum*, quod plane ad musicas rationes compositum est (*Cantate* vulgo vocant) ac cantantium choris distinctum, *Matutinae horae,* quâ, Sole oriente, noctis tenebrae dispelluntur, delicias veluti oculis nostris repraesentat. Quocum carmine Alphenii compares velim *Coelum stelliferum.*

In *Epilogo* lectores valere jubet *Poëta, quando alia posthâc carmina edere non cogitet.* Quod quidem consilium invito captum esse *Apolline* puto. Pleraque enim, quae peperit, poëmata omnes eas habent praestantiae dotes, quibus veri Poëtae versus ab inficeti versificatoris ineptiis facile dignoscuntur. Ac longe dignior fuisset, cujus nomen in *Poëtarum Nederlandicorum Lexico* reponeretur, quam haud pauci alii, quorum id tribuit memoriae Witsenius Geysbecius, tribuerunt alii in hoc genere Horrearii.

Etsi autem jam citharam se ponere velle significârat Poëta, nondum tamen a suâ potuit impetrare Musâ, ut in perpetuum ei valedicere permitteret. Biennio enim post Ockersius aliique ad edendas sibi redeundum putârunt *Symbolas,* quibus ante decennium, socio Bellamio, Artes elegantiores ac Poësin imprimis ornare inceperant. Nec frustra Clarissium rogant ut operae continuandae socium se tribuat. Sic enim, a. 1794, *tertia* harum *Symbolarum Particula* edita est, ut *paginarum*, quas continebat, *tertia pars* et quod excurrebat auctorem haberet novum, quem dicimus, sodalem. Atque in iis, quae contulit, aliquid certe *Poëmatum* fuisse, certo mihi constitit ipsius testimonio. Quod tamen quale fuerit me accurate narrare non posse doleo (1).

---

(1) Pulcerrimum significo opusculum, supra jam p. 37 memoratum, quod vernacule dicitur: *Proeven voor het Verstand, den Smaak en het Hart.* Cujus

Quominus plures elegantissimi hujus operis emitterentur Fasciculi et temporum iniquitas et auctorum fata obstiterunt. — Nec postea, quoad novi, *Carmina* publici juris fecit Praeceptor. Si quidem a *poëticâ* discesseris *Meditatione*, cujus cum amicis communicandae pio auctori, a. 1800, ansam dedit solennium *dies Supplicationum* (1). Nam diu post Prudentii versus nonnullos eum imitatione expressisse, vix est quod moneam (2).

Sed quem, fortasse nimis tenuiter, non contemnendum dixi *Poëtam*, eundem in praeclaris Batavorum *Oratoribus* censere non dubito. Ubi nondum ex consulto *sacro* de Oratore dico, in templis versante, de quo postea nobis agendum erit; sed *litterato* de Oratore, patriâ linguâ ad *doctas* aut doctrinae amantes *Societates* verba faciente, et, quae earum in conventibus privatim dixerat, postea typorum operis evulgante. Hoc enim officium tam multas peperit atque in lucem evocavit illius orationes, ut, si in singulares coactae *Fasciculos* ederentur, omnes earum copiam mirarentur ac varietatem (3). Quod ne temere affirmâsse

---

priores binas Particulas, a. 1784 editas, vulgo soli tribui Bellamio, saepe summo jure conquesti sunt Ockersius et Clarissius; quorum *ille* et alibi vid. et in *Cens. Censs.* IV. 265 seqq., *hic* in *annot. ad commentationem de* S. F. J. Ravio *Poëta*, ed. separ. p. 47 sqq. Ab hoc imprimis multi, qui de praeclaro hoc opusculo sparsi erant, errores accurate confutantur. Iterum illud editum est *Roterod.* 1825. Nam quod priores binae Particulae nonnullis cum additamentis *Dordr. a.* 1790 emissae sunt; plane furtiva haec fuit editio, quam constanter respuerunt auctores.

(1) Ex librorum ejus auctione pium Carmen mihi comparavi, quod in *catalogo* ejus nomini tributum videram, nec illo indignum censeo. Duodeviginti strophas habet diciturque: *Dichtgedachten ter gelegenheid van den aanstaanden Biddag.* In fine Typographi nomen et annus 1800 notatur. Nec tamen in vulgus editum esse puto.

(2) Vid. *altera de* Cypriano *oratio*, postea a nobis memoranda.

(3) Ante hos jam triginta et quod excurrit annos, publice a Praeceptore petii ut eâ, quam dixi, ratione plerasque suas ab oblivione vindicandas curaret orationes. Vid. qualiscunque commentatio *de Patriae*, quae tunc erat,

videar, in memoriam vobis revocetis quaeso quae, de bene meritis aequalibus haud paucis, copiose dixit. Quas vero alibi disertius memorabimus laudationes. Tum verba facientem audite *de Poëseos vi mechanicâ* (1); — *de Fabulâ ejusque ad erudiendum populum utilitate* (2); — *de* Moise *Poëta* (3); — *de* Paullinae *ad Philemonem epistolae ratione aestheticâ* (4). Nec eas negligite orationes, quae primum quidem sacris usibus inservierant, postmodum vero *Ephemeridum* lectoribus ex parte traditae sunt. Veluti *de Sacrorum Instauratoribus, publicam docendi rationem emendantibus; — item de fundatâ Academiâ Lugduno-Batavâ* (5). Neque ad diversum genus, quae *de Psalmo* XXIII tradita leguntur, referenda videntur (6). Gravissimas

---

cum Belgio conjunctione in Litterarum nostrarum emolumentum convertendâ; quae, a. 1818, in *Cens. Censs. miscell.* reposita est. Cui vero desiderio quod morem non gessit Vir optimus, non ipsius voluntas obstitit, sed Bibliopolarum jura, de quorum iniquâ applicatione, et alibi et in vitâ Ockersii, conquestus est.

(1) Vidd. *Cens. Censs. miscellanea,* XI. 353. Nam vix dubito quin illi lectu dignissima oratio tribuenda sit. Nec dissentire videtur ven. J. H. Oosterdijk; cujus Viri humanissimi monita haec persequenti mihi non raro usu venerunt.

(2) *Ibidem,* VII. 233. Hanc *de Fabulâ* orationem plerisque, quas habuerat atque ediderat, praeferendam putabat auctor. Quod me monuit Itersonius.

(3) *Ibidem,* VIII. 397. Seorsim etiam edita esse videtur.

(4) *Ibidem,* V. 785.

(5) *Eodem in opere,* X. 445 et XV. 285. Utrumque *orationis sacrae* fragmentum esse videtur.

(6) *Ibidem,* XIV. 5.

Aliae etiam haud paucae reperiuntur in *Ephemeridum* patriarum *Miscellaneis* aliisque in operibus periodicis Clarissii commentationes, quas *sacris* ex orationibus exstitisse aut ex iis excerptas esse, vel certum vel probabile est. Earum aliae diserte ei tribuuntur; aliae litteras C. aut Cl. nominis notam habent; aliis tam manifesta auctoris vestigia impressa sunt, ut cujus ingenio debeantur vix dubitare possis. Quâ in re, quoad plerasque, diserte assentientem habeo vel Bodelium Nyenhusium vel Oosterdicium, nec raro utrumque. Utrique enim Viro litteratissimo et hîc et alibi multa debuit hoc opusculum, multa debebunt lectores, qui magni Theologi ejusdemque Oratoris minora etiam scripta, late dispersa illa, cognoscere cupiunt.

Atque hâc datâ opportunitate, ne forte postea negligam, non omnes

quidem orationes et de Cypriano et de *sancto* Bernardo *Claraevallensi* alibi attingam. Sed perpendere juvabit (nam operae pretium est), quam commode varias in partes stilum converterit,

---

quidem, sed plures tamen Praeceptoris commentationes, quae eam, quam dixi, habuisse videntur originem, ac memoratis inveniuntur in operibus, brevissime recensere atque indicare juvat. En igitur tabellam.

Meditatio de *ep. ad Coloss.* III. 1—4 in memorato legitur *Cens. Censs.*, XI. 391.

De *Psalmo* CIII. 13 commentatio exstat *ibidem*, XVII. 57.

Comment. de *Genes.* IV. 3—15, *ibidem*, XXI. 281, si, ex probabili Bodelii Nyenhusii conjecturâ, Clarissiana est, etiam ipsa ex templis repetenda videtur.

Comment. de *Joann.* XVIII. 6, *ejusdem Ephemeridis* II. 336, breve aliquod videtur orationis sacrae fragmentum. De auctore non dissentit Oosterdicius.

Meditatio de *Marci Euang.* XV. 22—28, *ibidem*, X. 99. Etsi non omnia, pleraque tamen sine dubio sacrâ ex orat. ducta sunt.

Disquisitio *de iis*, *quae* Christi *in perpessionibus nobis imitanda sunt*, ad locum 1 *Petri* II. 21, in *Letterkundig Magazijn*, *ad a.* 1823, p. 45—64.

De *Psalmo* CXIX. 52, *eodem in opere*, *ad a.* 1824, p. 141—156 [Diserte ab auctore dicitur *oratio sacra*, a. 1810 habita].

Laus charitatis, ad locum 1 *Corinth.* XIII. XIV. 1ᵃ, *eodem in op. ad a.* 1827, p. 453—472.

Verus Patriae amor, Christi *exemplo spectatus*, *ibidem*, *ad a.* 1830, p. 438—447.

Pars orationis s. de 2 *Corinth.* V. 7, in op. J. H. Krom, *nieuw Christelijk Magazijn*, I. 292—312.

De *Psalmo* XXXIX, *eodem in opere*, II. 281—301.

De Christo *bonam edente professionem*, ad locum 1 *Timoth.* VI. 13ᵇ, *eodem in op.* III. 277—303. [Clarissii esse hanc disputationem certum est; utrum sacrâ ex cathedrâ repetenda, fortasse multi, propter haud paucos laudatos scriptores, dubitabunt].

De iis, *quae temporibus angustis ac periculosis bona sunt*, ad locum *Thren.* III. 26. Or. s. quae reperitur in *Sylloge Oratt. s.*, *Arnhemiae* 1846, *ad propagandam cognitionem euang.* caet., editâ.

Sed quando sponte fere eam in viam deducti sumus, ut *sacras* Amici *conciones* memoraremus, quas periodicis inserendas curavit operibus; eodem hoc loco duas ejusdem generis orationes laudare juvat, in aliorum proditas *diversi generis Fasciculis*. Huc igitur referantur

et quam copiose ea tractare solitus sit, quae arida videri poterant ac jejuna aut minus certe frugifera, argumenta. Audiatis igitur vel de *taedio* dicentem, vel de *applausu*, vel de *politâ cultâque vivendi ratione* (1). Orationem quidem, supra jam a nobis memoratam, quâ habitâ *Societatis pro salute publicâ Sectioni Enchusanae* praeivit, tertium suum celebranti festum anniversarium; hanc igitur nec ego legere potui, nec fortasse vestrum plerisque legere continget (2). Verum eo impensius elegantissimam *linguae Nederlandicae laudationem* ac gravissimam *ad ejus studium adhortationem* mox omnibus cognoscendam commendabo (3). Nec minus orationem legere juvabit geologicam de *antiquissimis, quas terra suscepit, conversionibus* (4). Alia, quae hic memorari possent, alibi a nobis laudata reperientur.

Sic igitur permultis patrio sermone consignatis ac publice propositis orationum exemplis, praeclarum sese Litteris Nederlandicis praestitit *Oratorem*. Talem, inquam, Oratorem, qui re et facto luculenter demonstraret, quam perspicue, quam copiose, quam ornate, quam graviter maxime diversa possit argumenta explicare, qui interiorem nostrâ cum linguâ contraxerit familiarita-

---

Concio *de Sacris instauratis*, ad locum *Ephes.* V. 8, in opere: B. Verwey, *derde Eeuwgetijde der Kerkhervorming;* Hagae, 1817 sq.

Concio *de piorum, in nullis non vitae adjunctis, felicitate*, ad locum *Psalm.* LXXIX. 1—19. Quae prima est in opere, a nobis edito: *Akademische, vaderlandsche Leerredenen; Traj. ad Rh.* 1831.

(1) Ternas has orationes supra, p. 155, accuratius laudavimus.

(2) Illius quidem supra, p. 44, mentionem feci; sed post conscriptam demum Praeceptoris *vitam*, illius habitae opportunitatem paullo accuratius commemoratam vidi. Vid. *catal. Biblioth.* a. 1847, p. 54. N°. 244. Ubi orationem etiam vel commentationem ipsi tributam vidi, mihi adhuc ignotam, *de gratulationibus*.

(3) *Cens. Cens.* VII. 165.

(4) *Ibidem*, invenitur XIII. p. 1—27. — Item separatim typis mandatam habeo Praeceptoris orationem *de montibus ignem evomentibus*. Quae vero ubi vulgata sit, nondum mihi constitit.

tem. Ac plures adeo ejus orationum loci eam mihi habere videntur eloquentiam ac pulcritudinem, quae dignos eos reddat qui in *libris Anthologicôn*, quales nonnulli componendos curârunt, honoris atque exempli caussâ reponantur (1).

Jam ultimum attingendum restat, quo nostris de Litteris bene meruisse Amicum monuimus. Constantem enim illis sese dedit strenuumque *Patronum*. Neque ullam facile, vel a *censendi* munere vel a *scribendi* officio oblatam, earum aut honorem tuendi aut studium commendandi neglexit opportunitatem. Quod si antea fecerat, ne funestâ quidem illâ tempestate omisit, ubi, in Francogalliae provinciam redactâ Patriâ, ab exterorum sermone noster ille brevi obrutum iri videbatur (2). Quâ eâdem vero Patriâ vixdum in libertatem vindicatâ, pulcherrimam habuit ediditque orationem, modo antea a nobis memoratam, quae in *linguae Nederlandicae laudibus* celebrandis fere tota versatur (3). Ubi hanc celebratissimis quibusque recentioris Europae linguis vel aequiparandam esse vel praeferendam adeo, gravissimis allatis argumentis demonstrat. Eam enim et *vetustissimam* esse probat, et a *locupletissimâ* vocabulorum locutionumque *copiâ* commendari, et mire *flexibilem* esse. Atque eadem habet, eodem docente Oratore, et *compositionis facilitatem*, et *accurate definitam* vocabulorum *significationem*, et enuntiationum cum *perspicuitatem* tum *brevitatem*. Accedit quod et eam vocum partem, cui notionum nervus inest (*realem* vocant *partem*) *acuendam* curat, et magnâ utitur vario modo vocabula *collocandi liberta-*

---

(1) Huc certe locum referre non dubito de *Infante* et *Matre* atque utriusque de *dignitate*; alterius de Alphenio *Poëtâ* orationis (*Roterod.* 1836) p. 45 infra usque ad p. 49. Nec locus negligatur de *Poëseos* et *Eloquentiae* conjunctione, Ravii exemplo spectatâ. V. or. de poëticis hujus laudibus, p. 36 seqq. *ed. separ.*

(2) Vid. *Oratt. s. Fasc.* II, a. 1810 autumno editus, *praef.* p. XIII.

(3) Ineunte a. 1814 et habita est oratio et, uti supra diximus, in *Cens. Censs.* VII. 165 seqq. reposita.

te. Nec sonorum *suavitate* plane carere censenda est. Tandem nostrae *gentis indoli* unice *convenit*, atque universâ dicendi ratione nativum illius refert pingitque characterem. Ecce tenuem orationis adumbrationem eloquentissimae, quam quo accuratius legeritis, eo magis patrii sermonis amori studioque conciliatos sentietis animos.

Verum ubi Nederlandiae Litterarum *Patronum* eum dixi, *Societatem* imprimis cogitavi, quae eas ipsas strenue tuendas curat, *Lugduno-Batavam;* ac quot et quam gravium ipsius consiliorum, triginta annorum spatio, particeps ac socius intimus fuerit Praeceptor mihi repraesentavi (1). Et doctrinae quidem monumenta, quibus Sodalitii locupletavit opera, in superioribus attigi. Verum multa alia mihi tabella cognoscenda dedit, ex ipsis ducta *Societatis Actibus*, quam summae Bodelii Nyenhusii benevolentiae acceptam refero. Quae quidem omnia, ne longus sim, ut mihi accurate tradita sunt, tibi reponere non possum. Nec tamen plane reticendum, Societatis consessus vel publici vel menstrui quam multa eaque quam varia ipsi debuerint. In iis enim frequentes commentationes prodidit vel animadversiones auditu dignissimas. Veluti cum principe Sodalitii consilio conjuncta erat disputatio *de antiquatis nonnullis, quae utiliter in usum revocari possint, patrii sermonis vocabulis* (2). Item alia

---

(1) Antea, a. 1804—1815, a Societatis, cujus jam adscriptus erat Sodalibus, domicilio remotus, illius in gratiam non ita multa facere potuerat.

(2) Plura vocabula Nederlandica vel antiquata in usum revocare studuit ipse, vel minus trita usurpavit, vel novâ compositione junxit. In quibus quae improbanda sint, quae ad locupletandam linguam utiliter conferenda, videant doctiores. En pauca ex permultis exempla: *Leesten*, quo de v. docta vid. annot. 12 ad *or. de* Wynperss.; — *Sage*, pro *fabulâ*, cujus voc. antiquitatem diserte defendit *Cens. Censs.* XVII. 486 *recenss.;* — *Hoog tillen*, quod, ut *graviori* etiam *stilo* congruum, defenditur, *Or.* 3 *de* Cypriano; — *Eerstheid;* — *Eerstouders;* — *Leemtevol;* — *Woordarm*, ubi opponitur *Zaakrijk;* — *Opwiegen*, sensu honorifico; — *Stompzin;* — *Morziek;* — *Verkunstelen;* — *Gemoedsverstijving;* — *onedele Slekken*, pro malae notae verbis; — *Heilvattend*, tanquam *fidei* epitheton; — *Afwendig*, pro *averso;* — *Inwerpselen*,

de vetustae interpretationis N. T. Moeso-Gothicae fragmentis iisque singulatim, quae Mediolani nuper invenerat Angelus Majus. — Nec vero alias desiderari passus est commentationes, quae, quo liberius in diversas Litterarum elegantiorum partes excurrebant, eo fortasse frequentiores allexerunt auditores. Quo in genere disputationes fuerunt de *cuneatâ scripturâ* (1) *monumentorum, Persepolis in ruderibus inventorum;* — de *Eloquentiae naturâ et pretio;* — de *Satirâ;* — de *animi muliebris culturâ* (2); aliae, quas alibi memoravimus.

Verum omnia recensere non possumus pensa, quae *Societatis* in gratiam, vel ipsâ mandante aliis aggregatus Sodalibus laudatissimis peregit, vel suâ sponte fausto successu solus suscepit. Quorum multa ad *Sodalitii* res domesticas curandas pertinebant; alia ad *Bibliothecam* ordinandam et locupletandam ejusque usum facilitandum; alia ad consessus frequentiores reddendos ac fructuosiores. Ac sicubi *Delegati* nominabantur, vel de libris oblatis commentationibusque, vel de Codicibus edendis judicia praeituri aut consilia daturi; horum Collegiis Amici nomen frequenter adscriptum vides, nec profecto frustra adscriptum. Paucis ut rem complectamur, certis ac saepe repetitis testimoniis quae diximus *Acta* demonstrant, Litteris Nederlandicis *Patronum* eum se dedisse *Fautoremque* non magis studiosum quam constantem (3).

---

pro *objectionibus*. — Alia nonnulla, quae usurpârat, verba minus usitata reprehendit Censor, in Ephem.: *Tijdschr. v. Kunsten en Wet., voor het Dep. der Zuiderzee*, ad a. 1812, p. 302.

(1) Germ. *Keilschrift*; Nederl. *Beitel-* of *Spijkerschrift*.

(2) Vernacule: *Losse gedachten over vrouwelijke verstandsoefening*. Quae legi possunt in Tydemanni et Kampenii *Mnemosyne*, X. 269—314.

(3) In permultis, quae ipsi mandata reperio, pensis bina haec prae caeteris me adverterunt. A. 1831 Delegatis adscriptus fuit, qui a Regis Administris officiose peterent ne *legum Codices*, de quibus revidendis tunc agebatur, praeter necessitatem per soloecismos atque exterorum barbarismos inquinari paterentur.

Alterum hoc. A. 1843 ipsi ac doct. Halbertsmae Codicem Hoeufftii aliquem excutiendum commiserunt sodales, de Francogalliae dialecto *Britannicâ inferiore* (vulgo: *Bas-Breton*) agentem.

Quem vero cum iisdem his Litteris et eximium se praestitisse *Grammaticum* monumentorumque vetustorum *Editorem* supra viderimus, et *Poëtam* minime contemnendum, et *Oratorem* eloquentem; Lectoribus judicandum relinquo, utrum alium quem ipsi noverint, aut ab Historicis laudatum audierint, vel *Theologum*, vel *Jureconsultum*, vel *Medicum*, vel aliarum doctrinarum cultorem, qui, cum his in Litteris vitae domicilium ponere non potuisset, tot tamen tantisque ac tam variis meritis officiisque eas sibi obstrinxerit (1).

II.

Etsi non talibus doctrinae monumentis, qualibus *patrias* Litteras, *classicam* locupletavit *Antiquitatem;* tamen de hâc ipsâ quoque optime meruisse censendus est. Cujus studia et *exemplo* et *praeceptis* et *cohortationibus* non mediocriter adjuvit incenditque. Sed de *exemplo*, quo Litteras Latinas Graecasque colendas commendavit, multa hic dicere non opus est. Satis superque enim dudum vidimus, quantum temporis, idque excellentissimis quibusque ducibus Praeceptoribus, his Litteris tribuerit adolescens. Tum, vel ineunte aetate vel maturâ, optimos quosque *Romanorum* scriptores (nam de *Graecis* dicendi nobis occasio recurret) accurate legit relegitque. Sed quid *optimos* voco? Nam cum haud paucis etiam sibi notitiam contrahendam putavit vulgo minus notis hujus populi scriptoribus; ne iis quidem exceptis, quorum vel major obscuritas vel sequior aetas a lectione plerosque deterret. Non mirum igitur rariora quoque, eaque vel exquisitiora vel obsoletiora, Latinae linguae verba ac loquendi genera sic eum in numerato habuisse, ut doctissimas de iis datâ opportunitate disputationes depromere posset. — Quod

---

(1) *Leidae* degens in *Societatis* etiam *Litterarum elegantiorum consessibus* non raro verba fecit. Quo ex illius more, alia ne memorem, commentatio exstitit, quam ludendo dixit auctor: *prolusionem seriam et jocosam de dicto:* Μηδὲν ἄγαν. Hanc quidem accurate scriptam esse typisque paratam, nec tamen impressam, me monuit Bod. Nyenh.

quam vere affirmaverim, ipsae commonstrant orationes caeteraque, quae eruditorum sermone consignavit, vel edita scripta vel inedita. Eorum enim dictionem modo ab optimis quibusque aureae aetatis exemplis colorem duxisse apparet, modo nescio quam ex minus limpidis aut minus certe pellucidis fontibus obscuritatem contraxisse. Quod ejusmodi est, ut Latinum ejus dicendi genus adeo non *indoctum* sit vocandum, ut potius *nimis doctum*. Atque ad Praeceptorem quodammodo applicare non dubito, quod olim de Tib. Hemsterhusio, aetatis suae Litteratorum facile principe, affirmavit Ruhnkenius (1). Qui, posteaquam Latinâ illius in oratione haud immerito multa bona laudârat: » *Una,*" inquit, *orationi facilitas deest, non comparanda* »*illa nisi saepe multumque scribendo, cujus rei facultatem raro* »*dabat Graecarum litterarum Professio.*" Haec quidem ille. Atqui Professio, cum *Romanarum* Litterarum studio intime juncta, si raram Hemsterhusio dabat *Latine* scribendi facultatem; quid de *Theologo* dicemus, cui innumera alia, quae tuto ignorare poterat Graecae linguae Professor, addiscenda erant ac percipienda? Cui praesertim quotidianum vernacule permulta dicendi ac scribendi officium imponeret muneris vitaeque ratio. Quae si, ut par est, perpenderimus, multo magis profecto tam bonam, quam diximus, Latinam ejus orationem esse mirabimur, quam alios nonnullos fuisse, qui hujus quidem facultatis palmam ipsi praeripere potuerint.

Verum non *exemplo* magis, quam *praeceptis* ac *cohortationibus* ea *classicae Antiquitatis* studia commendare atque incendere conabatur; quae si magis magisque obsolescant ac negligantur, nullae aliae, quae iis forte substituantur, exercitationes ac disciplinae, ac ne ipsa quidem nobilissima *Mathematice*, ingruentem barbariem a *Theologiâ*, nec antiquam noctem a *Protestantium Ecclesiâ* avertere poterunt ac declinare. Quod non meis

(1) In *Elogio* T. H., quod unâ cum Wyttenbachii *Vitâ* Ruhnk. edidit Bergmannus, p. 21.

magis verbis affirmo, quam Clarissii; qui, quo *Encyclopaediae* loco sapientissimis monitis ac praeceptis haec studia regere ac discipulis fructuosa reddere conatur, eodem ad ea naviter persequenda ita eos impellit stimulatque, ut, si forte aut ego aut condiscipulorum aliquis (quod absit!) ea recolere neglexerimus, in Praeceptorem certe nostrae socordiae culpam nullo jure conjicere possimus (1).

Sed quo testatior dictorum fides sit, et quo certius omnibus appareat, quid de quaestione, multorum hodie sermonibus celebratâ, Vir, rerum academicarum si quis alius peritus, judicandum putaverit; disputationem, quâ praemissâ, novo in opere periodico munus censorium ingressus est, summatim hîc reponere juvat.

»*In plerisque,*" inquit, »*Germanorum Academiis consuetudo* »*cum maxime recepta est, veri nominis eruditioni noxia admo-* »*dum et perniciosa, quâ fit ut* vernaculâ *ac* novitiâ *linguâ a* »*Professoribus pleraeque omnes artium doctrinae tradantur.* »*Unde quam multa exsistant incommoda, dictu incredibile est.* »*Per hunc ipsum enim morem stimulus, quo adhuc nostrarum* »*cives Academiarum in Litterarum Latinarum studium effica-* »*citer impelluntur, obtusus est et hebetatus. Hoc autem studium* »*nullius non subtilioris eruditionis principium esse ac fundamen-* »*tum, ecquis est qui ignoret? — Atque* [obsoleto Latine docendi »more] *ipsi adeo Professores ab eruditorum sermone colendo ita* »*desuescunt, ut, Latine scribendi aut loquendi necessitate forte* »*impositâ, ridiculum in modum iis aqua haerere deprehendatur.* »*Quod ipsum nuper nonnullis Viris doctis, ex* Germaniâ *in* »Rossiam *evocatis, usu venisse accepimus. Et vero, eodem hoc* »*Romanarum neglectu Litterarum, quam vehementer doctrinarum* »*propagatio atque incrementum intercluditur atque impeditur!* »*Quo enim tempore* Latine *ac* Graece *scribebant omnes, et a* Da- »nis *ac* Suecis *commode doceri poterat Patriarcha Constantino-*

(1) Vid. laud. *Encycl.* §. 26. 27.

»*politanus*, *et sine ullâ operae molestiâ* Francogallorum *et* An-»glorum *et* Germanorum *scripta legere nostrates. Nunc vero* »*diverso plane modo res comparatae sunt. Eruditorum enim* »*in Republicâ quid agatur scire juvat? Pluribus scripti linguis* »*tibi legendi sunt* Spectatores *et* Retrospicientes (1), Ephemeri-»des, Horrea, Promtuaria, *alia opera periodica, quorum mul-*»*titudine pleraeque jam inundantur doctrinae. Quae quidem* »*mala quo latius serpserint, eo magis reformidandum erit ne* »Latinarum *Scholae Litterarum paullatim abrogentur, aut cum* »*iis, quae novitias tradunt Litteras, inepte conflentur. Hâc igi-*»*tur morum inclinatione intolerandi doctrinarum cultoribus la-*»*bores imponuntur. Sed ex eâdem id etiam mali exsistit, quod* »*crudiores multae opiniones nec satis subactae conjecturae, quas* »*incogitantes multi expromunt atque evomunt, ad indoctos effe-*»*rantur ac propagentur, inconsideratâ legendi fame abreptos.* »*Hinc autem* Scepticismus *atque, ubi de Christi religione quae-*»*ritur,* Levitas indifferens, *nostrae hujus aetatis nota illa ac cha-*»*racter. Ea enim jam sibi tradita audiunt imperiti, ex quibus* »*praeter verborum sonos nihil admodum percipiant. Quae vero* »*ipsa, vulgo intelligentiores videri cupientes, ita amplectuntur, ut* »*gravissimas quasque spernant ac repudient doctrinas. Alii au-*»*tem non ita leves homines, doctiorum irretiti captionibus, ea,* »*quorum summum esse momentum censendum est, in dubium re-*»*vocare discunt. Quâ viâ ne tandem aliquando in tristissimam* »*adigantur desperationem timendum est*" (2).

Haec fere ille. Nam sententias, quam ipsissima verba conversa reponere malui. Nec mihi irascentur, confido, lectores, quod paullo longiorem iis legendam obtuli disputationem, quae non *elegantiorum Litterarum* magis, quàm *Religionis Virtutisque* caussam agit. Cum praesertim, et saepe alias et triginta post annis *Encyclopaediâ* editâ, horum similia monita repetenda

(1) Vulgo *Reviews*, *Revues*.
(2) Vid. *Cens. Censs.* I. 1 seqq. (*recenss.* a. 1806).

duxerit Vir constantissimus. Sit sane *Cassandrae* haec vox, cui non pauci irrideant novitiae suae sapientiae popularitate sibi placentes aequales. At audiant prudentiores utinam nepotes! — Verum haec *Θεοῦ ἐν γούνασι κεῖται*. Id quidem satis nobis constitit, classicae Antiquitatis studiis et *exemplo* et *praeceptis* et *cohortationibus* profuisse ac patrocinatum esse Amicum.

Jam de me paucula, si benevole concesseris. Superiora ubi chartae mandâram, aliquantisper a scribendo requiescere placuit. Nec tamen a Praeceptoris cogitatione animo averso, librorum armarium adeo; ubi tabulatum lustrare juvat, quo opera nonnulla reposita habebam, ad quae varia suos olim in usus adscripserat. Duo video *Lexica Hebraica*; quorum margines, alterius quidem juvenis, ut videtur, alterius maturiore usus aetate, doctâ locupletârat annotatione. Non *Hebraicae* tantum linguae peritia apparet, sed item *Arabicae*, cujus haud pauca verba cum illâ contulerat. Atque ita sponte eorum recordabar, quae nuper a Viro fide digno acceperam, ex divenditâ Clarissii Bibliothecâ *Lexici Arabici* (Willmetianum erat) exemplum se sibi comparâsse, quod *innumera* illius *annotata* haberet. Sed quid *Hebraica* haec et *Arabica* memoro? Ulphilanas enim lustrans, de quibus modo antea retuli, illius commentationes, haud raro ipsa etiam *Sanscritica* ad partes eum vocantem ac cum *Gothicis* apte et perite conferentem animadverti.

Atque haec jam satis probant non temere nec inconsiderate suas olim res egisse Academiae Gelricae Curatores, ubi, vacante Litterarum *Semiticarum* cathedrâ, huic potissimum insignem illarum partem docendam commiserunt (1). Verum non aliorum tantum testimonia, sed ipsa etiam rerum documenta certissima, quanta et quam varia haec quoque studia ejus operae debuerint, tibi attendenti facile probabunt. Testes advoco disputationes doctissimas,

---

(1) Vid. supra p. 63.

quas, aliorum ut plurimum opera judicans, modo de *Lexicographiâ* atque *Antiquitate Hebraicâ* prodidit, modo de *Arabum Scriptoribus* ac *Codicibus*, modo de Champollionii, quae *Aegyptiorum* linguam ac scripturam illustrant, disquisitionibus inventisque. Videte eum, ubi Hamakerum inter et Reuvensium, de monumentorum *Phoeniciorum* ac *Punicorum* vel ratione vel antiquitate amice disceptantes, judex atque arbiter sedet non magis modestus et humanus, quam peritus intelligensque (1). Eundem audite, laudatâ in *Encyclopaediâ,* de plerisque omnibus, quae vel majore vel minore jure *Orientales* sive *Semiticae* vocantur, linguis ac dialectis copiose disputantem, earum et nexum ac conjunctionem accurate definientem, et studia prudenter commendantem ac moderantem (2). Quae omnia si perpenderitis, apprime dignum eum fuisse videbitis qui cathedram, cui Professorem vicarium eum dederunt Harderoviceni, propriam ac perpetuam obtineret. Cum praesertim, a Scholae Schultensianae placitis profectus eaque universe probans, in his adeo non sccure acquiesceret, ut Gesenii etiam aliorumque recentiorum scripta diligenter consulere soleret, atque animo a partium studiis alieno comparare. Sed bene habet, quod raram rerum sermonumque *Orientalium* peritiam in sanctissimae caussae emolumentum convertendi frequentes dedit ea, a quâ se nunquam avocari passus est, Professio *theologica* atque *exegetica.* Verum de his infra suo loco.

---

(1) Vidd. relationes de opp. Scheidii ac Groenewoudii, Schachtii, Verschuirii, Palmii, Champollionii, aliorum, quas supra, p. 172 sqq., laudavimus. Add. relationes de scriptis Hamakeri, Reuvensii, Uilenbroekii, in *Cens. Cens.* XIV. 71. 117. XV. 370. 572, aliaeque passim eodem in op. censurae, ad idem Litterarum genus pertinentes.

(2) §. 28—30; ubi singulatim, p. 59. 60, exquisita disputatio notetur de *Berberorum* obscurâ admodum dialecto.

SEGMENTUM ALTERUM.

DE CLARISSIO HISTORICO AC PHILOSOPHO.

I.

Non vehementer mirabor equidem si nonnulli, hujus *Segmenti* cognitâ inscriptione, distributionis desiderent concinnitatem, cum nos, qui de Praeceptoris in *Philologiam* meritis modo singulatim egimus, eodem jam loco longe diversa ejus studia complexuri videamur. Enimvero et de *Historici* munere, hocce quidem in quo versamur loco, paucis monitis defungi poterimus, et haec ipsa cum ejus *Philosophiâ* arcte conjuncta sunt. Quod nemo in eam accipiat sententiam volo, quasi vel de Historiae dignitate minus honorifice judicârit, vel segnius in ejus studiis versatus sit. Neque enim facile Theologorum quisquam fuit, qui nulli non doctrinae, nulli non vitae humanae parti temporum ante actorum memoriam et cognitionem sapientiae monitricem adhibendam esse plenius perspiceret constantiusque doceret. Et vero in immensis illis *Historiae* cum civilis, tum litterariae agris quotusquisque tam inaccessus est ac tam occultus recessus, quem non peragrârint aut certe attigerint in omnes viarum partes conversi ejus pedes ac vestigia? Sed quamvis haec vere ac simpliciter a me dicta sint, tamen de universís illius studiis historicis hîc copiose monere, non opus est; quippe quae plerumque cum *Theologi* penso atque officio, in quo exsequendo

totus erat, conjunxerit, atque in *historicae* singulatim *Theologiae* emolumentum adhibuerit. Quocirca commodior de iis agendi locus infra nobis aderit.

Verum maximum praesidium, quae minus concinna videri possit, distributio in ipsius, de quo dicimus, Viri sententiâ habet, qui *in quarumvis doctrinarum studio conjungendam esse cognitionem historicam et philosopham* existimavit ac professus est. In cujus sententiae demonstratione versatam esse orationem, quâ habitâ a. 1822 regundae Academiae munus deposuit, paullo accuratius nos supra narrare meminimus (1). Et vero quod solenni illo die sibi probari profitebatur atque auditoribus persuadere conabatur; id eum nullo non tempore ubique sectantem videmus aliisque ut sequerentur commendantem. Ubicunque enim vel postulabat res vel ferebat, *Historiae* non dominam quidem, sed comitem ac ducem adjungit *Philosophiam*, quae nervos illi addat ejusque veritatem a fabularum nebulis sejungat ac secernat. Nec minus prudenter *Philosophiam* vicissim *Historiae* luce collustrandam curat, quo magis illa, in altâ veluti speculâ collocata ad eosque, qui ante nos vixerunt, iterum iterumque respiciens, eorum exemplis, vel bonis in sapientiae viam adducatur, vel malis a stultitiae deverticulis avocetur. Quod in eo sane exspectandum erat, qui et a *Theologo* potissimum maximi faciendos esse Historiae *pragmaticae* auctores gravissime docuit (2), et ita semper philosophatus est ut, etsi suus erat ac manebat, sapientissimorum tamen omnis aevi Virorum discipulum facile agnosceres.

Atque haec, generatim a nobis disputata, per ea singulatim comprobata videmus scripta non pauca, quae *hominum laudato-*

---

(1) Vid. supra p. 85.

(2) Vid. *Encycl.* §. 34. Atque *ibidem*, p. 77—138, copiosissima legatur, unde plurima discere poteris, disputatio de *Historiâ* plurimisque ipsius cum partibus tum subsidiis atque adjumentis.

rum memoriae tribuenda putavit. Haud paucorum enim in vario doctrinae genere clarorum Virorum vel vitam conscripsit, vel merita celebravit, vel res attigit. Verum ita hîc versatus est, ut non magis Narratoris fidem ac veracitatem, quam Philosophi subtilitatem atque acumen singulis chartarum paginis consignatum videas. Neque enim in exterioribus eorum, de quibus dicere instituit, rebus fatisque prodendis, Annalium imitatus jejunitatem, acquiescit; quamquam ne haec quidem spernens nec negligens. Verum in interiorem veluti hominem sese insinuans ac penetrans, non tantum quis fuerit quaerit ac describit; sed quomodo ac quibus gradibus ad illud escenderit, quod in ejus vitâ atque actionibus admirati sunt aequales aut posteri, praestantiae fastigium. Tum ea, quibus excelluit, merita non suâ tantum magnitudine fructibusque aestimat; sed, comparatione etiam cum aliorum hominum praestantium dotibus initâ, aequâ judicii lance ponderat atque illustrat. Atque his aliisque, ad hominum de quibus agebat diversitatem prudenter comparatis, viis ac rationibus non ea tantum, quae voluit, id est aliorum animos, facultates, merita, nobis luculenter explicuit; sed eâdem operâ, quod minime omnium voluit, *Philosophiae*, quâ suum ipse oculum acuerat, veluti coram intuendae nobis copiam fecit.

Verum ab universâ hâc descriptione ad singularia veniamus, atque in praecipua certe scripta, quibus excellentium virorum memoriam conservavit, obiter oculos convertamus; ne insignis haec vitae, quam egit, litteratae pars plane intacta a nobis relinquatur. Videte igitur quomodo, Wynperssii imaginem informans, universae *Philosophiae* et vim et praestantiam et modestam descripserit sapientiam (1). — *Philosophiam Naturalem* veluti vitâ donatam adspicere juvat? De Brugmansio quae breviter quidem, sed eleganter dixit attendite (2). — En tibi plenius descriptam Ockersii vitam; fata fortunaeque, quibus jactatus

(1) Libello supra, p. 21, accuratius laudato.

(2) Vid. supra, p. 90. 91.

est, conversiones accurate traduntur. Sed non minore curâ studii *anthropologici*, quo excelluit, ejus in animo ortus, progressus, exitus vides depictos (1). — Binos de industriâ laudavit *Poëtas*, in dispari genere praestantissimos, Ravium et Alphenium; quorum hic non adultae tantum aetatis hominibus cecinit, sed puellorum etiam in gratiam suavissima eademque utilissima cantica modulatus est. Hîc igitur princeps sibi videbat officium impositum facultatem spectandi ac judicandi *poëticam*, et duobus in hominibus diversam, et eâdem ex venâ varios cantus effundentem. Atque hujus quidem facultatis laudes universas oratorie praedicare quam facillimum erat. Sed affinia ac cognata bona dotesque suis veluti lineamentis notare ac subtiliter et lucide distinguere, id nescio utrum acrem sentiendi facultatem magis in judice requirat, an philosophum varia dignoscendi acumen. Quâ ex difficultate quam feliciter sese expedierit, et quam veram utriusque Poëtae imaginem informaverit cognovisse neminem poenitebit (2). — Quid quod subtilem hanc, quam semel iterumque attigimus, cogitandi et meditata distribuendi viam ac rationem ne paterni quidem animi moeror acerbissimus obruere potuit, ubi, *infandum*, ut ait, *renovare jussus dolorem*, de *Filio* dixit longe dilectissimo Theodoro Adriano. Hujus enim animus quomodo excultus sit, hujus doctrina, a quam tenuibus profecta initiis, ad qualem tandem maturitatem pervenerit ac magnitudinem, ita descripsit, ut ne Pictor quidem accuratius hominis vultum repraesentare possit, quam Filii ingenium Pater luctu depressissimus (3). — Sed ultimum etiam hoc in genere scriptum,

---

(1) Vid. supra, p. 68. — Laudationis enim, Clarissii et Tydemanni nomine scriptae, *illum* auctorem esse, *hic* humaniter me monuit.

Quod autem ibi narravimus, Ockersium, quo tempore ab ipso edi coeptus erat *Censor Censorum*, Amstelodami privatum vixisse; nemo brevius dicta ita velim accipiat, quasi illâ in urbe ad vitae finem usque habitârit. Postea enim aliquamdiu *Limmeniae*, in Hollandiae Septentr. pago, Sacris praefuit. Tandem Hagae, una cum Paulo Hemertio, *Beneficentiae Societati* fuit ab Actis.

(2) Orationes videantur supra, p. 23 et p. 30, memoratae.

(3) Vid. supra p. 113.

Palmii laudationem. attendamus. Nam quae postremis vitae diebus Endii memoriae tribuit, non nisi symbolae hae fuerunt, quas ad disertissimam conferret L'Angii narrationem. Quamquam hae ipsae symbolae pulcrum ac virtutis studiosum Familiaris animum ita pingunt, ut ad dicta confirmanda commode adhiberi possent (1). Verum haec quidem mittamus. Nec tamen animum advertere negligamus, quî, jamjam Academiae valedicturus, Collegam celebraverit, quo nostrâ quidem aetate clariorem nullum Oratorem Patria extulit. Quod sane Palmii laudandi consilium proprias aliquas, si quid video, Clarissio potissimum difficultates objiciebat. Quam dispar enim, in pari fortasse praestantiâ, (neque enim magnos temere judico homines) utriusque et ingenium erat et dicendi genus! In *illius* cum animo tum scriptis omnia mirifice ad popularem composita erant facilitatem atque elegantiam. *Hic* vero quodcunque cogitabat vel dicebat, parum abest quin dicam: quodcunque spirabat, subtile erat ac philosophum. Quae cum ita essent, quam ingeniose et quam prudenter hîc et caussae, quam susceperat, serviit, nec veros animi sensus dissimulavit, ab *amabili* potissimum Palmium laudans *simplicitate!* Haec ipsa enim fuit, quam maxime in eo admiratum esse Praeceptorem optime novi. Atque hanc tam acute definiit, tam copiose ad diversas litteratae Palmii vitae partes applicuit, ut penitus in Viri magni, quin maximi animum, sed a suo diversum admodum, eum sese insinuâsse omnibus appareret (2).

---

(1) V. p. 30 dicta. ;— Benevole me monente l'Angio, ea singulatim ad narrationem contulit Cl., quae leguntur (ed. sep.) p. 69—75. 83. 84—91.

(2) Vid. *Prologus, quo Scholas theologicas, praesertim apologeticas, a.* 1840 *ad* 1841 *habendas, auspicaturus*, Joannis Henr. v. d. Palm — *exemplum Auditoribus, futuris Theologis, ad imitandum proposuit* J. Cl.; L. B. 1841. 8. Jure laudatur hicce Prologus a *Cens. Censs.* XXXIV. 252. — Rarissimo in auctoris scriptis exemplo, nulla hoc opusculum ornat *annotatio*. Quamquam hujus profecto materia non deerat. Nonne est quasi hâc ipsâ abstinentiâ aut, si mavis, reticentiâ Viri, quem laudabat, sensui ac judicio quodammodo scriptionem accommodare voluerit? Hunc enim *annotandi* mo-

Sic igitur plurium memoriae consuluit aequalium ut, eorum indolem deformans moresque et praestantiam, philosophi notas ingenii dictis ubique imprimeret. Verum aliam etiam cum *Philosophiâ* conjunctionem parentalia haec scripta habere liquet. Multa enim vel ipsa continent, vel subjectâ addunt annotatione, monita acutissima, eaque frequenter exemplorum luce illustrata, quae quid in carminibus, quid in orationibus, quid universe elegantioribus in Litteris placeat et *pulcrum* sit et *sublime*, diserte doceant atque ostendant. Cujusmodi monita ad eam referenda esse disciplinam, quae hodie vulgo vocatur *Aesthetica*, hanc autem, cum in pulcritudinis ac sublimitatis atque universe in bonarum Artium principia inquirat, a *Philosophiâ* commode sejungi non posse, aut certe arctissimo cum illâ vinculo contineri, plerosque, ni fallor, consentientes habebo lectores (1). Sed utcunque doctrinarum fines ac cognationes describere placuerit; id quidem exploratum est et alia, quae proxime memoravimus, scripta et Alphenii imprimis Raviique laudationes plurimas continere optimae frugis animadversiones, quae ad *pulcri sensum* juvenum ingenuorum in pectoribus acuendum atque excolendum apprime comparatae sint (2).

Verum quod de aequalium laudationibus diximus, idem in non

---

rem, eum quidem de quo nunc quaerimus, adeo non secutum esse ut rideret potius, notum est. Cf. supra, p. 179.

(1) *Encycl.* §. 31, ita de *Aestheticâ* agit Praeceptor, ut ad *Philologiam* eam referat aut huic certe subjiciat. Quae ratio cum illius sententiâ de *sentiendi facultate* conjuncta videtur. Verum nostro cum instituto melius convenire videbatur, ut quae pauca de Aestheticâ monenda habebamus ad hunc potissimum locum referremus. Nec facile hoc quemquam reprehensurum esse puto, qui Krugii *Lexic. doctrinarum philos.* (i. v.) et quos laudavit consuluerit.

(2) Vix opus est hujus generis locos, qui passim inveniuntur, singulatim recensere. Exempla videantur: *Oratt. de* Alphenio (ed. 2) p. 12, de iis, quae in *Poëtâ* requiruntur; — p. 15, de *Poësi* q. d. *describente;* — p. 26, de *sonorum harmoniâ;* — tum orat. alterius *exordium;* — annot. p. 102. 111. Cf. Or. de Ravio et *exordium* et annot. p. 61 (ed. separ.).

pauca alia Viri elegantissimi scripta convenire censendum est. Veluti quae oratio poëticam in *Moise* facultatem spectat aut potius lectoribus sentiendam impertit, iis eam informat coloribus, ut qui sine animi commotione legerit, omni pulcri sensu destitutus esse videatur. — Atque hujus de *Moise* orationis recordatio Praeceptoris mihi pietatem in mentem revocat, in *Sacri* imprimis *Codicis*, modo prosae modo ligatae orationis, dictione vel nativam simplicitatem vel pulcritudinem vel sublimitatem, commodâ quâcunque opportunitate, notantis atque illustrantis. Quo ipso more quam egregie Librorum Divinorum honori consuluerit, et quam efficaciter ad eos legendos pulcri studiosos homines impulerit, neminem ignorare puto, qui cum varii generis, quae edidit, scriptis paullo familiariorem contraxerit consuetudinem. Nec enim solas hîc significo sacras orationes, sed item censurarum aliarumque commentationum locos quam plurimos.

Unum hoc addere juvat. *Versuum*, cum aliorum tum Nederlandicorum, *technicae* rationis et adolescens et senex judex erat in paucis idoneus; teretes cujus aures ad numeros aestimandos poëticos plane compositae fuerunt (1). Universe autem quae de aestheticâ illius facultate diximus nemini mira videbuntur, qui quam acri fuerit sentiendi ac judicandi vi secum reputaverit. Tum optimis quibusque legendis omnium aetatum Rhetoribus (2)

---

(1) Plures, quo hîc respicitur, censurae aliaque scripta supra, p. 174. 188, 193, laudata sunt.

(2) Multos legerat *Rhetores*, in quibus valde laudare consueverat Batteuxium (in op. *Les Beaux Arts réduits à un seul Principe*). Quamquam, ipso elegantiorum Artium Principio constituendo, eum errâsse putabat. Cf. *Encycl.* p. 72. Verum tres caeteris omnibus praeferebat diversae aetatis Rhetores, qui, dummodo accurate lecti, nobis plane sufficerent. Ciceronem *de Oratore* dico et Quinctiliani *Institt. Oratt.* et Hug. Blairii *Scholas*. Quae quidem *Scholae*, antea jam utilissimae, nunc nobis quidem Batavis fructuosiores etiam redditae sunt, copiosâ additâ B. H. Lulofsii annotatione. Cujus ipsius Lulofsii morte Litterae Nederlandicae nuperrime Statorem amiserunt, nemini certe postponendum. Nunc jam exstinctum esse insigne hoc Patriae lumen, quam acerbe doluerim ac doleam, pro animi sensu, dicere nequeo.

et Oratoribus et Poëtis quam subactum et quam exercitatum habuit ingenium! Ne de *Musicâ* dicam, quâ mature colendâ ad sonorum elegantiam percipiendam auditum assuefecerat. Quid multa? Quo plura et quo magis diversa illius scripta tibi repraesentaveris, eo certius nullarum non elegantiarum arbitrum in paucis peritum eum dicendum esse tibi persuadebis.

II.

Post hanc veluti prolusionem eum in locum deducta est narratio, ut Philosophus et *Physicus* et *Metaphysicus* jam paullo pressius nobis spectandus sit Vir acutus. Nec tamen, dummodo supra dictorum in memoriam lectores revocârim, multo plura eos requisituros esse confido. Adolescens enim ac juvenis, cum Leidae tum Trajecti, in clarissimorum quorumque Virorum Scholis, quibus mundi et sensibilis et intelligibilis cognitio proposita erat, plures per annos assiduus habitavit auditor. — Haec quidem ineuntis aetatis laus erat. Vir autem eâ *Philosophiae theoreticae* laude floruit, ut ipsius tantum voluntas obstiterit, quominus, ex Academiae celeberrimae Curatorum votis ac decreto, *Logicae* et *Metaphysicae* et *Philosophiae Moralis* Professionem obtineret. Atque idem a subtili *Philosophiae naturalis* cognitione ita nobilitatus est, ut, ubi Brugmansio (at quanto Viro!) Successor vicarius quaerendus erat, in neminem potius, quam in hunc, oculos converterent Athenarum Leidensium Moderatores prudentissimi; idque eo, quem memoravimus, exitu, et Academiae salutari et ipsius nomini glorioso (1). — Nec a florentis ac maturae aetatis studiis destitisse senectutem vidimus. Nam ea etiam ipsa verissimam Hengelii vocem luculenter confirmavit, hunc potissimum fuisse monentis, »*qui conjunctam mundi et sensibilis et intelligibilis persequeretur cognitionem*" (2). Se-

---

(1) Vide quae et pag. 55 seqq. et p. 89 seqq. narravimus.

(2) V. supra laud. Viri cl. oratio, Clarissii prope sepulcrum habita, pag. 10.

nem enim et privatam rusticationem ad *mineralogica* recolenda ac *geologica* studia contulisse nobis constitit, et eodem tempore in illustri Metropoleos consessu neglectae *Metaphysices* caussam strenue egisse, atque imminentem cladem ab eâ avertere pro virili parte conatum esse (1).

Atque haec vobis in memoriam revocans, ipse Praeceptoris sententiam reminiscor, quâ *unam* esse Philosophiam constanter tenuit defenditque, et ex divulsâ misereque discerptâ *theoreticâ*, quam vocant, ac *naturali* Philosophiâ utriusque dedecus ac multa mala exstitisse saepe conquestus est. Quam labem, *Francogallorum* per imitationem, academicis etiam Patriae Institutis adspersam esse graviter dolebat. Quo in judicio quam firmiter ad extremum perstaret, non uno modo penultimus docuit vitae terrestris annus. Quo eodem et, laudatâ modo disputatione, totius Philosophiae omniumque ejus partium conjunctionem graviter tuitus est ipse; et, ubi ab eâdem constanter propugnatâ copulatione laudatum esse, discipuli sui voce, Schröderum acceperat, eam imprimis gratissimam sibi accidisse laudationem, publice et privatim affirmavit (2).

Verum quam arcto conjunctionis vinculo quaecunque ad Philosophiam, vel *naturalem* vel *theoreticam*, pertinent contineantur, non monendo magis ac docendo singularumque partium nexum explicando demonstravit, quam exemplo ac philosophandi viâ et ratione, quam nullo non vitae litteratae tempore secutus

---

(1) Cff. dicta p. 122. 123. 128. — Praeceptoris commentatio, *de neglectae, nostrâ maxime in Patriâ, Philosophiae caussis*, prae caeteris *Metaphysicam* attingit atque affines doctrinas. Invenitur in relatione, quae inscribitur: *Verslagen en mededeelingen, uitgegeven door de vier Klassen van het Kon. Nederl. Instituut*, 1845, No. 3, p. 212—238.

(2) Ne alios locos aut privatas litteras memorem, vidd. *Cens. Censs.* XIV. 533. XVI. 594 *recenss.; Encycl.* §. 42. annot. 3; — impr. *disp. de neglectae Philos. caussis*, sub initium. Quamquam jam antea, *annot.* 21 *ad or. de* Wynperssio, perspicue ac copiose omnem hanc quaestionem tractârat.

est. Ubi enim Leidensi ex cathedrâ *Historiam* docere instituerat *Naturalem*, praeter ea, quae proxime cum ipsâ re conjuncta erant, quid potissimum spectavit? Id, hoc pensum aggredienti ac persequenti, sibi vel praecipuum propositum esse consilium profitentem audivimus ut, res explicans naturales, ad Deum immortalem, omnium illarum Conditorem Moderatoremque prudentissimum, agnoscendum ac venerandum discipulorum animos ferret atque impelleret. Atque eâdem ratione et eodem consilio, luculentissimâ illâ scriptâ ad Paleji *Theologiam Naturalem* annotatione, quae per omnes Naturae partes libere vagatur, illius, quâ late patet, indagationem ac cognitionem ad Auctoris omnium supremi potentiam, sapientiam bonitatemque evincendam ac comprobandam studiose contulerat (1). Itaque *Metaphysices* partem unam omnium maxime sublimem et arduam illustraturus suffulturusque, *Physice* et *Historiâ* singulatim *Naturali* perpetuâ utitur monitrice et certissimâ adjutrice. — Nec vero minore peritiâ atque acumine et *Dialectices* et *Metaphysices* effata ac bene stabilita dictata in *Physices* praesidium assumebat, ne hujus evidentia, ab *experientiae* testimoniis suspensa, per *Idealismi* audaciam atque objectiones labefactaretur. Quocirca et caeteris de utrâque Philosophiae parte principe disputationibus, et Scholis de *Historiâ Naturali* et *Theologiae Naturalis* Institutionibus, opportune tesseram praeponere potuisset Poëtae dictum, quod huc applicandum esse diserte monuit:

»*Alterius sic*
»*Altera poscit opem res et conspirat amice*" (2).

Utinam igitur Theologiae certe Studiosi (nam caeteros fortasse non habebit haec narratio lectores), Theologi summi voce atque exemplo moniti, perspiciant sibique persuadeant, et *Physicos*, nisi a *Metaphysicis* de certâ atque indubiâ, quae mentem inter recte cognoscentem et res objectas intercedit, copulâ se docendos curent, incerto cursu vagaturos esse, et *Metaphysicos*, si,

(1) V. supra p. 90, tum p. 69. 70.
(2) Vid. *Encycl.* l. l.

mundo ideali construendo dediti atque immersi, quid de *mundo empyrico* sana ac sobria tradat *Physica* non attendant. Nam profecto et his et illis pariter timendum est ne, sua sibi sacra sufficere opinati, aedificium exstruant, quod, quantumvis firmitatis specie blandiatur auctoribus, casae tamen chartaceae, puelli digitis confectae, levitatem referat ac fragilitatem.

Sed fortasse nonnullorum in reprehensionem incurret narratio, quae, cui potissimum Scholae ac disciplinae nomen dederit, quem a Philosophiae studio laudat, nondum referendum curavit. Enimvero sic ejus ingenium me descripsisse putabam, quod plane *suum* erat, nec a cujusquam auctoritate pendebat, ut eum Sapientum cuiquam simpliciter atque in omnibus assensurum esse, nemini credibile videri posset. Atque hanc ejus *αὐτονομίαν* omnis comprobavit vita philosopha. Ipso quidem adolescente ac juvene, nostratibus haud paucis *Scotorum* Philosophia *sensûs communis* accepta erat; quam magni illius Hennertii, cujus sub auspiciis notissimum Beattii in hoc genere opus conversum erat, auctoritas iis commendârat (1). Verum quamvis magni faceret hunc Praeceptorem Amicus, majoris etiam *subtilitatem* philosophandi faciendam putavit, quam hunc subinde lepide ridentem audiverat. Hujus enim tam cupidus fuit ipse ac tam constanter amans subtilitatis, ut et tunc a dilectissimo dissentiret Magistro; et diu postea, ubi Kampenius, Vir laudatissimus, ex *Horreo*, quod edere parabat, *profundiorem* excludere *Philosophiam* decreverat, hoc se consilium aegre ferre atque improbare minime dissimularet (2).

---

(1) V. Jam. Beattie, *Principles of moral Sciences*. Nostram in linguam ab Isbr. van Hamelsveld conversum esse opus, docuit Cl. *Encycl.* p. 76. Quae interpretatio inscribitur: *Grondbeginselen der zed. Wetenschappen; met bijvoegsels vermeerderd door* J. F. Hennert; *Traj. ad Rh.* 1791. III. Voll. IV. Partt. In praef. sibi valde probari Beattii rationem affirmavit Hennertius.

(2) In ipso adeo Hennertio suo *subtilioris* odium Philosophiae sibi improbari, satis diserte declaravit, *Cens. Censs.* XVI. 597 *recenss.*; ubi cf.

Alterius in Metaphysicis Praeceptoris, Dion. Wynperssii, merita eâ fere, qua parentem filius, pietate suspiciebat ac venerabatur. Verumtamen ne hujus quidem omnia placita probabat, atque in nonnullis longe ab ejus auctoritate recedebat. Quem dissensum ne discipulos quidem ignorare voluit. Memini enim me adolescentem jam plura Wynperssiana vel praecepta *dialectica* vel decreta *psychologica* ab eo reprehensa audire.

Verum, exeunte aut ad finem vergente superiore seculo, Kantii cum doctrinâ, quae jam antea in Germaniâ celebrari inceperat, notitiam nostri homines contraxerunt. Quam omnes veri certique numeros habere doctrinam alii magnis studiis professi sunt, alii plane repudiandam esse alto supercilio declarârunt. Nec his assentire Vir, quem dicimus, nec illis. Quem quidem et mature et accurate sibi cognoscenda duxisse novae placita disciplinae, cum iisque intimam paullatim familiaritatem contraxisse, narrare nihil attinet. Paucissimos enim fuisse nostrates, qui et ipsius opera Philosophi Regiomontani et praecipuos eorum cum interpretes, tum adversarios tam assiduâ ac tam meditatâ, quam ille, lectione triverint, innumeri demonstrant ejus scriptorum loci ac disputationes.

Nec pauca hîc erant quae arriderent ac tali ingenio, juvenili illi et fervido, primo certe obtutu sese commendare deberent. Quibus in invitamentis subtilitas erat atque acumen, quo mentis humanae vires omnes ac facultates veluti circino describere ac definire haec Schola conabatur. Tum uno veluti ictu et audacem Humii *Scepticismum* et arrogantem Wolffianorum *Dogmatismum* prosternere ac profligare se posse et velle jactabat; idque ita ut popularibus istis *sensûs communis* patronis, vel *Scotis* vel *Francogallis*, nullus amplius in Philosophiae cas-

---

etiam p. 592. Verum imprimis legatur, *ibidem*, XV. 287, quae plenius Clarissii sententiam declarat, relatio de op. N. G. van Kampen, *Mag. voor Wet., Kunsten en Lett.* I. 1. *Amst.* 1821. — Quod reliquum est; de Philosophiâ *sensûs communis*, cum *Scoticâ* tum *Francogallicâ*, egit et *Encycl.* p. 193 seqq., et *or. de* Wynp. (*ed. separ.*) p. 36 sqq.

tris velitandi locus concederetur. Accedebat quod *Ethices* ac purae virtutis jura, *Eudaemonistarum* levitate turpiter laesa et infracta, *Critica* haec, quae honorifice dicebatur, Schola strenue se tuenda suscipere professa erat. — Quae omnia ita apud Amicum valuerunt, ut doctrinâ, quae *Regiomonti* ex moenibus doctam per Europam percrebruerat, et commoveretur animus et admiratione afficeretur. Atque ab hoc judicio ne tum quidem eum discessisse, cum diu omnium in animis Kantiana, quam dixit Wyttenbachius, *febris* deferbuerat, Wynperssii laudatio demonstrat. Quâ senescente jam aetate proditâ, terna illa Kantii, quibus a *Criticâ* nomen dedit, opera notissima *digna* profiteri, *quae omnes admirentur* non dubitavit (1).

Verum hîc vel maxime quantum *admirationem* inter et *approbationem* intersit apparuit. Neque enim longius ab omnibus Kantii decretis vituperandis abfuit Clarissius, quam ab universâ ejus doctrinâ probandâ. Quo enim et acumine erat et prudentiâ, pulcre perspiciebat ac frequenter discipulos admonebat, *et* quam parum in multis ipse sibi constitisset Philosophus; *et* fidei *Deo* habendae quam incertum ac lubricum in solis *Practicae,* quam dixit, *Rationis postulatis* praesidium reliquisset; *et* quam inhumanam in *Morum Doctrinam* severitatem inferre conatus esset (2); *et* vero, ab eo commendata, *moralis* Sacri Codicis *interpretatio* quantopere hujus honori officeret, quam longe ab explicationis veritate abesset.

Sed quando omnia persequi non vacat, hoc imprimis attendite, quaeso. Quo tempore novitatis commendatione lucebat *Regiomontana,* quam dixi, *Critica,* multi ejus admiratores non solum cum *Christi* religione eam praeclare concinere contenderunt; sed huic ab illâ novam et lucem et puritatem et splendorem sperandum esse, magnis animis vocibusque, multis applaudentibus, jactârunt clamâruntque. Quorum vel calliditati vel

(1) *Encycl.* p. 189, *Virum summum* eum dicit, »*de Philosophiâ metaphysicâ* »*immortaliter meritum; quamquam magis excelluisse videatur* destruendis *minus* »*firmis opinionibus*, *quam firmo fundamento* superstruendis *melioribus.*"

(2) *Rigorismum* vulgo vocant *moralem.*

inscitiae scienter ac constanter obviam ivit Clarissius. Docuit enim et, Kantii doctrinâ cum *Euangelii* institutione accurate ac per partes comparatâ, subtiliter demonstravit, summum, quod *Rationi humanae* vindicat *illa,* jus et imperium cum modestâ *fidei obedientiâ,* quam *haec* in Christi cultoribus requirit, nullo modo constare posse, nec ullâ arte conciliari. Sic igitur et in Scholis discipulos et in scriptis cives edocens, ut nec cum adversariis omnia respueret, nec cum fautoribus omnia laudaret, nescio utrum Religionis melius, an Philosophiae caussae serviisse censendus sit (1).

Haud indoctos cognitos habui homines, qui, Kantii placita accuratius persecuti, iis, quae postea exstiterunt, Scholis cognoscendis nullam magnopere operam dedissent; earum vel multitudine obruti, vel obscuritate deterriti, vel absurditate nauseantes. A quibus vero quam diversus ingenio fuit moribusque, de quo loquimur, Vir sapiens! Neque enim ulla facile vigere incepit, posteaquam Kantiana defloruerat, paullo celebratior Philosophiae Secta, quin hic ejus decreta suâ, id est accuratissimâ ratione, sibi percipienda putârit. Atque eum ne tum quidem ab his persequendis disquisitionibus destitisse novimus, ubi, munere publico solutus atque a doctrinarum sedibus remotus, haec certe recentissimae Philosophiae studia, nemine reprehendente, missa facere potuisset. Quod quam vere a me dictum sit non oratio tantum de Wynperssio, a. 1886 edita, sed fortasse luculentius etiam commentatio demonstrat decennio fere post, hoc est ipsius vitae sub finem, *de neglectae Philosophiae caussis* evulgata. Atque ad publica haec documenta privatum accedit nec minus certum testimonium Viri litteratissimi; qui,

(1) Dicta confirmata videbis, si disputationes legeris, unde non sine percepto doctrinae fructu discedes, *Cens. Censs.* IX. 17. XII. 156. 198. XIV. 531. 551. XVI. 592 *recenss.,* aliosque multos, quorum nonnullos supra memoravimus, ejusdem operis locos. Quibus utiliter addentur et *comment. de Eth. Christ. praestantiâ* passim, et praef. operis *de Theol. Nat.* Palejani, et bina, quae mox denuo laudanda erunt, senectutis opuscula.

plurimis lustratis defuncti Praeceptoris chartulis, eum ad extremum usque in novissimis hujus generis scriptis cum legendis tum excerpendis perstitisse et ipse comperit, neque nos ignorare sivit.

Haec autem Senis his in studiis perseverantia eo majorem ipsius Philosophiae prodit amorem, quo minorem bonae frugis proventum post Kantii tempus ejus agrum extulisse censebat, et quo plura pleraeque hujus campi partes devoranda objiciebant *opinionum commenta,* quae brevi *deleturum* esse *diem* et augurabatur nec profecto dolebat. Clarissius enim in *Theismi* sanitate ejusque singulatim purissimâ ac maxime sublimi formâ ac ratione, quam cognitam *Christo* debemus, explicandâ ac defendendâ aetatem ingeniique vires consumserat. Cui igitur quo tandem modo eorum placere potuerunt decreta, qui *Theismo* diversissimas *Pantheismi* formas, suâ quisque ratione, audacter hi, callidius illi, substituerunt; de quibusque adeo, quod de Epicureis antiqui, jure dicere posset, Deum immortalem nomine eos reliquisse, re ac veritate sustulisse? Verum quo acerbius Philosophiam, non pejores quam amicos, habentem inimicos, *a plerisque neglectam, a multis etiam vituperari* (1) dolebat; eo studiosius exemplo ac monitis ipsius et innocentiam a patronorum stoliditate tueri et amorem, tanquam sacrum aliquem *Vestae* ignem, in meliorum certe aequalium animis alere ac conservare conatus est. Ac majore etiam operâ, quantum et quamdiu potuit, curare perrexit ne, verborum fallaciis ac captionibus irretiti, vanam atque inanem Philosophiae Religionisque umbram pro sanctâ utriusque veritate incauti amplecterentur discipuli (2).

(1) Cic. *Tusc. Quaestt.* V. 2.

(2) Ex dictis igitur apparet talem eum fuisse, qualem Wynperssium suum informavit, *Eclecticum.*

SECTIO POSTERIOR.

DE CLARISSII MERITIS IPSAM IN THEOLOGIAM.

SEGMENTUM PRIMUM.

DE IPSO ENCYCLOPAEDIAE AUCTORE.

Erga universum doctrinarum orbem bene meritum esse vidimus Amicum, permultis de libris, in magnâ argumentorum varietate versantibus, accurate ac docte referentem. Quamquam *theologica* prae caeteris complexam esse censoriam hanc operam constat. Verum multo etiam magis totam sibi devinxit, quâ late patet, *Theologiam*, non tantum plures per annos binis in Academiis tradendâ, sed ad omnium notitiam bis edendâ ipsius *Encyclopaediâ* (1). Cujus operis alteram editionem, quae priorem, a. 1832 emissam, triennio post excepit, longe locupletiorem esse supra jam obiter monuimus. Ne enim de multum adaucto paginarum numero dicam (2), oratio, magis etiam nunc quam antea, ad puritatem et perspicuitatem et concinnitatem composita est. Deinde, si qui in scriptorum laudatorum nomina atque in operum notationem errores irrepserant, eos jam, quâ maximâ curâ fieri poterat, sublatos esse apparet. Tum rerum utilium atque exquisitarum uberrima messis accessit.

Sed de ipsius operis, quale nunc perfectius exiit, universâ ra-

(1) Vid. supra p. 98, collatis, antea jam p. 59. 60, monitis.

(2) Ed. 1 pagg. habet 709, ed. 2 pagg. 807.

tione paucis videndum. *Novitatis* igitur, ut hinc ordiamur, si quae est in talibus gratia; hâc certe non caret opus commendatione. Ubi non id potissimum mihi volo multa, a nemine antea sic tradita, hîc largâ manu sparsa reperiri. Quamquam non ego tantum, quod leve sit, sed me multo doctiores Theologi hâcce ex lectâ *Encyclopaediâ,* de rarioribus imprimis libris eorumque et auctoribus et fatis aliisque de rebus, cum *Historiâ litterariâ* conjunctis, multa scitu digna, quae antea non plene sciverant, sese comperisse professi sunt. Sed aliam hanc a novitate commendationem ipsa res habebat, quod adhuc nostratium Theologorum nemo hujusmodi operis edendi consilium ceperat, nedum perfecerat. *Germani* autem multi quidem id egerant, nonnulli feliciter peregerant; sed nec horum quisquam, quantum novi, post Samuelem Mursinnam (1), *Theologiae* id honoris dederat ut *eruditorum* linguâ, omnium quibus haec communis est in gratiam, illius consignaret *Encyclopaediam.*

Verum ab admirabili potissimum atque incredibili doctrinae copiâ, de quo dicimus, opus praedicandum putârunt plerique omnes lectores. Quod ejusmodi fuit, ut ad Nederlandiae laudem litterariam apud exteros tuendam accommodatissimum id existimaret Censor eruditus idemque, quod mox nobis apparebit, sine irâ et studio judicans (2). Cui ita assentior, ut multo magis Regni coelorum, quod nullis terminatur populorum finibus, honorem atque emolumentum auctorem spectâsse confidam, quam terrestris hujus Patriae laudem gloriamque.

Sed alium audiamus judicem, cujus dicta nobis uberius nonnulla hoc de opere monendi viam parabunt. Peltium volo,

---

(1) Egregius hic Vir, Theologiae Professor Halensis, primum a. 1764, sed viginti post annis alterâ editione, auctiore eâ et emendatiore, ediderat: *Primas lineas Encycl. theol. Hal. Magd.* 1784. Cui operis alteri editioni diu post, *ibid.* 1794. Tom. II adjectus est. Minus accurate editiones memoravit, atque iniquius ipsum opus judicavit Peltius, *Encyclopaediae*, de quâ mox, p. 57.

(2) Vid. Ephemer. *Godgel. Bijdragen* (1833) VII. 94—111. Quae haec relatio *prioris* ed. in laudem monet, magis etiam in *alteram* conveniunt.

Theologum Chiloniensem, qui aliquot post annis idem suscepit pensum, atque ex plerorumque judicio, a quo nec ego plane dissentio, universe praeclare peregit. Quamquam sententiarum, huc et illuc nutantium, fluctuationem aliquam haud injuriâ non nostrates, sed cives illi objecisse videntur (1). Hic igitur eos, qui ante ipsum in eâdem palaestrâ versati erant, recensens Rosenkranzium etiam memorat (2); in quo aliis laudatis, aliis non item, hujus opus, qui deinceps insecuti erant, quamvis a diversis profectos principiis, sedulo suos in usus contulisse contendit. Quod nunc primum ad Danzium applicatur, qui nullo delectu critico notitias effuderit litterarias, saepe tamen lectori gratas illas. »*Sed frequentiores etiam*," inquit, »*ejusmodi notitiae in* »Clarissii, *docti Hollandi*, Epitome *exstant, valde diffusâ eâ* »*atque ad antiquum morem ordinatâ; quae ne tum quidem, si* »*aequiore pretio venum iret, ad Germaniae Theologorum usus* »*commendari posset. Hi enim praeclarum hîc subsidium habent* »Wineri *Litteraturae theol.* '*Εγχειρίδιον*" (3). — Ita fere ille; qui sane, quod aliâ in re Cicero dixit (4), *similitudines* hîc *protulit dissimillimas*. Cum paucis enim hoc in genere scriptoribus Clarissio tam pauca communia fuerunt, quam cum Rosenkranzio, Philosopho in plerisque Hegeliano; ex cujus libro, priore

(1) Vid. A. F. L. Pelt, *theol. Encycl. als System im Zusammenh. mit der Geschichte der theol. Wissensch. u. ihrer einzelnen Zweige entwickelt; Hamb. u. Gotha*, 1843. Ubi locus, quem mox reponam, invenitur p. 68. Quo de opere binae consuli possunt ejusdem Fleckii, Theologi Lipsiensis, relationes; altera in: *Theol. Literaturbl. z. A. Kirch. Zeit.* m. Jul. 1844, N°. 88—90; altera, Peltio magis honorifica, in: *N. Jen. A. Lit. Zeit.* m. Nov. 1844, N°. 269. Cf. Rudelbachius, in: Rud. *u.* Guerike, *Zeitschr. f. d. ges. Luth. Theol. u. Kirche*, 1843, p. 141. Sed hi si alia laudârunt, vituperârunt alia; integras laudes tulit Peltius nostrate a Censore, in op. *Godgel. Bijdr.* 1846, N°. 4, p. 570 sqq.

(2) Hujus *Encycl.* edita est *Halae*, 1831; — Danzii, quae mox memorabitur, *Vimariae*, 1832.

(3) Hujus opus est: *Handb. der theol. Lit. ed.* 3, *Lips.* 1837—1840. Et si quae forte postea aliae sunt adjectae mantissae.

(4) *De Fin.* IV. 23.

certe vice Encyclopaediam editurus ille, vix aut ne vix quidem *per ipsas temporum rationes* quidquam haurire potuit (1); ac postea etiam perpauca, si ulla, hinc eum profecisse, nemo est qui certiore jure, quam ego, possit affirmare (2). — Sed si absurda haec est comparatio, non minus inepte Clarissianum librum cum Wineriano contendit. *Ille* enim *Encyclopaediam* tradit, ac pulcherrimas praemittit et interspergit ejusmodi animadversiones, quae nunc fere *methodologicae* audiunt. *Hic* brevissimâ titulorum notatione innumeros tibi cognoscendos dat, suis generibus concinne distinctos, libros theologicos, adjecto in fine gratissimo lectori scriptorum indice. *Ille* multis de libris multa tradit docta, exquisita, vulgo ignota; quae *hic* nec habet, nec vero, nisi suum ipse consilium abjicere voluisset, habere debebat. Itaque, et his et aliis de rebus, ex Amici nostri libro et Germani et Angli et nostrates permulta utiliter discere possunt, quae nec ex aliorum nec ex ipsius adeo Peltii Encyclopaediâ. Ne de Winero dicam, Viro in paucis magno, quin maximo, qui, si haec omnia in hunc potissimum, de quo quaerimus, librum contulisset, non minus ineptus fuisset quam Peltius, quem *similitudines* hîc *protulisse dissimillimas* jam omnibus, ni fallor, constabit.

Quod si omnino librum aliquem comparare placebat, Mursinnae *Encyclopaediam* hîc ad partes vocare longe praestitisset, ad quem a longo inde tempore annotata sua referre inceperat, cujusque igitur ordinem, nisi quae caussa hinc abire jubebat,

---

(1) Clar. ed. 2 praef. p. XXVI: »*Prior*," ait, »*opusculi editio diu, imo vero* »per plures annos, *patientiam cum Typothetae, tum meam exercuerat.*" Jam, ut Peltii dictis quae fides sit omnibus constet, anni tantum editae cum Rosenkranzianae, tum Clarissianae (priore vice) *Encycl.* componantur.

(2) Si quis, vel Germanus vel nostras, privatim hâc de re mecum colloqui velit, certiora etiam ad calumniam a Praeceptore depellendam afferam, quae quominus nunc prodam *modestia* prohibet. Cf. *Enc.* Clar. *praef.* p. XXVII. — Haec de Praeceptore. Verum nec a Danzio, *Viro longe litteratissimo*, Rosenkranzii scrinia compilata esse, Peltio credo temere affirmanti.

in plerisque secutus est, de quo quaerimus, auctor. Quam utriusque comparationem recte instituisse videmus priorem, quem nominavi, Censorem. — Quod vero *antiquum*, id est, ni fallor, *obsoletum* illum ordinem vocat Peltius, uno certe verbo quid hîc reprehendendum sit monuisset. Neque enim, in libri distributione judicandâ, sitne usu trita an recens quaeritur, sed utrum apta atque idonea; cum praesertim antiquiores haud pauci libri concinnius ordinati compareant, quam ejusdem argumenti recentiores. Veluti, ut hoc utar, prudentius sine dubio ac cum *Protestantium* ratione convenientius, praeeunte Mursinnâ, rem egit Clarissius, *Exegeticae* singularem locum concedens *Theologiae*, quam Peltius, a Fleckio jam jure reprehensus, qui cum *Historicâ* inepte illam conflat. — Atque ab hâc imprimis sapientiâ laudandi videntur illi, quod non, sicuti hic fecit, crudum atque imparatum ad Theologiae sacra percipienda tironem admittunt; sed potius, accuratâ de *Philologiâ* et *Historiâ* et *Philosophiâ* praemissâ disputatione, per harum demum doctrinarum viam certum ad illa patere aditum docent ac demonstrant. Quo ipso *prorsus litterariam* esse nostram disciplinam, mature a *Praeceptoribus* commonefiunt ejus alumni. Quod, ante hos plures annos, disertâ oratione consulto demonstravit Theologus eximius, quem nuper florente aetate rebus humanis ereptum esse, habent quod doleant sanctioris doctrinae amici (1).

Tum quod de *pretii* iniquitate conqueritur Theologus Chiloniensis; Bibliopolis, a partium studio alienis illis, judicandum relinquo, utrius liber, si omnia, quae hîc in censum veniunt, comparaveris, magis aequo venum iverit pretio. Id scio equidem, si suo edito opere, non magis quam Clarissius, τὰ

---

(1) Me non monente multi lectores hîc significari intelligent Wopconem Cnoop Koopmans, nuper in Teleiobaptistarum Seminario Amstelodamensi Professorem de re Christianâ optime meritum, qui, a. 1828, orationem habuit *de Theologiae disciplinâ prorsus litterariâ; Amst. eod. a.* editam. Quâ de oratione auctorisque de vitâ et laudibus digna est quae ab omnibus legatur Samuelis Mulleri, Viri gravissimi ac facundissimi, narratio, prodita in Ephemer. *A. Konst- en Letterbode*, 1849, N°. 30—32.

πρὸς τἄλφιτα quaesivit Peltius, dignum eum esse cujus magnum et generosum animum omnes et *Hollandi* laudent, quos appellat, et vero, quos iis longe praeferre videtur, *Germani*.

Sed nonne nimis multa a tironibus requisivit Praeceptor, ac justo plura iis addiscenda imposuit, sui ingenii ex magnitudine aliorum minus aequâ lance metiens mediocritatem? Hoc ipsum enim est, quod semel iterumque humaniter attingentem audimus priorem illum, de quo diximus, Censorem. At scite et vere reponit, antea jam hâc de re a discipulo quodam, cui chartas necdum editas legendas commiserat, modeste admonitus, auctor ingeniosus, Theologiae sese scripsisse Studiosis, *quales esse oporteat*, minime iis, *quales non esse oporteat, quippe non lecturis* (1). Quibus jure adjicere potuerat Theologi ἰδέαν a sese informatam esse, cujus praestantiam ac perfectionem si nemo possit assequi, tamen pro cujusque virium facultatumque modulo persequi debeant omnes. Nec vero utilissima desiderari monita passus est, quibus, ut quidque nostro cum munere atque officio conjunctius est, ita majore operâ cognoscendum esse appareat.

Brevibus ut rei summam contraham; etsi nullius scriptoris de laudibus vel hilum detractum volo, tamen hoc, quo vivimus, seculo non facile ullum aliud proditum esse opus existimo, quod tot tanti pretii monita, ad universum Theologorum studium singulasque ejus partes illustrandas ac regendas pertinentia, tam arcto unius Voluminis spatio complexum sit. Quod igitur ut apud cives praedicem, ejus praestantiam non ignorantes, vix opus esse videtur. Verum nec junioribus atque ad Ecclesiae salutem maturescentibus *Germaniae* Theologis de optimâ notâ idem commendare reformido. Quorum plerisque si plane ignota est haec vox ac manebit (quod minime ignoro); at alii sunt nec pauci, nec unâ in Germaniae regione Ecclesiae commoda tuentes, quos in optimis ac dilectissimis me habuisse auditoribus nunquam obliviscar, quibusque nondum plane barbaram esse factam meam hanc

---

(1) Vid. *praef.* p. XXVII, coll. ipsius op. p. 10.

qualemcunque vocem confido. Quocirca hos certe humaniter rogare licebit, ut ne Peltio morem gerant, ab *Hollandi*, quem dicit, opere consulendo ipsos deterrenti, nec vero quidquam argumentorum ad dissuadendam lectionem afferenti. Cujus sane operis, dummodo Latine scripti, idem nobis omnibus usus maneret fructusque, si vel pro *Hollando Thracem* aliquem aut *Scytham* habuisset auctorem. Nam nostrâ certe in disciplinâ *οὐκ ἔνι Ἕλλην καὶ Ἰουδαῖος, περιτομὴ καὶ ἀκροβυστία, βάρβαρος, Σκύθης, δοῦλος, ἐλεύθερος, ἀλλὰ τὰ πάντα καὶ ἐν πᾶσι Χριστός* (1).

(1) Vid. *Ep. ad Coloss.* III. 11.

SEGMENTUM ALTERUM.

DE CLARISSIO APOLOGETA.

Una est Theologia, cujus singulae partes, quamvis variae multaeque, quam arcto vinculo contineantur docet, de quâ modo antea, *Encyclopaedia*. Verum harum ejusdem disciplinae partium ecquae omnium nobilissima censenda est? ecquae studiosius etiam, quam caeterae, nobis colenda? Non facile sane dixerim; cum praesertim et singulae suâ se tueantur commendentque singulari dignitate atque utilitate; et unius inscitia caeterarum ut plurimum mancam reddat atque infirmet cognitionem. Sed sive cui *exegetica* praeplaceant, seu *historica* magis arrideant ac *philosopha*, seu *dogmatica* ac *practica* caeteris acceptiora sint; — *apologetica* certe semper sibi commendatissima habeat oportet. His autem Theologi studiis duplex proponi potest debetque consilium generale. Quamvis enim diversa, eo referuntur omnia, ut de religionis, quam profitetur, Christianae singulatim (1), veritate, praestantiâ, coelesti origine vel *sibi* magis magisque persuadeat, vel *aliis*. De quâ quantopere optandum sit ut *sibi* ante alios persuadeat, admonitione vix indiget. Quam felix enim Theologus censendus est, qui, modeste *Paullum* imitatus, vere

(1) Nam religionis etiam, cum *naturalis* tum *Mosaicae*, caussam sibi agendam videt Apologetice Christiana.

affirmare potest: *ἐπίστευσα, διὸ ἐλάλησα* (1); tam miser ille, arundinis instar qui mente atque opinionibus modo huc jactatur, modo illuc. Sed nobis etiam singulis, pro suâ cujusque conditione ac facultatibus, dictum putemus, quod *Petro* Christus injunxit: *Καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου* (2). Posteriore autem hoc *fratrum fidem confirmandi* officio vel *coram* dicentes fungi possumus, vel *scripta edentes* apologetica. *Illud* omnium est Theologorum, *hoc* eorum, quibus praestantius aliquod divinitus concessum est *χάρισμα ἀπολογητικόν*. Neutri quidem officio defuisse Clarissium (ut ad hunc tandem redeamus) supra jam nobis constitit; verum de posteriore jam paullo plenius videndum, ubi et *quae* ad hoc genus pertinentia typis ediderit disquiramus, et *quomodo*, quam diximus, caussam egerit.

Quas igitur ad defendendam Christi religionem publicas contulerit symbolas, nullâ aut levissimâ operâ tradi posse, multi fortasse putabunt lectores. Praesertim cum palmaria tria, quae huc pertinent, opera supra jam memorata sint. Commentationes dico, quae fidei Christo habendae et in *miraculis*, quae edidit, et in *praeceptorum*, quae tradidit, *moralium praestantiâ* atque in *salutaribus propagati Euangelii effectis* certum quaerunt praesidium. Quibus *Specimen* accessit *de doctrinae pretio Apostolicae* (3). Verum si vel hinc discesseris, alia, quae ab hoc

(1) 2 *Corinth.* IV. 13, coll. *Psalm.* CXVI. 10.

(2) *Luc.* XXII. 32b.

(3) Vid. supra, p. 46. 47. Sed nunc paullo accuratius singulas has notemus commentationes.

Prima igitur, quae invenitur in *Opp. Soc. Hag. pro tuendâ rel. Christ.*, *ad a.* 1800, ac proximo a. edita est, inscribitur: *Verh. tot betoog der kracht van het bewijs voor de waarh. en goddelijkh. der Evangelieleer, ontleend van de wonderwerken van J. C. en de App.* — Tesseram appositam habet *Nicodemi* dictum, *Joann.* III. 2. Pagg. continet 317. Comitem habet, eodem Vol. editam, disputationem A. W. P. Mölleri, Theol. Doct. et Prof. Duisburgensis. Quam separatim etiam editam esse, *Hag. Com.* 1800, me docuit W. D. Fuhrmannus, *Handb. der theol. Lit.* (Lips. 1819) II. 1. 381. Quo eodem

genere excludi nec possunt nec debent, tam multa sunt, tam varia, tam late per pleraque auctoris scripta dispersa, ut omnia

---

docente comperi et binarum harum commentt. et tertiae, eodem de argumento ab R. Feithio scriptae, atque ab eâdem *Soc. Hag.* postmodum evulgatae, summam repositam esse in Ephem. *Allg. Lit. Zeit.* 1803. IV. 177. Suae disputationi ideo praelatam esse Möllerianam, Moderatorum judicium non indignatus, sed leniter subridens, dicebat Clarissius, quod plura Apologetarum dicta, a sese breviter laudata, plenius haec reposuerat. De utrâque comment. lectu digna prodidit Censor in *Bibl. Litt. theol.* (vernac. scriptâ) I. 1 sqq. Qui, a *Soc. Hag.* plane dissentiens, Möllerianae disp. longe antecellere putat Clarissianam, quae et cogitatorum copiâ locupletior sit, et recentissimorum objectiones Rationalistarum plenius recenseat, et cum ab ordinis concinnitate, tum a stili bonitate magis commendetur.

Sed utravis praestantior censeatur *de miracc.* commentatio; certe se ipse superavit Clar., alterâ scriptâ eodem in genere disputatione, item p. 153 a nobis memoratâ, quae in Opp. ejusd. *Soc. Hag. ad a.* 1803, reperitur; proximo demum anno, ubi jam Professionem Harderov. capessierat auctor, evulgata. Cujus ecce inscriptionem: *Verh. bekelzende een kortbondig betoog en verdediging van de kracht van het bewijs voor den godd. oorsprong en het verbindend gezag van het Euangelie; ontleend uit den voortreffelijken aard van deszelfs zedeleer*, *en haren gezegenden invloed op de verbetering en het geluk der menschen.* — Pagg. implet 396; ac tesseram habet Montesquievii dictum aliquod, (quo Feithius etiam respexisse videtur, *Cantt.* nostrorum *euangg.* LXXXIX. 2) ubi *Moralem Euangelii doctrinam pulcherrimum donum esse* affirmat, *quod hominibus dare potuerit Deus.*

Tertiam, quam memoravimus, diatriben suo Marte edidit dixitque: *Proeve over de waardij en het gezag van de leere der Apostelen; Hornae*, 1801. Tesserâ scriptum insignitur dicto notissimo: *In necessariis unitas* caet. Trecentarum fere pagg. spatio maximam rerum memorabilium copiam continet. Summa quidem haec fere est. Primum doctissimâ demonstrat disquisitione, de *Apostolorum auctoritate* quid et Ecclesiae Patres et recentiores omnes omnium temporum Christiani statuerint; quid contra recentissimi, qui tunc erant, Theologiae novatores. Hos deinde, singula singulatim persecutus, accurate refutat, *vel* ab Apostolis perperam intellectum esse Christum contendentes; — *vel* a sese invicem eos dissensisse; — *vel* praejudicatis Judaeorum opinionibus occaecatos fuisse; — *vel* tandem nimis incultos stupidosque. Verum in his aliisque eorum vituperationibus refutandis non acquiescens, alia non pau-

nullo modo plenâ me recensere posse enumeratione fateri debeam. Quod ne quis miretur dictum, primum cogitet velim, quam multas *librorum censuras* emiserit Theologus, iis etiam ubi non exspectaveris locis, acutissima ac sapientissima monita continentes, quae vel ipsius *Apologetices* officia definiunt ac describunt, vel religionis defensorum prudentia consilia laudant, inepta humaniter reprehendunt, vel studia et moderantur et incendunt.

Verum non magis relationes aliorum de libris hîc nobis in censum veniunt, quam quos ipse typis exprimendos curavit. Nam in omnibus fere scriptis, ad nostram quidem doctrinam pertinentibus, monita dispersa reperies atque opportunâ quâque occasione depromta, quae *Codicis Sacri* honorem tuendi studiosissimum demonstrant auctorem. Modo enim *Utriusque* universe *Foederis* librorum, modo idque saepius singulorum locorum vel praestantiam, pulcritudinem, sublimitatem, vel nativam simplicitatem ac candorem, vel fidem ac veracitatem declarare conatur. Quid vero, sicubi in locis populariter tractandis versabatur, qui hominum vel malevolorum atque imperitorum objectiones offensionesque pepererant, vel scurrilium jocos ac risum commoverant? Plerumque quos dixi locos, admotâ *Philologiae* aut *Antiquitatis* aut *Historiae* face, sic illustrat atque explicat ut,

---

ca, cum caussâ, quam agebat, conjuncta ex interioribus doctrinae theol. thesauris depromenda putavit. — Cum dictis digna est quae conferatur relatio, memoratâ in *Biblioth. Litt. theol.* II. 14—32; ubi libri argumentum accurate expositum, in eoque plurima laudata, alia reprehensa videbis.

Seileri opus *de Patefactt. divinis* ejusque Tom. priorem, a Clarissio conversum, in annot. ad pag. 47, satis accurate laudâsse videmur. Quocirca dictis hîc tantum addimus, libri illius et praef. et p. 250, consilium profiteri Praeceptorem ejusdem Seileri aliud opus apologeticum convertendi, quod dicebatur: *Der vernünftige Glaube an die Wahrh. des Christhenthums.* Hoc vero consilium non magis exsequi potuit, quam memorati operis Tomum alterum nostratum linguâ edendi.

quamvis nullo scuto galeâve indutus esse, nec cum quoquam in arenam descendere velle videatur, nihilominus strenue atque efficaciter aliorum tela retundat, aliorum ignorantiae medeatur, aliorum levitatem compescat. Quo fiebat ut nemo, veri cognoscendi cupidus, ampliorem vel illustrationem requireret, vel defensionem. Veluti solis splendor, cum primum nebulae vaporesque dispulsi sunt, sponte lucet, omniumque oculis vitio non suffusis admirandum se praebet. Tectiorem enim illam ac pacificam (si ita dicere licet) rationem divinam religionem ejusque fontem limpidissimum tuendi in Gisberti Bonneti, Praeceptoris olim carissimi, sacris orationibus impense laudare consueverat. Quem igitur hîc imitatus esse videtur; sed suo id more suâque copiâ, id est, ita ut longe frequentiora longeque uberiora hujus generis monita audienda nobis daret aut legenda.

Verum etsi *sacrae* imprimis *cathedrae* nullas magis attemperatas putabat admonitiones, quam quae, velut aliud agendo, auditorum animos in divinorum Oraculorum veneratione confirmarent; tamen nec ab ejusdem cathedrae munere atque officio abhorrere judicavit orationes, dummodo sapienter informatas ac tempori caute accommodatas, quas, vel a primario argumento vel certe a majore aliquâ parte, *apologeticas* dicere possis. Quales in plerisque, quos edidit, hujus generis *Manipulis*, nec numero paucae sunt, nec pretio leves. Quarum igitur praecipuas nisi breviter certe hoc loco memorem, et suscepto penso et vero, quod longe gravius, lectorum commodis deessem. Illis enim ad animi fructum uberius, ad fidei confirmationem utilius quidquam legi posse nego. Huc igitur primo referenda est oratio, quae Christi dictum, *Joann.* VII. 17, interpretata, *internum pro religionis Christianae divinitate argumentum quam eximie compositum sit ad animum, cui Deo obediendi studium inest, commovendum* luculenter demonstrat. — Et haec in *primo* reperitur *Fasciculo* et binae aliae, quae eundem ambae Euangelii *Joannei* locum, VII. 46, praescriptum habent, atque omnino hîc memorandae sunt. Altera enim *incomparabilem Jesu doc-*

trinae praestantiam explicat, altera *unicam ejusdem Christi eloquentiam* admirari docet (1). — Nec ea *ejusdem Tomi* concio negligenda est, quae, *Paulli* dictum, *Rom.* I. 16, imitata, non ejusmodi esse *Euangelium*, *cujus nos pudere debeat*, graviter demonstrat. Ubi non pauca ad illius praestantiam evincendam opportune allata esse videbis.

Secundi Fasciculi, etsi nullae sunt quarum summum argumentum ad religionis defensionem referatur, binae tamen hîc tangendae sunt. Altera enim, de *Psalmo* XXIX. 10[a] agens, magnâ παῤῥησίᾳ Divinam vindicat *Nemesin*, publicas per immissas calamitates, *populorum peccata punientem*; quae, habitae orationis tempore, ab aliis audacter negabatur, ab aliis scurriliter irridebatur. — Altera, locum explicans 2 *Corinth.* IV. 18. V. 1, *fidem futurae vitae habendam* ita commendat, ut Christi, *vitam atque immortalitatem patefacientis*, merita celebrentur (2).

Tertii Fasciculi penultima certe oratio ad hoc genus referenda est; quippe quae, Domini dictum, *Joann.* VIII. 36, enarrans, unum *Illum* esse demonstret, *qui veram nobis impertiat libertatem*. Ubi imprimis perpendendum, ad hominem laudatam in libertatem vindicandum non sufficere *Philosophiam*, quibus argumentis doceat Orator. — Nec ab eodem genere recedit altera de Jehovae, *Jonam* reprehendentis, dicto (hujus *Vaticc.* IV. 10. 11), quae *humanae mentis* ex affectibus *Divinae bonitatis indolem* ostendit *magnitudinemque* probat (3).

Sed, age, *alteram* etiam *Orationum sacrarum Seriem* lustremus, num quid ad hanc caussam pertinens inveniamus disquisituri. Cujus igitur *priore Fasciculo* concio nos advertit penul-

---

(1) Vid. *Oratt. s. Fasc.* I. (*Ench.* 1801), p. 29. 69. 103. — Si quid video, omnium praestantissimis hujus generis orationibus Clarissianis ternae hae sunt annumerandae. Tertiae certe aliquid tribuebat Auctor ipse modestissimus. Novi cui earum (conjungendae enim sunt) meditata lectio ad fidei confirmationem eximie profuerit. — Quae mox laudabitur, concio de *Rom.* I. 16 *ibidem* exstat p. 137.

(2) Vid. *Oratt. s. Fasc.* II. (*Amst.* 1810), p. 156—164, tum p. 319 seqq.

(3) Vid. *Fasc.* III. (*Amst.* 1817), p. 282. 31.

tima, quae *Christi*, *patiendo ac moriendo Patri obedientis*, *sanctitatem* defendit. Locum tractat *Joann.* X. 18[b]. *Demonstrativi* generis orationem esse, in *praefatione* monuerat Auctor. Strenue enim, ne de aliis dicam, eos refutat, qui ultimis in Christi fatis nihil *ipsi*, sponte suâ gravissimis de caussis perpessiones exantlanti, omnia *Judaeis* ac *Pilato* tribuerent, ac pro inani quâdam vitae terrestris *appendice* illius mortem haberent. — Nec *ibidem* oratio negligatur de *Psalmo* CIV. 30[b]; quae locum habet, et a nobis supra jam laudatum et omnium meditatione dignum, de *legibus naturalibus, non Dei sine Numine mundum regentibus* (1).

Ejusdem Seriei Fasciculo altero concio, quam aliis eximie profuisse novimus, nostris lectoribus omnino commendanda est, quae, a loco 1 *Timoth.* I. 15[a] profecta, *de consilio, quo in mundum venit Christus,* exponit. Quâcum, ut memorabili exemplo generum differentiam discernas, utiliter Palmianam, eodem de loco habitam, praestabilem etiam ipsam, comparabis. — Nec vero hunc de manibus deponas Manipulum, nisi lectâ loci *Jeremiani* (*Vaticc.* VIII. 9[b]) interpretatione, quae *de Verbi Divini repudiatione, a verâ sapientiâ abhorrente,* utiliter te docebit. — Atque ex parte etiam huc referri possunt, omnino comparanda illa, quae, ejusdem Manipuli orationem evolvens, *Jes.* LIV. 13 tractantem, *de Divinae Institutionis pretio* tradita leges (2).

Haec igitur de apologeticis, quae *utriusque Seriei Fasciculis* continentur, dicta sufficiant. Verum en tibi breviorem illum *Orationum Manipulum, quae ex singularibus exstiterant rerum temporumque opportunitatibus.* Ubi plura quidem, fidem quam dixi, firmiter fulcientia reperies; sed imprimis disquisitionem, quam legisse minime poenitebit, *de primorum Euangelii Nuntiorum et conditione et agendi ratione, illius veritatem probante*

---

(1) Vid. *Nov. Oratt. s. Fasc.* I. (*Amst.* 1823), p. 281 sqq., item p. 53—60; q. l., supra p. 155 de *satirico* genere, quod Cl. amabat, dicentes, attigimus.

(2) Vid. *Nov. Oratt. s. Fasc.* II. (*Amst.* 1828), p. 183. (coll. *Oratt.* Palm. prioris ed. T. II. p. 217) tum ejusd. Fasc. p. 29. 87.

ac divinitatem. Quam gravissimam actura caussam oratio, *Paulli* dicta, 2 *Corinth*. VI. 3—10, breviter interpretatur (1).

Etsi sic jam satis nobis apparuit, quam saepe Christi caussam in Christianorum templis defendendam susceperit Theologus; tamen ex iis quoque, quas aliis edendas concessit, sacris orationibus una alteraque certe breviter nobis attingenda videtur. Hujusmodi igitur sine dubio concio est *de vero Patriae amore, qui Christi exemplo spectetur*, cui locus praescriptus est *Luc*. XIX. 41; — item praeclarum illud orationis fragmentum *Paullino* super dicto, 2 *Corinth*. V. 7: *Fidentes ambulamus, nec res intuentes* (2).

Nonnullis quidem lectoribus taedium fortassè attulit orationum, in religione tuendâ versantium, longa haec ac jejuna recensio. Verum, si tam felici mihi esse contigerit, ut ad earum unam alteramque certe meditate legendam lectores impellam atque adducam, in verissimam ac saluberrimam animorum recreationem hoc eorum taedium conversum iri spero ac confido. Atque hâc ipsâ spe alliciente, *quomodo* gravissimo hoc penso functus sit, *qualem* se demonstraverit religionis Apologetam, nunc paucis declarare conabor. Ubi primum quidem nemini dubium esse potest, quin magnum huc *studium* contulerit, ac constanti cum *ardore* pro Christi caussâ decertaverit. Cujus *studii* testem habemus alacritatem ac promtitudinem, quâ nullas non opportunitates vel Euangelii praestantiam demonstrandi, vel oppugnatorum tela depellendi cupide eum quaerentem ac captantem videmus. Cum praesertim, in quocunque scribendi genere versaretur, quod quidem hujusmodi monitis locum non plane denegaret, ea cum dicendi argumento conjungere consueverit. Atque ejusdem, quo

(1) Ipsum hunc Fasciculum supra, p. 103, laudavimus. Quam nunc singulatim memoravimus, oratio legitur p. 67 sqq.

(2) *Illa* or. legitur in Eph. *Letterkundig Magazijn* ad a. 1830, p. 433; *haec* in op. J. H. Krom, *n. Christ. Mag*. I. 292. Utramque jam supra, p. 194, laudaveramus.

Apologeticen complectebatur, amoris testem advoco laetitiam, quam, quoties vel alios, vel cives imprimis religionis caussam strenue ac feliciter egisse acceperat, publice ac privatim demonstravit. Nec minus certam hujus sensûs studiique indicem excitare licet tristitiam, quâ eum affectum esse multi passim scriptorum censurarumque loci significant atque ostendunt; ubicunque vel Societates, quae sanctissimae caussae patrocinium susceperant, vel Viros doctos bonosque, qui suo Marte hoc stadium ingressi erant, minus scienter minusque caute rem agendo, religioni vel obfuisse vel certe non profuisse videbat.

Haud paucis enim a pietate laudandis religionis vindicibus *ζῆλον Θεοῦ, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν* inesse percipiebat ac dolebat. Scopulos igitur, in quos impegerant, evitare conatus, *studio* atque *ardori* comitem jungebat *prudentiam.* Quae sane longe plura, quam plerique putant, complectitur prudentia. Nam *et* in argumentorum, quibus Christi caussam defendas, sapiente delectu cernitur, *et* in aptâ, quâ se invicem confirment compleantque, copulatione, *et* vero in objectionum, plene perspectarum illarum, subtili nec infirmâ confutatione. Circumspectus igitur, si quis alius, de quo dicimus, Theologus omnium eorum argumentorum, quamvis celebratorum, quorum tenuitate in malam suspicionem ipsius Euangelii veritas adduci posset, vadimonium sibi plane deserendum putavit. Omnia ex suis in hoc genere disputationibus semovebat, quibus vel dubitantium animi *incertiores fierent, quam dudum;* vel malevolorum audacia augeretur atque acueretur. Ut non timendum esset ne ipsi quisquam objiceret aequus arbiter, quod nimis multis, eheu! optimarum rerum patronis objici potuit: *Non tali auxilio caussa eget, nec istâ tuâ defensione.*

Nec minore prudentiâ id agendum et sibi putavit et aliis praecepit, ut commodâ atque idoneâ certiorum argumentorum copulatione evidentior singulis vis constaret, ac firmiora Christi aedificio praesidia pararentur. Quâ in re gravissimâ quomodo versandum existimaret, brevi sed luculentâ eâdem commentatione

demonstravit, anno 1807 editâ, *de necessariâ interni atque externi pro religione Christianâ argumenti conjunctione* (1). Ecce igitur; ubi totam ejus *Apologeticen* legere possis (nec magno sine fructu leges), in compendium redactam. Eandem enim, cujus hoc loco auctor erat, argumenta copulandi ac connectendi viam rationemque et antea tenuerat, et postea, ad vitae finem usque, constanter tenuit ac sequendam commendavit. — Imprudentem igitur nec satis tutam improbavit concludendi rationem, quam bonis nonnullis, sed parum hîc acutis placere Viris videbat; qui, caeteris pro divinâ Christi auctoritate spretis aut certe sepositis argumentis, in solo acquiescerent *interno Spiritûs Sancti testimonio*. Amplo enim hoc et magnifico nomine persuasionem vocabant, quae hominis in animo ex compertâ Euangelii ad sese illustrandum, emendandum consolandumque vi et efficacitate nascitur atque exsistit. Quae persuasio quamvis nemini non optanda sit, ac summi boni loco habenda, tamen se videre constanter negabat Clarissius, quo tandem modo, si caetera non curaveris argumenta, hoc interni sensûs tui testimonio aliis, non fidentibus illis aut dubitantibus adeoque sensu illo carentibus, id, de quo tibi persuasum est, persuadere ac probare possis (2).

---

(1) Praeclara disputatio, tesseram praescriptam habens, argumento congruam: *Vis unita fortior*, legitur in *Cens. Censs.* II. 157—173. Nomen quidem non edidit Scriptor, sed ita Clarissiana est commentatio, ut de Auctore, nisi Virum ipsum ignoraveris, dubitare nequeas.

(2) Duobus imprimis locis hâc de re dixit Praeceptor, et in Disput. *de Ethices Christ. praestantiâ*, p. 224 sq.; ubi quoddammodo certe ex Quakerianorum, internam suam lucem laudantium, imitatione hanc ducit rationem; — et in *Biblioth. Litterat. theol.* T. II. P. 1. p. 115 sqq.; ubi, Vlotenii *Theologiam Biblicam* judicans, quid incommodorum habeat hujusmodi argumentatio copiose explicat. — Mihi quidem, ut hoc obiter dicam, haec ratiocinatio quodammodo cum Kantii *argumento morali pro Dei vitâ* comparanda videtur. Nam hoc quoque argumentum nihil, quo aliis de Deo vere vivente persuadeamus, nobis relinquit, nisi nostram q. d. *fidem subjectivam*, in necessariâ virtutem inter et felicitatem conjunctione fundatam. Quâ *fide* appellandâ quomodo Atheis persuadere possimus, necessariam, quam dixi, conjunctionem ridentibus, non video. Verum haec hactenus. — Caeterum, haec monendo, nullo modo hodiernos reprehendere volui Theologos, qui;

Nec minore cautione in Christianae religionis adversariis refutandis versabatur. Quâ in re duos, in quorum alterutrum multi inciderant, scopulos pariter evitavit. Alii enim (veluti ineunte hoc seculo nostrates non pauci), a quâ potissimum parte recentissimi fierent impetus minus accurate scientes, non raro diu deposita aut hebetata certe tela, quasi maximum Ecclesiae periculum minitantia, sibi depellenda duxerunt. Contrario errore alii, recentissima tantum curantes, paullo antiquiora fere ignorare visi sunt, vel ad oppugnandam religionem, vel ad defendendam depromta. Quamquam *haec* plerumque *illorum* semina continent, et ad *illa* recte percipienda viam muniunt, nec pauca subsidia offerunt. Quod ne hodiernis nonnullis usu veniat, quorum ingenium admiror, optimae caussae defensoribus subinde timere soleo. Enimvero Euangelii cum oppugnatio tum defensio unam aliquam continet, atque Historiae discipulo conspiciendam praebet, seculorum cursu vix aut ne vix quidem interruptam seriem et catenam, cujus inferiores quaeque partes cum superioribus quibusque, sed maxime cum proxime superioribus, connexae sunt ac conjunctae. Cui consequens est, ut qui infimas tantum, id est proximo tempore adjectas, hujus catenae partes cognitas habeat, ne de his quidem scienter ac prudenter judicare possit. Quae cum ita sint, quis non Clarissii prudentiam laudabit ac religionem; qui, de Christi et *miraculis* et *doctrinâ morali*, de ejus *Legatorum auctoritate*, de universi *Euangelii veritate* cum adversariis publice disceptaturus, nihil sibi prius aut potius agendum putavit, quam ut, perspectâ illâ, quam diximus, catenâ, *recentia* cum *antiquis* compararet, ac judiciis, quae de *illis* sibi ferenda videbat, ex *horum* fonte et lucem afferret et firmitatem pararet?

Verum erunt fortasse qui haec narranti mihi sic occurrant:

---

fortasse longe diverso significatu, *Spiritûs Sancti testimonium* laudant. Nam hoc potissimum tempore quotidiana nos docet experientia, quam saepe in Philosophiâ ac Theologiâ, ubi eadem sunt verba, plane diversae res sint rerumque notiones.

»*Quid tu, quae proxima dixisti, ad Apologetae* prudentiam *potius retulisti*, *quam ad* doctrinae copiam, *quam Euangelii defendendi ministram fecit atque advocavit?*" — Equidem pari fere jure id fieri potuisse non negaverim. Neque enim quam laudavi cauta *prudentia,* nisi copiosâ adjutrice *eruditione,* exsistere potuisset. Verum neque *haec,* nisi *illâ* duce usa, Christi caussae multum profuisset. Tum, *doctrinam* singulatim praedicando, quam nihil quidquam, quod arma huic militiae suppeditaret, latuerit; verum quidem dixerim, immo verissimum; sed nihil novi, nihil quod non attento hujus narrationis lectori decantatum fere videri debeat. Quid enim? Si nunquam non docte et subtiliter res egit, de quo dicimus, Theologus; si popularibus etiam scriptis passim late patentis eruditionis manifesta vestigia impressit; quid eum, Christi sub signis hâc in acie merentem, fecisse censebimus; ubi tot et tam varia, quae depellenda erant, hostium tela, ubi armorum, quibus castra sacrosancta defendenda erant, tanta illa varietas totius hujus militiae peritissimum Virum omnino requirebant?

His modo scriptis Ciceronis locum opportune recordor, ubi, cum Epicuri, doctrinae studia contemnentis, sectatore disceptans, *Dialecticam* praedicat. »*Quae,*" inquit, »*una continet* »*omnem et perspiciendi*, *quid in quâque re sit*, *scientiam et* »*judicandi, quale quidque sit, et ratione ac viâ disputandi*" (1). Id si vere Tullius, nec facile falsum quis arguet, profecto non potuit non strenuus ac felix coelestis doctrinae vindex esse Theologus, cui, de omnium consensu, tanquam propria quaedam dos dialectica ingenii vis ac subtilitas obtigerat. Quod profecto praejudicium exitus luculenter comprobavit. Sive enim Christi cum contemtoribus dimicantem eum audias, seu honesti certaminis socios eorumque libros vel laeto animo laudantem, vel tristi reprehendentem videas; ubique *ratione ac viâ disputantem,* ubique *quid in quâque re sit et quale quidque sit,* subtili acumine

(1) *De Fin.* II. 6.

discernentem ac judicantem admiraberis. Fuerint sane, nec enim infitior, in antiquioribus maxime *Apologetices* Christianae Statoribus, qui parem, qui majorem etiam huc afferrent doctrinae varietatem et copiam et ubertatem; at in iis ipsis haud paucos fuisse dolendum est, qui, caeteris laudibus cumulatissimi, unius parum memores essent Quinctiliani, haec verissime monentis, quae nostrae huic quaestioni accommodare licet. »*Ut opera* »*exstruentibus*," inquit, »*satis non est saxa atque materiam et* »*caetera aedificanti utilia congerere, nisi disponendis iis collo-* »*candisque artificum manus adhibeatur; sic in dicendo*" [ac reli- »gionis caussam agendo] »*quamlibet abundans rerum copia cu-* »*mulum tantum habeat atque congestum, nisi illas eadem* Dispo- »sitio *in ordinem digestas atque inter se commissas devinxerit*" (1).

Ecce! vidistis, quam scite et quam vere *Dispositionem* laudet Rhetor prudentissimus, quae, cunctas orationis aut disputationis partes concinnum in ordinem digerens, ex rerum cumulo ac congestu pulcrum exstruit firmumque aedificium. Haec ipsa igitur Dispositionis elegantia Theologi scriptorum, de quibus dicimus, praestantiam novo nec levi comprobat argumento. Nam singuli fere eorum loci paginaeque auctorem nobis ostendunt, qui magnam illam artem totum suas in partes, genera suas in formas apte dispertiendi et suo quodque loco ponendi ita teneret, ut *eum nec facundia desereret unquam, nec lucidus ordo*. Cujus igitur vel maxime apparet exemplo, *quantum series juncturaque polleat* (2). Universe ut dicam, quo subtilior erat et quo acutior *Dialecticus*, eo majoris ipsius opera, coelestem Euangelii originem tuentia, nobis facienda sunt.

Sed haec dicenti mihi quempiam objicientem audire videor, qui reponat: »*Ain' tu? Adeone ignoras* disputatricem *esse*, »*quod idem docuit, quem modo laudâsti, Rhetor* (3), Dialecti-

---

(1) Vid. Quinctil. *Inst. Orat.* L. VII. praefat.
(2) Vid. Horatius, *de Arte Poët.*, vs. 41 et vs. 242.
(3) Vid. Quinctil. l. l. XIII. 2.

»cen, *nec tam verum tuendi studio duci, quam, quod in So-* »*phistis antiqui reprehenderunt, inferiorem caussam disputatione* »*faciendi superiorem?"* — Et audio, et ne de iis quidem omnibus, qui aut religionem aut sua potius de rebus divinis placita propugnârunt, me negare posse doleo. Verum non longius a *Theologi* germani personâ ac dignitate haec eorum sophismata abhorrent, quam ab ingenuâ illâ *liberalitate*, quam, et in totâ vitâ et in Euangelii caussâ agendâ, monitis commendavit atque exemplo praeivit Amicus. Quâ de re quamvis multa dici possint, tamen ne supra tradita repetam (1), unum fere hoc dixisse suffecerit: *Idem hîc fuit, qui semper, eundem hîc se praestitit, quem ubique, quem in omnibus.* Nam, ante hos jam quadraginta annos, Teilerianae Societatis tesseram, quae *ex libertate veram efflorescere rerum divinarum cognitionem* affirmat, impense laudandam sibi videri publice declaravit (2). Nunquam adversariorum placita, nisi ex ipsis fontibus plene cognita, reprehendit ac confutavit; nunquam *narrando depravavit;* nunquam invidiose atque acerbe traduxit; nec unquam, nisi invitum cogente captionum manifestâ fraudulentiâ, ex consiliorum repetiit malignitate. Atque iisdem in adversariis quae laudabilia viderentur candide laudabat; quae veri semina falsis eorum opinionibus subessent aut admixta apparerent generose depromebat; quaeque, sine optimae caussae damno, iis concedi posse putaret lubentissime concedebat. Non antiqua, quod vetustatis auctoritatem habebant, sibi propugnanda, nec magis nova, quod a vulgo receptis Theologorum opinionibus recedebant, sibi respuenda duxit. Ut paucis complectar; eâ aequitate et moderatione et liberalitate publice ac privatim religionis caussam egit, ut non suam, sed Christi gloriam eum quaerere, nec suae magis, cui nomen dederat, Societatis, quam universae Reipublicae Christianae honorem atque incolumitatem curare, omnes viderent a partium studiis alieni lectores.

---

(1) Vid. supra, p. 158 sqq.

(2) *Biblioth. Litt. theol.* I. 33.

Sed satis jam demonstrâsse videmur, quanto cum *studii ardore*, quam *prudenter*, quam *docte* et *acute*, quam *liberaliter* Apologetae munere atque officio perfunctus sit Amicus. Cujus scripta atque orationes si, vivente auctore, haud paucorum animos Christo conciliârunt aut firmiore fidei vinculo devinxerunt; utinam, post ejus discessum, a pluribus etiam lectae ac meditatae, hunc iis fructum ferant uberrimum, ut quâ fidei constantiâ viventem ac morientem vidimus Auctorem, eâdem ipsi suffulti et vitae aerumnas et mortis terrores vincere discant! (1).

---

(1) Plurimae hujus Theologi apologeticis de libris relationes tam singulare acumen habent tantamque prudentiam et universe praestantiam, ut facere non possim quin earum unam alteramque certe hîc lectoribus in memoriam revocem. Quamquam in iis esse non ignoro, quas jam antea aliis de caussis laudaverim. Sed mihi ignoscas obsecro, quod ex quibus ipse multa profeci, hinc alios etiam doctrinae fructibus auctos valde cupio.

Prae caeteris igitur attendatur, *Cens. Censs.* VIII. 431—449, censura commentationis Kampenianae (N. G. v. Kampen) *de antiquorum populorum felicitate, virtute* caet. Quod fortasse omnium Kampenii scriptorum, quae mihi quidem cognita sunt, praestantissimum est. Cui igitur suo merito magnas laudes tribuit Censor. Sed vide quantopere huic religionis Christianae defensio curae cordique esset; de docte ac prudenter scriptis apologeticis libris quomodo in sinu gauderet; eorumque de re Christianâ bene meritos auctores quantis laudibus prosequeretur. Quorum dictorum quo testatior tibi fides sit, conferas, aliis etiam de caussis lectu dignas, censuras *Conspectûs* Palejani, *Cens. Censs.* II. 93; — Reinhardii, *de Christi consilio, ibidem*, III. 291; — Valkii, *Christi* et *Philosophorum vett.* Ethicam comparantis, *ibidem*, VIII. 381; — Davidis Bogue, *de div. auctoritate N. T.*, *ibid.* IX. 347, in fine relationis.

Religionem Christianam vel impugnari vel contemni, ejusque negligi defensionem, vide quam acerbe se dolere significet, *ibidem*, XI. 22. XVI. 638. — De *animi pietate fidei Christo habendae adjutrice*, disputantem eum consulas, *ibidem*, VII. 215.

Prudentia ejus *apologetica* saepissime apparet; veluti ubi agit de Stronckii *diss. Bibl. Litt. theol.* I. 344; — de *Societatis Hag. pro def. rel. Christ. principio*, *Cens. Censs.* VII, imprimis p. 76; — de Chalmersii opere, *ibidem*, XIV. 465.

Ab *acumine* et *doctrinae copiâ* et *ubertate* pleraeque commendantur hoc in

genere relationes. Singulari tamen attentione dignae de Borgero et Hengelio, Eberhardium refutantibus, *Cens. Censs.* XI. 1—23; — magis etiam de alio Borgeri libro, *ejusdem Tomi* p. 193; — porro de Metgero ac Seltenreichio, quorum *disputt. de Spiritûs S. effusione* a Soc. Hag. editae erant, *ibidem*, XII. 477; — de Franckii libro, a Krommio emendato, *ibidem*, XVI. 629.

Apologetae *liberalitatem* multae testantur censurae. Ut aliquid certe sit exemplorum, vidd. quae dixit de Folmeri diatribe, *mundi infantiam* explicante, *Cens. Censs.* VII. 161 [ubi conff. p. 214. 215, dicta in laudem Purgoldi]; — de Paravio, *mythicam S. S. interpretationem impugnante, ibidem*, X, impr. p. 13.

Tandem lectu dignissima quae de *Apologeticâ* monuit, *Epit. Encycl.* § 54. 55.

SEGMENTUM TERTIUM.

DE CLARISSIO CODICIS SACRI INTERPRETE.

A Praeceptore nostro, cum Harderovici tum Leidae docente, frequenter *Scholas* habitas esse *criticas*, *hermeneuticas*, *exegeticas*, nec numero paucas illas nec pretio leves, quibus, vel in *Vetere* vel in *Novo Foedere*, et librorum auctoritas excutienda et lectionis atque interpretationis veritas quaerenda proponeretur; id igitur et supra narravimus, et nunc ita lectoribus in memoriam revocamus, ut ad discipulorum mentes acuendas ac nobilissimâ arte imbuendas eximie compositas illas fuisse Scholas, condiscipulorum nemine dissentiente, affirmare non vereamur (1). Sed hinc si discedimus, atque *editis* ex *scriptis* interpretis merita metiri malumus, prima haec nobis discutienda venit quaestio. Utrum hîc eorum tantum scriptorum ratio habenda est, quorum primarium hoc consilium erat, ut corruptis S. C. locis certior medela pararetur et obscuris clarior lux afferretur, quaeque igitur solos curabant lectores *eruditos?* An vero ii etiam ipsi nobis in censum veniunt illius libri, qui id potissimum agebant ut operae, a doctissimis quibusque Viris in explicandis Utriusque Foederis scriptis collocatae, fructus ad eos quoque Christi cultores perferrentur, quibus nulla Theologorum

(1) Cff. supra dicta p. 60 seq. et p. 87.

eruditio, sed sola Sacrarum Litterarum intelligentia curae cordique esset? Ad quam quidem quaestionem ita mihi respondendum videtur, ut *populari* etiam, quam posteriorem dixi, sua constet integra laus interpretationi, fortasse minus aliquanto splendida, quam quae *doctae* tribui solet, prius a nobis memoratae, enarrationi, sed magna tamen eadem, quin maxima. Ex *difficultate* enim si rerum agendarum pretium aestimandum putas, universe in doctorum usus scribere facilius est, quam in non doctorum: plerumque enim intelligenti una vox lecta aut audita sufficit, ubi minus intelligenti vix multa. A *populari* quidem interprete non ita manifesto proditur, fateor enim, doctrinae copia; at non minor in eo, ut par est, rem gravissimam acturo, requiritur illa. In *doctâ* interpretatione fit subinde, nec nimis raro, ut ambitiosius, quam necesse erat, sese jactare ac venditare deprehendatur *Eruditio*. In *populari* vero non minus certa nec minus necessaria praestat officia; sed velato veluti capite se tegit, nec ullam magnopere meritorum laudem quaerit. Quam propter modestiam utrum suâ sit laude defraudanda videas, an potius majoris aestimanda.

Tum ex *utilitate* si rerum pretium metiendum est; paratior haud dubie multis proficiendi lectoribus opportunitas *populari* est interpretationi, quam illi, cujus nullis nisi *doctis* usus esse potest. Et vero, quod unum caussam continet, nihil quidquam *Theologi* personae magis convenit, nec ullum ei honorificentius munus impositum est, quam ut Christianorum *οἰκοδομῆς* minister esse conetur atque adjutor. Quod nullâ fieri posse efficaciore ratione nec magis fructuosâ, quam ex sanctissimi Codicis, qui unus uberrimus sapientiae ac virtutis fons est, veluti flumine purissimo salutaria fidei vitaeque regundae praecepta ad quam plurimorum animos derivando, nemo est qui non videat atque assentiat.

Haec si vere disputavimus, nec facile peritum quemquam rerum nostrarum arbitrum in diversa abiturum puto, non dubi-

tandum erit, quin de *Novi Foederis* imprimis interpretatione insigniter meritus sit Clarissius; quippe qui, multas gravesque ejus partes populariter interpretatus, maturos hos studiorum fructus, magis etiam a praestantiâ quam a copiâ laudandos illos, civium permultorum ad utilitatem edendos curaverit. Neque enim commentarii tantum practici hîc in censum veniunt, quibus et *Lucanea Apostolorum Acta* et *Jacobi epistolam* illustravit; sed plurima item commentariola, in laudatissimo illo opere consignata, quo *domesticae pietatis exercitationi* pabula paravit (1). Ac multae accedunt, ne aliis de commentationibus dicam, *orationes sacrae*, nullo jure hîc a nobis negligendae; eae imprimis, quales non paucae, quibus majorum S. S. locorum proposita erat enarratio. Et illis igitur in operibus et his in orationibus et alibi saepe, sic interpretis munere eum functum videmus, ut et locos vernacule convertendo et, ubicunque res requirebat, paraphrasin ac scholia interponendo aut subjiciendo, non plane incultis quibusque lectoribus maxime commodam, quâ sibi S. C. aperirent, clavem porrigeret. Universe enim valde *accurate* et *perspicue* et *breviter* et *prudenter* gravissimo hoc in penso versatus est, idque peragendum curavit.

Fieri quidem possit ut qui illam unice probant, quam recentissimi artis Magistri commendârunt, interpretandi *subtilitatem*, in nonnullorum locorum vel translatione vel paraphrasi eam desiderari putent. Nec praefracte ego negaverim, Ernestii sui praecepta de nullâ alieno loco quaerendâ *emphasi* studiose secu-

(1) Cff. supra dicta, p. 38. 45. 96, tum p. 105. — Sed horum operum alterius me nondum accurate indicâsse inscriptionem video. Est igitur haec: *De brief van Jak. van nieuws, met ingevoegde korte ophelderingen vertaald*, en, *door praktikale aanmerkk. in vertoogen, voor de huisselijke Stichting bearbeid door* J. Cl., *Pred. te Enkh.; Amst.* 1802. Universe valde laudatum videmus opus, et in *Biblioth. Litt. theol.* I. 330 seqq., et in *alg. vad. Letteroeff. ad a.* 1803, p. 8 sqq. Quae enim minus probare videtur uterque Censor, haec adjectas potius tangunt admonitiones, quam ipsam interpretationem. Caeterum operae pretium est perpendere, quomodo et quali aequitate eos judicaverit, qui post se idem aut fere idem egerant; Stuartium quidem in *Cens. Censs.* I. 465; Kooteniuum vero *ibidem* XV. 95.

tum eum, aliquando in contrarium impegisse scopulum videri posse. Verum et pauci illi loci sunt, et ii fere, de quorum sententiâ probabiliter in utramque partem disputes. Sed omnino aliud etiam ejusdem Ernestii, Viri in paucis magni, praeceptum hermeneuticum memorandum est, cum ad Clarissii rationem explicandam haud dubie valeat. »*Cum versiones*," ait, »*fiant non eruditis, qui ipsi intelligere auctorum orationem* »*possint, sed aliis imprimisque populo, tolerabilius est ab his* »*legibus*" [quas modo antea interpretibus scripserat] »*recedere in* »*hanc partem, ut sensus verborum in promtu sit, etsi necesse non* »*erat deserere formam phraseos auctoris*" (1). —Haec igitur cum ille praecepisset, cujus auctoritatem in omni hâc re maximi faciebat, de quo dicimus, Theologus, non est sane quod miremur, si subinde paullo longius, quam necesse fuerat, ab auctoris verbis recedentem videmus. Cum praesertim, probantibus Muntinghio et Heringâ, eodem hoc modo praeivisset, *Euangelia* enarrans, Bergenius, cujus ad exemplum ac rationem *Acta Apostolorum* illustrare instituit. Quamquam paullo pressius, quam hunc, archetypi verba vertendo sese secutum esse vere profitetur (2). Verum quam candide haec largienda duxi, etsi fortasse non omnibus approbantibus dilectissimi nostri Praeceptoris amicis; tam firmiter assevero longe plerisque locis summâ fide atque *ἀκριβείᾳ*, ejusdem Ernestii de praecepto eum »*sensus auctoris, sine ullâ aut detractione aut adjunctione aut im*»*mutatione denique, expressisse* (3).

Ac, sicubi paullo liberius vertebat, nec semper ita presse, quam fieri potuerat, auctoris verba sequebatur, id imprimis spectavit ut *plane* ac *perspicue* ejus reponeret sententias ac lectoribus cognoscendas traderet. In quibus non facile quemquam non stupidissimum fuisse confido, qui vel de translationis vel de paraphraseos vel de scholiorum obscuritate conquereretur. Quam

---

(1) Vid. *Inst. Interpr. N. T.* P. II. Cap. I. §. 10.

(2) Vid. *Comm. in Acta App.*, praefat. ed. 2, p. XXI.

(3) Vid. l. l. § 2.

perspicuitatis virtutem eo majoris faciendam esse existimabimus, quo accuratius perpenderimus, ad indoctorum captum atque intelligentiam sese plane demittere, quam difficile huic potissimum esse debuerit tam subtiliter cogitanti, tam acute sentienti scriptori (1).

»*Sit sane satis perspicua haec interpretatio,*" ita fortasse quis mihi reponet, »*neque enim nego; sed quod ejus laudâsti* brevi»tatem; *ubi tibi mens fuit? Adeone ignoras quam molem ha»beant et quot paginas impleant, quos et in* Apostolorum Acta *et »in* Jacobum *scripsit, commentarii?* — Enimvero ita bipertita sunt haec opera, ut et ipsorum locorum interpretationem contineant, et hinc haustas subjiciant admonitiones utilissimas ac cohortationes. Jam de *posteriore* hâc utriusque libri parte hoc quidem loco non quaerimus. Quamquam paginarum numerum rerum ubertas, praeceptorum sapientia, consolationum gravitas non tantum excusare videtur, sed abunde compensare. Ad *priorem* vero partem, id est ad ipsam *interpretationem,* quod attinet, de quâ unâ nunc agimus; haec eâ fere, quâ major sine perspicuitatis detrimento esse vix potuerat, verborum atque enuntiationum brevitate quaecunque ad loci sententiam plene intelligendam requiras continet ac constringit.

Tandem accedit non ultima popularis interpretationis virtus *prudentia.* Cum enim iis etiam Christianis, qui in religionis caussâ non plane sibi consentirent, pro virili parte prodesse conaretur auctor, ne quidquam diceret, quo sine necessitate eorum offendi possent animi, diligenter atque amanter cavendum sibi putavit (2). Et vero, si quos historiae aut doctrinae sacrae locos interpretandos inveniebat, qui ne antiquorum mores ac dicendi genus ignorantibus scrupulos injicerent metuendum esset, his plerumque eam vel ex Antiquitatis scientiâ vel aliunde haustam

---

(1) Mirâ perspicuitate atque ingenuâ simplicitate non raro longiores ac difficiliores S. S. locos interpretantem videmus. Quo in genere de meliore notâ, unam ex multis, legendam orationem commendamus de 1 *Corinth.* XIII. XIV. 1ª. Vid. *Letterkundig Maandwerk voor* 1827, *miscell.* p. 453—472.

(2) Vid. praef. laud. *Comment. in Acta App.*, p. XXI.

lucem afferebat, ut difficultates non prius objectas animadverterent, quam remotas viderent lectores.

Verum quae de *populari* Sacrarum Litterarum intelligentiâ, cui egregie profuerint Amici scripta, verissime diximus; nemo in eam partem accipiat velim, quasi non ita multa illius operae debuerit *docta* earundem interpretatio. Contrarium enim vel ipsa illa satis demonstrant quae modo attigimus, opera ac scriptiones populares. Unde sane, si quis id agat, longe plures haurire possit ac sibi colligere plane novas atque uni auctoris ingenio debitas haud paucorum S. C. locorum interpretationes, quam ex multorum, qui ab eruditione potissimum laudari volunt, commentariis hodiernis. Nec sane decantata, sine novorum partu repetita, poteras a Viro exspectare, qui et suus fuit, ut nemo magis, et qui vere de se profiteri potuit, minime gloriosus ille: »*Equidem*," inquit, »*priusquam plures pervolvam commentarios, ipsum adire Codicem Sacrum, a* Moro *edoctus mature didici*" (1).

Sed apprime nobis utile est Theologis ut, interpretum generibus accurate notatis, quae potissimum apud eorum quemque quaerenda sint perspiciamus. Sic a J. D. Michaëlide atque a Palmio, quae ad res Orientalium antiquas, ad eorumque mores ac terras cognoscendas pertinent requiremus; a Schultensiis, Gesenio, Ewaldio, quae ad Hebraeorum linguam; a Winero ac Fritzschio, quae ad Euangelistarum atque Apostolorum sermonem, Hebraico colore tinctum illum distinctumque. Atque haud aliter a Clarissio, ut ad hunc redeam, *dialecticae* seu *logicae* ac *psychologicae*, quam hodie fere dicimus, interpretationis luculentissima petetis exempla. Nec multos enim ullo tempore fuisse interpretes putaverim, quibus majore

(1) Haec in comm. de 1 *Timoth.* VI. 13^b^. Vid. J. H. Krom, *n. Christ. Magaz.* III. 278.

ingenii facilitate in alienae argumentationis profunditatem et recessus sese insinuare contigerit. Ac *Novi* singulatim *Testamenti* interpretum quotusquisque fuit, qui hujus instar veluti una cum auctoribus sacris cogitare, ac cogitantes eos mente comitari didicisset? Vide, ut hoc utar, *Paullinarum epistolarum* in loco quopiam, obscuriorem nexum habente ac ratiocinationem, quomodo versetur. Quid nunc potissimum docere voluerit Apostolus ac demonstrare, quam acute ex totâ oratione contextâ, tanquam rerum summâ subductâ, efficit ac definiendum curat! Quali solertiâ totam enuntiationum argumentorumque seriem ac catenam persequitur et assequitur! Cujus initia et gressum et exitum quam clare tanquam intento tibi digito ostendit! Ecce latentia in Apostoli animo cogitata, quae quidem, rapide scribens ac concitate, non diserte enuntiavit, sed quibus demum assumtis suppletisque sibi constat atque apte cohaeret argumentatio. Quam rarâ haec sagacitate tanquam ex fugâ retrahit et elicit et omnibus percipienda producit! Quid multa? Haud deesse scio qui *Paulli* singulatim argumentationibus vituperandis, forsitan aliis, sed sibi certe mire placeant. Quidni enim offusas sibi nebulas apostolicae potius ratiocinationis vitiis tribuant, quam suo vel stupori vel praecipitantiae vel stili Paullini ignorantiae? Qui vero, si *dialecticae* ac *psychologicae* interpretationis exemplum sibi proponerent Clarissium, fortasse paullo minus loquaces, sed certe subtiliores fierent melioresque et illius, quem diximus, Apostoli et caeterorum N. T. auctorum interpretes (1).

---

(1) Vid. modo antea laudata comm. de 1 *Timoth.* VI. 13b; ubi a *dialecticâ* hâc interpretatione Calvinum imprimis laudat; quamquam ubi ipse pulcherrime hanc, quam dixi, viam persequitur, modeste, ab omni alienus jactatione, ex *contextâ* tantum *oratione* explicationem se hausisse affirmat. — Admirabili subtilitate psychologicâ Paullini animi commotiones explicat, in or. *de Apostoli aequabilitate*, ad locum *Philipp.* IV. 10—20. V. *Leerredd. naar de behoeften van onzen leeftijd*, p. 253 sqq. — Ex loci argumentatione, imprimis etiam ex *antithesi*, ingeniose explicat *Coloss.* III. 1—4; *Cens. Censs.* XI. 399 *miscell.* Ubi prudenter monet ne justo argutius hâc in re versemur. Nec negligenda comm. de 1 *Corinth.* XV. 29; in op. Van Willes, *Bijdr. tot bevord. van bijb. Uitlegk.* III. 37 sqq. Quamquam hîc quidem a Praecep-

Sed *practicorum* Theologi operum consideratio ac novae lucis, quam aliud agendo haud paucis Librorum Sacrorum locis haec ipsa attulerunt, debita laudatio in eum jam locum sponte nos deduxit, ut de *doctiore* etiam eorum interpretatione quam bene meruerit paucis moneremus. Nec tamen, hâc dicendi opportunitate a viâ avocati, committere debebamus ut Quinctiliani, qui: »*Enarrationem*," ait, »*emendata praecedat lectio*," obliti videremur. *Criticam* enim *sacram* non inornatam reliquisse Virum, qui eâ in paucis erat ingenii solertiâ ac sagacitate, quam haec prae caeteris sibi requirit doctrina, id igitur quae supra de *criticis* illius Scholis diximus jam satis docuerunt. Verum alia sunt hîc non plane praetermittenda. In librariorum, medio, quod dicimus, aevo Codices describentium, vitiis atque erroribus hunc non infrequentem fuisse vulgo notum est, ut vel singulas voces vel tota dicta, suo loco perperam omissa, alieno deinceps in textum inculcarent. Unde Criticae conjecturalis officium nascitur, *iis, quae non justo loco posita videantur, in aptiorem trajectis*, hujusmodi menda, si fieri possit, ingenii vi tollendi. Hanc igitur medelam pluribus Novi Foederis locis applicandam esse, non majore ingenii felicitate, quam doctrinae ubertate, demonstrare conatus est. Ubi primum binae nobis in censum veniunt commentationes singulares, quibus cum *Matthaei Euangelio*, XXI. 42—44, tum *Epistolae ad Romanos*, II. 11—17, nonnulla transponendo medicinam parare studuit (1). Tum perpendenda monita, quibus datâ opportunitate *Euangelii Joannei* no-

tore dilectissimo mihi dissentiendum videtur. — Longe majorem certe laudem habere videntur quae, *parallelismi membrorum* ratione habitâ, de 2 *Corinth.* V. 18—21 diu antea disputaverat in *Biblioth. Litt. theol.* Tom. V. p. 1 sqq. Quae quicunque classicum locum recte intelligere volunt accurate perpendant suadeo. Verum haec tantum exempli gratiâ memoravimus: nam passim alii hujus generis loci in ejus scriptis inveniuntur, qui eâdem cernuntur subtilitate dialecticâ ac psychologicâ. Veluti confecti *Psalmi* XXIII tempus acutissime definiendum curat in *Cens. Censs. miscell.*, XIV. 5—12.

(1) Vid. *Cens. Censs.* I. 51. 337. 433, *miscell.*

tissimae narrationi *de muliere adulterâ* eodem adhibito remedio prodesse studuit. Etenim hanc etiam ipsam alium in locum transferendam esse suspicatur (1). Nec plane diversi generis conjecturae sunt, quibus dicta apostolica tentanda putavit, quae reperiuntur 2 *Corinth.* V. 7, *Ephes.* V. 9, 1 *Petr.* II. 7, item ejusdem *Cap. sect.* 15 (2).

Verum hâc ipsâ in re modestiam demonstravit, quam non omnium propriam esse Criticorum ajunt. *Lucae* enim *Actuum* interpretatione perlustratâ, plures eum locos commodâ verborum aut dictorum trajectione concinniores reddidisse videbis; sed adeo nullam his ex conjecturis sibi laudem quaesivisse, ut uno tantum *praefationis* dicto brevissimo sese id egisse obiter certiores redderet lectores (3). Quamvis vero modeste suis de conjecturis statuerit Auctor, non exiguam tamen nec ambiguam iis laudem tribuendam esse existimo. Quod non ita profecto dico, ut omnibus, quos transponendo sanare studuit, locis veram scriptorum manum restituisse confidam. Quae plane singularis atque inaudita fuisset ejus felicitas. Cum praesertim ad Novi Foederis librorum lectionem definiendam tot advocare possimus Codicum, Versionum, Patrum testimonia, ut *plerisque*, quae nullum plane in testium auctoritate praesidium habent, conjecturis non magna probabilitatis commendatio relinqui videatur. Sed hoc affirmare non vereor, paucissimos fuisse, qui in difficillimam hanc palaestram criticam, ubi plerosque misere hallucinantes vidimus, tam felix ingenium, tam copiosam doctrinam, tam cautam prudentiam afferrent.

---

(1) Vid. *ibid.* IX. 11 *recenss.*

(2) Omnino consulenda quae *eodem in op.* dixit XI. 244 seqq.; ubi refert de Ev. Wassenberghii *diss. de trajectionibus in N. T. contextu saepe necessariis*, praemissâ illâ Tomo II. *Selectorum e Scholis* L. C. Valckenarii; *Amst.* 1817. — Nec negligenda quae proximo anno, *ibidem* X. 58, in censurâ monuerat *dissertationis*, quam idem Vir laudatissimus ejusd. op. Tomo I praemiserat, de *Glossis Nov. Test.* Admodum memorabilia sunt quae utroque loco de quaestione disceptantur, utrum *Critices sacrae* magis idonei arbitri *Litteratores* habendi sint, an *Theologi.*

(3) *Praef.* p. XXI ed. 2.

Id unum si ageremus, Lectores! ut *Criticum* spectaremus Clarissium, plura alia nobis memoranda sint unde, quam feliciter hujus partes et descripserit et egerit ipse, luculentius etiam constaret. Denuo enim laudanda foret Griethusenii *pro Euangelii Joannei αὐθεντίᾳ dissertatio.* In quâ scribendâ quam certum fidelemque ducem habuerit Praesidem, candide professus est auctor. Ac si omnia persequi liceret, non paucas in memoriam tibi revocarem de libris editis censuras, qui Criticum nobis demonstrant scopuloso hoc in aequore tam certo cursu navigantem, ut nunquam vel in *superstitionis* Syrtim impingeret vel in oppositam *temeritatis* Charybdim (1). Verum cum multa nobis narranda restent, critica haec lectoribus inquirenda relinquere praestat.

Instat igitur ut de doctâ *Novi Foederis* interpretatione alia pauca moneamus. Quamquam ex fructibus cognoscitur arboris praestantia, dictaque adeo de Litterarum Sacrarum *populari*, sed eâdem *dialecticâ* explicatione unice rectam, quam praecipit Hermeneutica, rationem hîc eum secutum esse ac sequendam commendâsse manifesto docent. Et vero nostram hanc artem ab iisdem regi legibus generalibus, quae in nullo non scripto enarrando valent, quali sapientiâ ac constantiâ discipulis demonstrare solitus sit, ex superiore jam nobis constitit narratione (2). Quo-

---

(1) In *Cens. Censs.* XV. 96 *recenss., de scriptis N. T. ἀντιλεγομένοις* sic disputat, ut, etiamsi forte ipsâ de re paullo aliter statuas, tamen cautam ac modestam Critici prudentiam, *quae ab incertis assensionem cohibet*, non laudare non possis. — Verum luculentius etiam eadem virtus in palmari cernitur censurâ Cromii contra Bretschneideri *Probabb.* disputantis, *ibidem*, XVII. 483 seqq. — Suspectam sibi videri doxologiam *Matth.* VI. 13b candide, nec profecto immerito, profitetur, *eodem in opere*, VIII. 377 *recenss.*

Pauci sane fuerunt, qui de universâ Criticâ sacrâ singulisque ejus partibus paucarum spatio paginarum tot monita doctissima, tot praecepta saluberrima complexi sint, quam Clarissius, *Encycl. epit.* p. 237—272.

(2) Vid. p. 60. 61.

circa paucis, quae dicta illustrent confirmentque, adjiciendis defungi licebit. Quo tempore igitur, Gelrorum cathedrâ theologicâ conscensâ, subtiliorem Novi Foederis interpretationem nobis praeire incepit Praeceptor, viridis ac recens omnibus harum rerum curiosis memoria erat orationis, quâ modo antea Joannem Aug. Ernestium *optimum post* Hugonem Grotium *ducem et magistrum* N. T. *interpretum* laudaverat Voorstius, Theologus Leidensis, cujus tunc Schola hermeneutica atque exegetica ita florebat, ut nulla magis (1). Quâ laude Ernestio cumulate tribuendâ, ineunte hoc Seculo ac diu postea, celebratissimi quique consenserunt, cum in Germaniâ tum apud nos, harum Litterarum Doctores. A quibus minime dissentiens, Clarissius quae recte atque utiliter praeceperat magnus ille interpretum dux Lipsiensis, quâcunque poterat opportunitate, sequenda commendabat (2). Atque hujus adeo auctoritati si fortasse nonnunquam nimium tribuit, quod non plane nego; alibi certe, nec raro Scholae Ernestinae, vel vagae potius, quae ex Ernestii praeceptorum abusu exstiterat, disciplinae vitia atqua errores diserte graviterque reprehendit; atque ita civium ac discipulorum animos illi amplectendae, quae nunc ab ἀκριβείᾳ potissimum laudatur, interpretandi Novi Foederis viae ac rationi efficaciter praeparâsse censendus est (3). Quo ipso nostrâ de arte non

---

(1) Orationem edidit Voorstius, L. B. 1804. 4. De ejusdem Scholâ exegeticâ vidd. quae dixit C. A. T. Keil, in *epistolâ* ad eum datâ, quae praemissa est *Elementis Herm. N. T.*, *Latine redditis a.* C. A. G. Emmerling; *Lips.* 1811. Quamquam prae caeteris omnibus consulenda *Memoria* Joannis van Voorst. *Scripsit discipulus et successor* W. A. van Hengel; L. B. 1834. 8.

(2) Vide quî Ernestii scripta legenda commendet, in *Bibl. Litt. theol.* III. 232. Cf. diss. *de Miraculis*, p. 12. — Illius exemplum secutus, a *duplici S. S. sensu* quaerendo graviter lectores deterret. Vid. *Cens. Censs.* I. 678. II. 367 seqq., (qui classicus hâc in re locus est) item *ibidem*, p. 465 seqq. (*recenss.*). — Nusquam frequentius, quam in *vaticiniis*, *duplicem sensum* quaesivisse interpretes nemo nescit. Omnino igitur consulenda quae in contrariam partem accurate ac vere disputat, in *Bibl. Litt. theol.* III. 206 multisque sequentibus.

(3) Accuratioris interpretationis in *Προδρόμοις* insignis haud dubie locus

mediocriter eum meritum esse, nemo facile negaverit. Sed haec de *Euangeliis* atque *Apostolorum epistolis* dicta sufficiant.

Utrum *Veteris* etiam *Testamenti* subtiliori interpretationi ejus scripta profuerint, si ex me quis forte quaerat; huic nihil prius quam locupletem illam monstrabo annotationem, quâ Straussii, Theologi Berolinensis, opus elegantissimum ornavit, cui *Helonis* a *Peregrinationibus* nomen fecerat auctor. *Moisis* enim ac *Prophetarum* idoneum interpretem neminem dicendum esse constat, qui in antiquorum Judaeorum atque universe in hominum Orientalium moribus, institutis, opinionibus, virtutibus

---

Clarissio tribuendus. Nam, utut Ernestinus esset, saepe tamen *laxam*, quam vulgo dicunt, seu *vagam* interpretationem, quae apud multos Viri magni discipulos ac sectatores vigebat, diserte improbavit ac reprehendit, eique meliorem substituendam esse docuit. Quâ de re primum adeunda, in *Cens. Censs.* (1819), XII. 105 sqq., relatio de Voorstii *animadverss. de usu verborum cum praeposit. compositorum in N. T. Spec.* I. Unde doctrinae Ernestinae his de verbis abusum, illo jam tempore, ab utroque Theologo Leidensi reprehensum esse videbis. — Atque *ejusdem Tomi*, p. 12, (*recenss.*) *nimium* tetigerat *Scholae* Ernestinae *amorem*, *qui iniqua de* Semlero, Theologi Lipsiensis aemulo, *judicia peperisset.* — Tum admodum memorabilia mihi videntur quae *ibidem*, XV. 364 (*recenss.*, 1822), ubi de 2 *Corinth.* III. 6 agitur, scite monet. »*Saepe*," inquit, »*nimis* Ernestini »*sunt hodierni interpretes*, *nimis simplices* (s. *vagi*, *laxi*); *quo ipso S. S. ener*»*vant. Quod h. l. in ipsum convenit* Ernestium." — Item perpendas quomodo eos, qui, denuo Magistri Lipsiensis doctrinam pervertentes, nullo S. S. loco *orationis emphasin* esse contenderant, reprehendat, laudatâ in Comm. de 1 *Tim.* VI. 13b. V. Krommii, *n. Christ. Mag.* III. 291. — Nec negligantur quae de loco classico *Actt. App.* XVII. 28 monuit, in *Cens. Censs.* XII. 8 *recenss.* Ex quibus omnibus locis, secum invicem comparatis, aliisque haud paucis permulta monuisse Praeceptorem apparebit, quae ad Wineri, Fritzschii atque aliorum artis Magistrorum scripta percipienda civium animos utiliter componerent ac praepararent.

Quando de Exegetae subtilitate dicere incepimus, unum hoc adjicere juvat. Accuratae ac doctae interpretationis nobilissimum prodidit exemplum, ubi, *Cens. Censs.* IX. 465—485 *miscell.*, locum explicat *Matth.* VII. 6: *Canibus sanctum ne detis* caet.

vitiisque hospes sit. Quarum quidem rerum plerasque accurate, sed tenuiter ut plurimum ac jejune tradunt *Antiquitatis Hebraicae* Doctores. Qui vero narrandi arte id consecutus sit, ut antiqua illa nobis tam claris repraesentare possimus imaginibus, quasi, in Orientem translati, nostris ipsi conspiciamus oculis; is sane gravissimâ in caussâ *utile dulci miscuisse*, adeoque, ut ille ait, *omne tulisse punctum* dicendus erit. Quae igitur laus ad Straussium pertinet, Virum in paucis gravem ac venerabilem; qui, sicuti *Anacharsidem*, juvenem Scytham, ad *Graecos*, eorum mores atque instituta sciscitaturum, olim miserat Barthelemius, ita, nec absimili consilio, *Helonem*, Judaeum Alexandrinum, *Joannis Hyrcani* tempore viventem, in sacrosanctam religionis Moseae sedem *Hierosolymam* iter facientem informat, nosque ipsos in illius et peregrinationis et temporis veluti societatem advocat.

Verum haud dubie eadem haec laus Leidensi cum Theologo communicanda est. Quâ formâ enim auctoris ex manibus exierat narratio, quamvis scita ac lepida, non ita testata erat, ut de rerum proditarum probabilitate lectori satis certo constaret. Haec enim magna, si quid video, Barthelemiani operis virtus est, quod singulis paginis subjecta annotatio, quibus antiquorum testimoniis narratio fundetur, nobis commonstret. Quod igitur ornamentum ne pulcherrimo Straussii operi deesset cavere volens Clarissius (quis enim melius potuit?) singulos ejus Tomos annotatione locupletandos curavit, breviore quidem Tomum primum, copiosiore ternos, qui subsecuti sunt. Nam hîc non tantum singula nonnulla auctoris dicta illustrata videmus, sed universam ejus narrationem et antiquiorum et recentiorum auctoritate confirmatam. Quod quo jure dixerimus, ipse facile judicabis, dummodo scriptorum, quorum dicta allata sunt, et sacrorum et exterorum, cum aliorum tum Peregrinatorum, copiam attenderis ac diversitatem. Nec igitur dubitare poteris quin, *Hyrcano* regnante, Judaeorum ii revera mores et traditiones fuerint et sectae et opiniones et superstitiones, quales eas elegantissimâ tabellâ depinxerat auctor. Quocirca nostratibus

gratulemur oportet, qui, uberiore ac certiore cum doctrinae fructu, quam Straussii cives, hunc ejus librum consulere possint, atque ad haud paucos *Veteris Testamenti* locos plenius intelligendos adhibere. Quamquam nec ea desunt, quae *Euangeliorum* lectori facem praeferant (1).

Quod modo antea *Peregrinatores* a Theologo laudatos dixi, in memoriam id mihi revocat, quam diversa horum genera in sancti, de quo ago, studii subsidium advocaverit. Nemo facile est qui ignoret Litterarum Sacrarum interpreti eximiam utilitatem eorum afferre libros, qui non dubiâ fide nec levi manu de *itineribus* retulerunt, quae *Orientis* in tractus, ubi veteres Israëlitae eorumque vicini habitabant, recentiores fecerunt Europaei. Cum praesertim eorum incolis mira quaedam nobisque plane inaudita morum atque institutorum constantia sit et perpetuitas. Nam hodierni etiam *Arabes Scenitae* aliaeque Semiticae stirpis gentes eo adhuc vivendi genere usae deprehenduntur, quod cum Patriarcharum Hebraeorum vitâ, quam sacrâ ex historiâ cognitam

---

(1) Operis haec inscriptio est: Helon's *Bedevaart naar Jeruzalem, door* Fr. Strauss, *schrijver der Kerkklokstoonen. Uit het Hoogd. Met eene voorrede van* J. H. v. d. Palm; *Amst.* 1820—1822. IV Tomis. Quo tempore, memoratâ in praefatione, Palmius operi *quaedam annotata* adjecisse monuit *Collegam eundèmque Amicum* Cl., sine dubio exiguam tantum, si aliquam, annotatorum partem legerat Vir humanissimus. Caeteroquin enim vel eorum utilitatem uberius descripturus fuisse videtur, vel certe eorum copiam non ita tenuiter memoraturus. Quo minus nobis committendum videbatur, ut eorum pretium atque ubertatem nostris a lectoribus ignorari pateremur.

Quod reliquum est, non mirari non potui libri inscriptione Palmianam quidem *praefationem* memorari, non vero Clarissianam *annotationem;* per quam ipsam *operis, nullis non Theologiae cultoribus commendandi, centesimis adeo partibus adauctum esse pretium,* paucos ante annos Censor monuit, in Ephemer. *Godgel. Bijdr.* 1844, p. 902. Quae ejus relatio ad alteram refertur operis editionem Nederlandicam, *Amst.* 1843, II Tomis, a doct. N. Beetsio curatam. Vel hanc vel illam editionem hae spectant relationes in *Cens. Censs.:* XIV. 97. XV. 45. 522, imprimis vero XVI. 172, item XXXVII. 513.

habemus, incredibilem quandam habet similitudinem. — Verum alia etiam, non plane disparia, Moisis Prophetarumque interpretibus subsidia monstravit ille, quae *nova* quodammodo aut certe minus usitata appellare licet. Sicuti enim populorum inter, maximo spatio a se invicem remotorum, *linguas* insignem quandam intercedere similitudinem videmus, ex naturali mortalium cognatione repetendam; haud aliter iis in orbis partibus, quae Sacrorum Scriptorum cum patriâ nihil magnopere commune habere videbantur, eadem subinde aut simillima certe vitae instituta viguisse aut vigere reperimus. Quae res cujusmodi sit, et quam inexspectatas non raro V. T. historiam et *illustrandi* et *confirmandi* vias aperiat atque opportunitates, plenius cognoscere juvat? En tibi quae, hoc ipsum demonstrare instituens, Clarissius, et alias et a. 1811 atque a. 1824, ex Peregrinatorum retulit relationibus, qui vel *Bonae Spei Promontorium*, vel non longe hinc dissitos *Caffros* adierant, vel *interioris Africae* gentes, vel *Australis Oceani Pacifici* insulas, vel alios terrae tractus, ubi morum *Semiticorum* manifesta vestigia repertum iri nemo facile credidisset. Quae omnia accurate legenda ac cum V. T. libris comparanda tibi commendare non dubito (1).

Huic loco anteaquam finem imponamus, breviter opus memorare juvat, quod, etsi ad *historicam* non incommode referri possit Theologiam, cum hujus tamen, in quâ cum maxime versamur, narrationis argumento non minorem certe conjunctionem habet. Namque id etiam ipsum Sacri Codicis lectoribus ad eas, quas ab eo memoriae proditas inveniunt, res clarius intelligendas

---

(1) Vidd. *Cens. Censs. miscell.* VI. 374—382 et XVII. 488—498. 539—547. Binae sunt hae commentationes, quarum utraque eandem habet inscriptionem: *Cod. Sacri explicatio, ex recentioribus hausta peregrinationum descriptionibus.* Operae pretium etiam est cognoscere, quam scite et quam opportune *Marcinae* historiae, *Euang.* XV. 22 sqq., ex ipsius adeo Kotzebui, notissimi fabularum Milesiarum auctoris, narratione quâpiam lucem attulerit ac probabilitatem conciliaverit. Vidd. operis modo memorati *miscell.* X. 99.

17

et veluti intuendas viam parare conabatur. *Palaestinae sive terrae sanctae Tabulam* significo seu *Chartam*, ut vulgo vocant, *geographicam, topographicam, historicam;* quam, a. 1828, Amstelodami edendam curavit E. Maaskampius. Cujus Viri honestissimi ex officinâ non pauci tunc prodire solebant eleganter ornati libri ac picturae laudatissimae. Haec igitur illius *Tabula*, Angli cujusdam artificis exemplum imitata, et alia singularia habebat, et hoc non ultimum, quod, juxta urbium ac locorum nomina, res ibi olim, narrante S. S., gestas, maxime memorabiles minutis quibusdam figuris depingere studeret. »*Sed* »*quid haec,*" inquies, »*ad* Clarissium?" Hunc nimirum, quo magis allicerentur emtores, rogârat Maaskampius ut, fide in antecessum publice civibus obstrictâ, sibi ad opus adornandum consilio atque auxilio adesse vellet. Nec frustra petiit. Theologus enim nullam facile subterfugere consueverat molestiam; dummodo intelligenter ac fructuose Sacrum Codicem legendi studia apud cives aut exteros alere atque adjuvare posset. Itaque, longas post moras, Clarissii *sub auspiciis* (sic enim profitetur Editor) *Tabula* evulgatur. Quod vero cujusmodi fuerit, ex parte certe *praefatio* tibi declarabit, quam Maaskampii libello, satis copiosam *Tabulae* descriptionem continenti, praemisit (1). Universe molestum non raro taediique plenum Virorum doctorum negotium est, quibus ad hujusmodi res peragendas cum Graphices ac Picturae Magistris, cum Chartographis aliisque cum artificibus opera consocianda est. Nam hi fere quaecunque suae artis esse putant, sese longe melius, quam illos, perspecta habere ac judicare posse, sibi persuasum habent. Atque id maxime quaerunt, (quis enim aegre feret?) ut quod in tabernis venale exponere cogitant vendibile sit, atque exteriore quâdam elegantiae specie emtorum studia alliciat. Quas informant rerum antiquarum ima-

(1) Dicitur libellus: *Verklaring der Bijbelkaart; of uitlegging van de geogr., topogr. en geschiedk. Kaart van Palaestina of het heilige land, benevens een plan van Jeruzalem* enz. *Door* E. Maaskamp, *onder toezigt en met medewerking van* J. Cl. *Amst.* 1828, gr. 8.

gines utrum ipsam referant naturae atque historiae veritatem, adeoque spectatores in vetustum orbem, qualis revera fuit, mentibus veluti transferant; id eorum multi (neque enim de omnibus dico) aut nullâ aut non praecipuâ certe curâ quaerere videntur. Quae quam vere dixerim, ex memoratâ percipies aut divinabis saltem Theologi *praefatione*. Quamquam suâ pro humanitate multa reticuit, nec quantum sibi taedii haec res attulisset diserte declaravit. Verumtamen ne id quidem eum impetrare potuisse vides, ut *Angeli coelestes*, quorum imagines repraesentantur, ne *alis instructi*, quibus locis hunc eorum habitum plane respuit historia sacra, in *Tabulâ* pingerentur ac comparerent. Unde de caeteris facilem capies conjecturam. Quid plura? Hîc etiam fecit, nisi quod voluit, at quod potuit. Multa ipsâ in *Tabulâ*, nec pauca in *descriptione* emendavit, longe plura sine dubio, si sui res fuisset arbitrii, et hîc et illic emendaturus (1).

---

(1) Hujus Segmenti ad finem duo aut tria monenda mihi restant. Theologum igitur, de quo dicimus, quod primum *popularem* ac *practicum*, tum demum *doctum* S. C. interpretem spectavi; me fecisse sciant lectores, quod, si quidem edita attendimus scripta, priore in penso saepius ac magis de industriâ, quam in altero, versatus est. Quamquam in *doctis* etiam interpretibus insignem obtinuit locum.

Alterum hoc teneas. In brevissimâ, quam mihi tradidit, scriptorum tabellâ symbolas se contulisse monet ad opus, quod, nomen non professus, edidit Did. Corn. van Voorst: *De Bijbelminnaar; Traj. ad Rh.* 1791—1794. IV. Voll. 8. Hujus enim operis praecipuum auctorem fuisse, quem dixi, Voorstium, nec antea ignorans, accepi et ex Clarissii *Encycl.* p. 418, et ex Voorstii, qui, d. 6 Sept. 1833, Antistes Amstelodamensis, obiit, vitâ accurate descriptâ in Ephem. *Boekzaal der gel. wereld*, ad m. Januar. 1834, p. 122 sqq. Unde quam eximius Vir fuerit, de *Exegesi* s. imprimis optime meritus, cognosci poterit. Illius, quod memoravimus, opus editum est apud Henricum van Otterloo, Rheno-Trajectinum Bibliopolam honestissimum, qui Clarissio nostro affinitate junctus erat. Singuli Tomi 52 continent octonum pagg. commentatiunculas, ab initio singulis hebdomadibus singulatim editas; ubi permulti Utriusque Foederis loci difficiles, ii imprimis, qui vulgo *loci probantes* audiunt, egregie illustrantur. Quocirca in immeritam plerorumque aequalium nostrorum oblivionem inci-

disse opus doctissimum, dolendum est. Cum praesertim accurate conferendis antiquis Versionibus optimo exemplo aliis praeiverit auctor.

Singulas commentatiunculas accurate quantumpote perlustravi, sperans fore ut nominis Clarissiani externa quaedam indicia reperirem. Sed nulla, proh dolor! inveni. Ex internis autem notis minus certum de juvenilibus Praeceptoris scriptis judicium ferre possum, quam de maturioribus. Quocirca in admonitione, quam prodidi, universâ quamvis invitus acquiescere debeo. Nec tamen, si optimae frugis opus lectoribus in memoriam revocare mihi contigerit, frustra conscripta erit haec annotatio.

Tandem *Encyclopaediae* factâ mentione, doctam ac copiosam recordor *de Theol. exegeticâ* disputationem, quam, illius p. 234—240, prodidit auctor. Hanc certe nisi Theologiae tironibus legendam commendarem ac relegendam, me eorum studiis deesse putem.

SEGMENTUM QUARTUM.

DE CLARISSIO THEOLOGO HISTORICO.

Nemo facile a partium studiis alienus erit temporum judex, qui nostrâ hâc aetate insignes fecisse progressus Historiae Ecclesiasticae cognitionem infitias eat. Nec vero ita laeti, si quid video, immo longe minores hi futuri fuissent nobilissimae disciplinae progressus, nisi hoc ipso tempore maximam plures illius cultores operam contulissent, ut eorum, qui de Christi Societate bene meruerunt, aut certe magnas in eâ partes egerunt, vitas et res et doctrinas, nondum satis illustratas, accuratius, quam adhuc factum erat, explicandas curarent. Nam his demum antegressis *monogrammatibus biographicis* (1), quae singulis aetatibus Ecclesiae conditio fuerit, quae vel incrementa vel decrementa, quae Providentiae divinae, ejus sortem moderantis, sapientia bonitasque, plenius certiusque definiri potest. Eorum autem, qui insignium in Christi Societate Virorum res scriptis illustrare conati sunt, eo majoris facienda est opera atque industria, *et* quo magis ii, de quibus agunt, a fatis factisque memorabiles fuerunt, *et* quo minus cognita adhuc eorum erant merita, *et* quo copiosiorem jam certioremque, ex ipsis fontibus haustam, illorum nobis percipiendam tradiderunt cognitionem.

---

(1) Sic Graece dicere licebit, quod tantâ brevitate nec Latine enuntiare possumus nec vernacule.

Triplicem igitur hanc praestantiae mensuram commentationibus adhibeamus, quibus, pensum, quod vix inchoare Filius potuerat, feliciter pertexens, Clarissius de Gerardi Magni *ingenio ac placitis* luculenter exposuit (1). Hunc quidem dignissimum fuisse cujus non oblitteraretur memoria, constat inter omnes. Tenebricoso enim vivens seculo quarto et decimo (2), pietate pro temporis modulo atque eruditione inter aequales excelluit. In quorum animis non contemnendam aliquam purioris doctrinae euangelicae sementem fecit, quam superstitionis spinis vepribusque plane suffocari non passa est Dei Providentia. Cum praesertim nobilissimam fundandam curaverit *Fratrum vitae communis* Societatem. Quorum ipsorum Fratrum opera, rectissime monente Ullmanno (3), et in Nederlandiâ et Septentrionalibus in Germaniae tractibus tam efficaciter Sacrorum instaurationem praeparavit, ut vix aut ne vix quidem pro merito eam laudare possis. Gerardo igitur ignorato, aurorae, quae postea Germanorum ac nostratum Ecclesiae illuxit, ecquod primum fuerit diluculum ignorabimus. Atqui quae de eo adhuc noveramus tam tenuia erant, tam manca atque inchoata, ut de re Christianâ eum optime meritum esse suspicaremur potius, quam sciremus. Ejus scripta enim, inedita ac per plurium bibliothecarum angulos dispersa, quotusquisque adhuc eruditorum accurate vel recensere potuerat vel excutere? Qualis igitur ac quanta Clarissii laus censenda est, qui, inexhaustâ patientiâ molestissimum exantlans laborem, haud exiguam eorum partem ex tenebris in lucem evocavit, ac summâ, quae cogitari potest, fide et diligentiâ edendam curavit! (4). Verum in hâc quamvis taediosâ

---

(1) Locos et supra, p. 113, accurate memoravi et in *Hist. Acad. Gelr.* I. 7, ubi alii etiam nonnulli, in his Delpratius, laudantur.

(2) Vir, praematurâ morte exstinctus, floruit a. 1360—1380. — *Supra seculum doctum* post alios eum vocavit Clar., memorati *Archivi* II. 273.

(3) Vidd. Ullm. *et* Umbr. *Stud. u. Krit.* 1843. 1. 63.

(4) Una instar omnium hîc variantium lectionum notatio sit, quae reperitur memorati *Archivi* T. VIII. p. 297 sqq.

operâ non acquiescens, caetera, quae indagari poterant, ejusdem Gerardi opuscula docte recensuit, atque ad ea quaerenda et invenienda facilem lectoribus aditum aperuit. De auctoris autem cum ingenio tum placitis, rerum testimoniis allatis, tam plane et tam luculenter disputavit, tam aequâ lance judicavit, ut, ab eo edocti, nec suis laudibus optimum Virum defraudare disceremus nec alienis ornare (1). Quid quod non de ipso tantum Gerardo ejusque libris copiose eum disputantem audimus, sed meritis cumulum adjicientem videmus, per doctissimas, quas, hâc ipsâ usus opportunitate, et *de Juris Canonici Glossatoribus* depromit animadversiones (2), et de *Gemmâ Crucifixi*, incerti auctoris opusculo (3), et de aliis obscurioribus Antiquitatis ecclesiasticae vel hominibus vel capitibus? (4) Quae omnia qui cogitatione complexi fuerint, incredibilem cum hoc in argumentum eruditionis copiam contulisse, nobis assentient (5).

Nec certe dissentientem me hîc habere laetor Ullmannum, Theologum praeclarum eundemque harum rerum judicem intelligentissimum. Cujus eo certior hâc in caussâ censenda est auctoritas, quo majore curâ praestantissimo in opere, ubi *de Sacrorum Instauratoribus, ipsam eorum instaurationem praegressis*, exposuit, Gerardi Magni placita et merita et instituta persecutus est. Hic enim iterum iterumque doctam Clarissii operam laudat, illiusque commentationes, quas in optimis recenset de Gerardo scriptis, studiose legendas commendat (6). Nec

---

(1) A partium studiis alienus, quae in Gerardo desiderarentur candide exponit, *Archivi* T. II. p. 273 seqq., coll. T. VIII. p. 154.

(2) His de *Glossatoribus*, quorum haud pauci plerisque ignoti sunt, accuratissime egit, *Supplem.* ad Tom. VIII. p. 60—84.

(3) De hâc *Gemmâ Crucifixi*, quam S. Bernardo multi tribuerunt, vid. ejusdem *Supplementi* p. 28 seqq.; ubi ipsum etiam editum exstat opusculum.

(4) Unum certe hîc afferre liceat exemplum. De veterum et aliorum et Gerardi aequalium vestitu, eo imprimis, quo inferiores corporis partes tegebantur, nusquam te doctiora legisse scio, quam quae Clarissii prodit annotatio ad op. laud. Tom. VIII. p. 303 seqq.

(5) Hoc ipsum enim et supra, p. 113, affirmavi, nec hîc repetere vereor.

(6) Ullmanni opus optimae frugis significo, in Nederlandicam etiam

igitur Ullmannus, cui paucos aequiparamus Theologos, nec alius quisquam aequus intercedet arbiter, si iis, qui nuper, minus vulgo nota sed eadem praeclara Ecclesiae lumina celebrando, ipsius historiam locupletârunt, Praeceptoris nomen honorifice adscripserimus.

Verum alii haud pauci nullo non tempore Christi Societatem illustrârunt Viri eximii, quorum merita Theologis quidem notissima sunt, sed plerosque fugiunt eorum sacris non initiatos homines. Quorum igitur res pie ac praeclare gestae quo frequentius, et perspicue ac populariter et accurate eleganterque, exposita fuerint, eo major nobis spes affulgebit fore ut *Historiae Ecclesiasticae*, in cujus agro nonnulli mirâ animorum perversitate vepres tantum spinasque quaerunt, studio nobilissimo atque utilissimo multi concilientur bonarum Litterarum amatores. Qui eo ipso pietatis, virtutis, constantiae, magnanimitatis, amoris erga Deum Christumque tam pulcra sibi proposita videbunt exempla, quam a nullâ usquam populorum historiâ memorata esse novimus.

Ac popularem etiam hanc, qualem descripsimus, Virorum de fidei sociis bene meritorum laudationem minime neglexisse Theologum, plura demonstrant ejus scripta lectu dignissima. In qui-

---

linguam conversum, quod inscribitur: *Reformatoren vor der Reformation, vornehmlich in Deutschl. u. den Niederlanden; Hamb.* 1841. 1842. II Voll., ubi de Gerardo Magno ejusque Institutis egit, Vol. II. p. 62—89. Operi mantissam adjecit auctor, in Horreo: *Stud. u. Krit.* 1842. 3. 775 sqq. Magnas quidem, nec sane immeritas Ullmanno laudes tribuit Rettbergius, in Ephem.: *A. Hall. L. Zeit.* 1843. N°. 58 sqq. Verum iniquius, si quid video, eum reprehendit, quod in *biographias* potissimum totum scriptionis argumentum distribuerit. Quocum igitur, si vacat, quae supra in contrariam partem diximus conferantur. — De eodem Ullmanni opere legi potest Binderi relatio in Zelleri *theol. Jahrb.* 1844. 2. 306 sqq. Quamquam plura, quae hic reprehendit, mihi laudanda videntur. Accuratâ tandem relatione librum excerpsit J. J. Metzlar, in op. *Waarheid in Liefde*, 1847. 2. 225 sqq. — Excursui facile ignoscent lectores, si et quam praestabilis Ullmanni liber sit perpenderint, et quam amicus nostris Theologis Auctor.

bus primum mihi locum obtinere videntur ternae de Thascio Caecilio Cypriano, Carthaginis Episcopo, orationes, anno quidem 1818 et 1819 Roterodami habitae, sed anno demum 1830—1833 typis editae (1). Quarum *prima* et hujus *Martyris* vitam perspicue narrat, et qualis *homo* fuerit qualisque *Christi cultor* sic explicat, ut hîc quoque solertem naturae humanae scrutatorem atque interpretem facile dignoscas. *Altera* oratio in Cypriani scriptis recensendis ac considerandis versatur; quae germana sint, quae spuria inquirit; in stilo ac Latinitate quid laudandum sit, quid reprehendendum magnâ judicii aequitate demonstrat; nec insignium nonnullorum locorum accuratam interpretationem desiderari patitur. *Tertia* tandem oratio, prioribus binis copiosior illa, qualis Ecclesiae *Episcopus* fuerit Thascius ita quaerit, ut nec quam egregium pietatis virtutisque exemplum fidei socios praeiverit nos ignorare sinat, nec quae vitia ab aevi, quo vixit, contagione traxerit. Atque universum hoc argumentum tam perspicue, tam copiose, tam eleganter pertractavit, ut ne nunc quidem, posteaquam ejusdem Cypriani vitam nuperrime laudabili operâ describendam curavit Rudelbachius, Vir gravissimus (2), Clarissii has orationes consuluisse quemquam poeniturum sit. Quamquam, ne quid diffitear, non multum abest quin me poeniteat ipsum, quod, quae in Thascii et scripta et fata et res gestas, haud sine magno acumine, criticâ plane ratione inquirunt, commentationes *popularibus* potius scriptis, quam *eruditis* annumeravi.

Sed in *illis* haud dubie censenda est oratio, jam antea a. 1828 edita, de S. Bernardo, *Abbate Claraevallensi;* qui *Mysticis*

---

(1) Rev. Sprengeri van Eyk in opere: *De Fakkel*, *zesde — negende Jaargang*.

(2) Vid. hujus opus: *Christliche Biographie;* cujus prima Particula (*Lips.* 1849) Cypriani vitam exponit. Hujus auctoris laudibus etsi nihil detractum volo, tamen et ab eruditionis copiâ et a judicii aequitate praeferendas esse Clarissii orationes puto. Sed videant acutiores.

in *Theologis* quomodo excelluerit, sese demonstraturum esse significat Amicus (1). Verum plura, quam receperat, praestanda sibi putavit. Nam id prae caeteris attendas velim, pietatem erga Deum Christumque, Abbatis sanctissimi in pectore habitantem, nec tamen *Seculi*, quo vivebat, *duodecimi* superstitionibus majorem, quam graphice descripserit, quam nativis depinxerit coloribus. Quae ubi legeram, ac non mirari non potueram: »*Profecto,*" mecum dixi, »*huicce Theologo dummodo in Societa-* »*tis Christianae historiâ praecipuum studiorum tabernaculum* »*ponere licuisset, ipsissimae laudis in consortium admittendus* »*fuisset, quam nuperrime* Neandro, *cujus de* Bernardo *li-* »*brum suos in usus contulerat, haud immerito tribuit Censor.* »*Quo monente nemo fortasse unquam melius, quam hic, et singu-* »*lorum hominum et aetatum universarum vitas informare potuit* »*ac repraesentare*" (2).

His autem dictis quo certior omnium judicio fides concilietur, tenendum, sicuti hîc Bernardum, nec diu postea, de quo supra, Cyprianum, depinxit, ita alibi non raro aliorum, quorum nomen Christi in Societate eluxit, Virorum ingenia atque indolem moresque eum adumbrâsse. Quos locos etsi omnes accurate persequi non possum, tamen unum alterumque monstrando ad plures quaerendos lectorem allicere juvat. Legantur igitur quae datâ opportunitate et de Clementis Alexandrini meritis dixit et de Chrysostomi eloquentiâ (3). Tum *Sacrorum,* seculo XVI, *Instauratores* ita contemplantem videte, ut eorum

---

(1) In memorato invenitur Sprengeri van Eyk opere, Tom. IV. p. 28—53. — Alia eodem de Bernardo, ex Neandri libro, mox a nobis laudando, ducta reperiuntur in *miscell. Cens. Censs.* X. 245 sqq. Quae etiam ipsa fortasse (neque enim certo mihi constitit) Clarissium habent auctorem.

(2) Vid. Car. Brandesii *Lit. Zeit.* 1849, N°. 13; ubi refertur de Neandri opere: *Der heil.* Bernhard *u. s. Zeitalter.* Cujus libri prior ed. *Berol.* 1813, altera, plane emendata, *Hamb.* et *Gothae*, 1848, emissa erat.

(3) Vid. *Cens. Censs.* X. 93 sqq. et XIII. 321 sqq., utroque loco in *recenss.*

et virtutes perspiciamus nec vero vitia dissimulare discamus (1). Ac de Joanne Knoxio singulatim, cujus potissimum operâ ac constantiâ a *Scotis* superstitionis nebulae depulsae sunt, brevissime quidem eum agentem videmus, sed in hâc ipsâ dictorum brevitate pleraque omnia, quae ad aequum de hocce Heroë judicium ferendum perpendenda sunt, acute ac vere denotantem (2). Ne praefationem attingam atque annotationem, quâ praestantissimum Ullmanni de Gregorio Nazianzeno librum locupletandum curavit (3).

Sic igitur haud unâ ratione eorum, qui vel antiquiore vel recentiore tempore Christi Societatem illustrârunt, memoriae consuluit, ac virtutes ab oblivione ac calumniis vindicavit. Verum alia prostant documenta nec pauca nec levia, quae quam copiosâ *Historiae Ecclesiasticae*, quâ late patet, cognitione valeret luculenter demonstrent, et quam cupide ejus fines proferendi captaret opportunitates, et vero quam studiose ad eam colendam Juvenum theologicorum animos impellere conaretur. Nec enim supra laudatum *Specimen de Apostolorum auctoritate*, nec *Encyclopaediae* Caput, quod *Theologiae Historicae* conspectum tradit (4), meditate legere poteris, quin et *Historiae Dogmatum* et omnium, quae cum Ecclesiae fatis conjuncta sunt, rarissimam in auctore peritiam agnoscas atque admireris.

Ecce vero! in *regiâ*, quae Hagae est, *Bibliothecâ* Maerlantiana quaedam Manuscripta quaerens, eodem, quo haec, libro monumentum consignatum videt admodum memorabile, non cum

---

(1) Vid. impr. oratio s. de 2 *Corinth.* IV. 7, in Fasciculo: *Leerredenen, bij bijzondere gelegenheden uitgesproken*, p. 35 sqq.

(2) Leg. *Cens. Censs.* XIII. 550 sqq. *recenss.*

(3) Ullmanni opus: *Gregorius von Nazianz, der Theologe* (*Darmst.* 1825), Clarissii sub auspiciis nostram in linguam conversum, atque ab ipso, ut diximus, ornatum, editum est *Roterod.* 1831 sq. II Tomis, 8.

(4) Pag. 311—399.

Litteris tantum Nederlandicis, sed item cum Ecclesiae patriae, quae ante instaurata fuit Sacra, moribus ac superstitionibus conjunctum illud. Hae enim litterae erant, anno fere 1374 scriptis mandatae, quae *septem Romae templorum Indulgentias* continebant, ac nostratum, qui religionis ac veniae peccatorum impetrandae caussâ in sacrosanctam hanc urbem peregrinabantur, sacris usibus inservierant. Quod igitur monumentum, ne diutius in Bibliothecae pulvere omnibus ignotum lateret, Kistio, Viro clarissimo, his in studiis habitanti, legendum committit et edendum. Cujus mox annotatione, ubi res requirebat, illustratum, in opere evulgatum est, quo edito Historicâ de Theologiâ optime meritos esse Auctores novimus (1).

Disciplinae nostrae alumnis quam graviter *Historiae Ecclesiasticae* doctum commendare soleret severumque studium, plures demonstrant, quae ejus in scriptis passim inveniuntur, admonitiones. Quarum unam certe, quae instar omnium est, hîc summatim referre juvat. Anno igitur 1821, libri Schmidiani, doctrinae, quam dixi, *compendium* continentis, quod nostratibus accommodârat ac continuârat Ypejus, tertia ad Clarissium editio affertur; de quâ ut publice referat rogant (2). Nec quisquam dubitare poterat, quin honorifice denuo de opusculo judicaturus esset, quod pridem *populo*, cui destinabatur, utilissimum dixerat, cujusque patrocinium susceperat Ypejus. Cum hoc enim magnâ concordiâ vixerat Collega; hujusque et merita, utut

---

(1) Vid. Kistii et Royaardsii *Arch. voor kerk. Geschiedenis, inzonderh. van Nederland*, VI. 303—318.

Codicem *Indulgentiarum* describens, *illius* monitum, monumento praemissum, presse secutus sum.

(2) Inscribitur opus: J. J. F. Schmid, *Kort begrip der Christ. Kerkgeschiedenis, voor Volk en Jeugd. Vervolgd tot op den tegenwoordigen tijd door* A. Ypey, *Hoogl. in de Godgeleerdh. te Groningen. Derde, verm. en verbeterde uitgave; Gron.* 1818. 1819. II Voll. 8. Quo de op. retulit Cl. in *Cens. Censs.* XIV. 51 sqq.; collatis quae eodem de libro, ante quinquennium, *ibidem* monuerat, IX. 528 sqq.

in multis dissentiens, suspiciebat et opera, non nolente auctore, publice laudare solebat. Nec plane fallax de censurae exitu fuit quod diximus augurium. Librum enim laudat legendumque commendat. At quibus commendat? Iis nimirum, quibus adaptârat Schmidius, *civibus* non incultis atque *adolescentibus*. »*Enimvero,*" sic fere pergentem eum audimus, »*a* Theologiae »*etiam nostris in Academiis* Studiosis *cupide hocce quaeri con-* »*sulique opusculum, saepius ad me perlatum est; cujus nimirum* »*subsidio* disquisitioni, *quae cum ipsis instituenda erit,* ecclesi- »asticae, *item fortasse* academicae, *sese praeparent instruantque.* »*Quibus eorum usibus utrum idoneum sit ac sufficiat, Ecclesiae* »*judicent Moderatores ac Theologiae Professores. Nos quidem* »*secus statuimus. Nec auctorem putamus, quem librum* populo »puerisque *destinabat, eundem* Eruditis *scripsisse atque iis* Viris »juvenibus, *qui in eo sunt ut* publici *populo praeficiantur* religio- »nis Doctores. *Ac nos olim juvenes nostrosque sodales, etsi nullâ* »*nos his de rebus* disquisitione *probandos fore noveramus,* Pudor »*tamen cohibuisset quominus in eâ cognitionis levitate ac tenuitate,* »*qualis ex libro,* civibus puerisque *destinato sed nobis forte oblato,* »*percipi posset, acquiesceremus. Quas igitur per caussas factum* »*sit, ut nunc aliter sese res habeant, haud inutiliter fortasse dis-* »*quiri potuerit.*"

Haec ille. Cujus et exemplum et monita quo plures studiose sequentur doctrinae nostrae cultores, eo laetiore conditione usuram esse, atque eo majora capturam incrementa *Historicam*, quam dicere consuevimus, *Theologiam* et mihi constitit, nec lectoribus dubium fore confido (1).

---

(1) De Munscheriano etiam *Hist. Eccl. compendio*, quod a Th. Adr. Clar. conversum esse supra, p. 112, monuimus, optime meritus est de quo dicimus Pater. Nam et *praefatione* utilia de hujus Historiae studio monita tradidit, et ipsum librum subinde emendavit ac locupletavit, et *litteratam* auctoris *annotationem*, sicubi opus videbatur, adaugendam curavit.

SEGMENTUM QUINTUM.

DE CLARISSIO THEOLOGO DOGMATICO, MORALI, POPULARI.

Si *una* est, quod supra vere affirmâsse videmur, universa *Theologorum disciplina;* certius etiam est atque evidentius omnibus iis, quae vel divinis de rebus credenda tradiderunt, vel de vitâ ad Dei leges componendâ, post Moisem Prophetasque, et ipse Christus et Apostoli praeceperunt, *unam* contineri, cujus utraque pars arctissimo vinculo nectatur, coelestem *doctrinam* atque institutionem. Cui doctrinae euangelicae *unitati* quantum tribuendum censuerit de quo narramus Theologus, et saepe alias demonstravit, et quo primo tempore academicâ de cathedrâ nostram praeire disciplinam inceperat. Continuo enim id vel maxime sibi agendum putavit ut, *arcte inter se nexa esse dogmatica et moralia religionis Christianae praecepta, docenti non sejungenda ea*, solenni habitâ oratione luculenter exponeret graviterque probaret. Quam potissimum caussam agendo prudentissimam eum temporis, quo dixit, rationem habuisse vitae narratio nos edocuit (1). Quamquam a nullo Christi Societatis tempore ac conditione, nedum nostris his a diebus, aliena habenda est hujusmodi admonitio. Nam tum demum, si doctrinae *contemplativa* pars et *praeceptiva* quam arcte juncta sit intelligatur ac perpendatur, et utriusque ratio accurate percipi potest, et praestantia

(1) Vid. supra p. 54.

suo pretio aestimari, et coelestis origo plane declarari. Quodsi igitur quae de Praeceptore, et *Dogmatico* Theologo et *Morali*, dicenda videbuntur eodem hocce Segmento conjungo, nequaquam mihi verendum videtur ne, inepte aliena conflando, vel ab ipsius mente diversus abeam, vel disciplinae rationem pervertam. Verum ne *Popularis* quidem, quem a *populum* docendi officio dicimus, *Theologi* magno hinc intervallo remota sunt pensa ac munera. Hujus enim cum publica monita tum privata ex nullâ re magis efflorescant oportet ac redundent, quam ex plene perceptâ atque animo veluti susceptâ et *theoreticâ* et *practicâ* sanctissimi Codicis institutione. Ac perhonorificum hic sibi videt impositum officium, ut quae, a Calixti maxime tempore, gravissimis quidem de caussis nec sine magnis tamen incommodis, Theologorum sejunxerant Auditoria, ea denuo conjuncta faciat, ipsiusque Christi vestigia secutus priscâ tradat atque illibatâ integritate. Sed haec hactenus. Ubi si cui forte plura, quam necesse erat, ad loci inscriptionem tuendam dixisse videar; tironum in gratiam ea me paullo plenius monuisse sciat, quorum recordatio a nullâ sanctissimi Ministerii parte abesse debebit.

I (1).

Ad tradendam atque ornandam *Dogmaticen* nemo facile vel a naturae dotibus paratior accessit vel a studiorum fructibus, quam ille, cujus in auditorium lectores intromittere conamur. Quod, quae antea de eo narravimus cum ipsius disciplinae ratione atque indole contendentes, haud difficulter intelligent. *Dogmaticus* enim, ubi *doctrinae partes recte disponit, ex aliis alias ducit, illustrat, confirmat, defendit; atque ubi illam in* scientiae, *certis ex principiis haustae formam, quantum fieri potest, redigit;*

(1) In *tradendâ Theologiâ Naturali*, sive *Philosophiâ de rebus divinis*, quam etiam ipsam, *Encycl.* §. 83, ad *Theologiam* retulit *systematicam*, quomodo versari soleret, supra p. 88 breviter narravimus.

De classico Paleji opere, eandem inquirente doctrinam, quam bene meruerit, p. 69 et 214 retulimus.

haec igitur omnia ubi agit, nonne *de religione philosophatur?* (1) *Philosophiae* autem ne ulla quidem pars est, ubi hospes esset Amicus. Cui quod, naturae Parentis beneficio, ingenium obtigerat dialecticum Bonneti in Scholis magis etiam ad dogmaticam informatum erat subtilitatem. Atque hîc opportune ipsius dictum recordor, quod a praesenti re haud alienum esse videtur. *Dogmaticae* enim binos potissimum *oculos* esse graviter aliquando monentem audivimus, quorum maxime lumine ac subsidio quod verum sit rectumque cernat, alterum, *Dogmatum Historiam*, alterum Sacri Codicis *Exegesin* ejusque moderatricem *Hermeneuticam.* Jam et hujus et illius doctrinae lucem sic ejus illustrâsse animum novimus, ut utra clariore face his ejus studiis praeluxerit ambigas. Sed haec, exemplorum tantum loco, ne quid temere affirmâsse videremur, allata sufficiant. Neque enim quidquam eorum, quae in Dogmatico ipse requisivit (2), ei defuisse aut mediocriter adfuisse superiora docuerunt.

»*Sed quid igitur,*" quaerat aliquis, »*ad hanc, cujus ornandae* »*eximiam ipsi fuisse facultatem ais, excolendam contulit disci*»*plinam?*" Pauca quidem, nec nulla tamen, si ex iis tantum libris *editis* rem aestimes, qui vel universam complectantur doctrinam, vel graviores ejus locos datâ operâ persequantur. At multa eaque gravissima, si quem, vel *nihil scribentem ipsum,* sed *munus et officium docentem,* suâ de arte praeclare mereri posse, notissimi dicti memor *Horatiani,* perpenderis.

Juvenis, quod jam narravi, dissertationem scripsit de *Spiritu Sancto;* cujus imprimis, quam ecclesiastica vocat Latinitas, *personalitatem* tueri conabatur. Ubi, exegeticâ viâ ac ratione progressus, primum quid et Christus ipse et singuli Novi Foederis scriptores de illâ docuerint singulatim exponit; tum ex omnibus

(1) Paucis mutatis ipsius hîc dicta reposui, quibus, *Encycl.* p. 403, P. H. Marronium refutat. Quo minus probante, *philosopham* etiam vocari posse *Theol. systematicam*, priore operis editione monuerat auctor.

(2) *Encycl.* §. 86 exeunte.

eorum dictis collectam ac veluti subductam doctrinae summam definiendam curat (1). Commentationem, cujus priorem partem Bonneti sub auspiciis publice defenderat, postea solidam retractavit et locupletavit et eorum, qui Latinae disputationis interpretationem requisierant, desideriis gratificatus, vernaculâ linguâ evulgavit (2). Quanti hoc scriptum pii faciendum putaverint cives, et ex repetitis apparet, quae paucorum annorum spatio parandae fuerunt, editionibus et aliis ex indiciis non ambiguis. Nam illi etiam ipsi, qui in multis dissentiebant, nec omnes hîc valere putabant, quos ad sententiam probandam attulerat auctor, S. S. locos, magnâ tamen laude eum dignum declarârunt. Veluti Vir accurate doctus aliquis censuram, quae multa ejus argumenta diluere conata erat, ita fere concludit. »*Ne illi quidem,*" inquit, »*qui de placitis ab hâc dissertatione* »*propugnatis longe aliter statuant, auctori recte interpretandi* »*facultatem et doctrinae copiam et judicii sanitatem et vero sin*»*gularem aliquam perspicue res atque argumenta explicandi* »*dotem tribuendam esse infitias ire poterunt. Ac quaecunque* »*pro illâ, quam egit, caussâ defendendâ poterant afferri, sic* »*ea explicuisse censendus est, ut strenuus ejus agnoscendus sit* »*solersque patronus. Hanc quidem laudem ei dubiam facere* »*nemo poterit*" (3). Ecce igitur judicium, quod, quo majorem a judicis integritate commendationem habet, eo dignius quod summatim reponeretur mihi videbatur.

---

(1) Hanc se viam secutum esse affirmat ipse, *Encycl.* p. 424.

(2) Vid. supra p. 31 et p. 38. — Vernacule bis editus est liber; *Traj. ad Rh.* 1796, *Amst.* 1801. 8. Posterior haec editio, cum priore universe conveniens, inscribitur: *Verh. over den Heiligen Geest, door* J. Cl., *Pred. te Enkh. Nieuwe uitgave, vermeerderd met een voorbericht.* Nova haec praefatio, invitante scripti argumento, de Graecorum Articulo ὁ, ἡ, τό tam accurate disputat, ut, ubi supra de Praeceptore C. S. *interprete* egimus, eam a nobis laudandam fuisse fortasse non injuriâ existimaturi sint lectores.

Tesseram opusculum habet Clarkianam, dignissimam quae hîc etiam legatur: »*In matters of divine Revelation, the only certain rule of Truth is the* »*Revelation itself.*"

(3) Vid. censura lectu dignissima in *Bibl. Litt. theol.* II. 2. p. 691—705.

Verum nullâ adhuc annorum diuturnitate restincta esse librum legendi studia, certissimis mihi constitit documentis. Eodem enim, quo nobis ereptus est auctor, mense ineunte, sic fere hoc ipso de opusculo ad discipulorum aliquem sibi scribendum putavit:

» *Quod de meis nonnullis scriptis, quibus iterum edi contige-* » *rit, laetari te significâsti; grata mihi et haec ipsa res fuit, et* » *tuus ille erga me sensus atque animus. Quae quidem scripta* » *quo plures invenerunt lectores, utinam eo majorem legentibus* » *afferant utilitatem! Quae ut fuerit uberior, ita majores a me* » *Deo gratiae agendae erunt. Quas quam velim, ut par est,* » *habere! Nec utinam mihi fucum faciat, quae nimium facile* » *nostris sese insinuat animis, ac nostra nobis merita blande* » *laudare gestit, prava ac perversa φιλαυτία!"*

» *Jam, ecce! quem penes cum maxime edendi jus est, Biblio-* » *pola me rogat ut juventutis meae* de Spiritu Sancto *disserta-* » *tionem, cujus a multis inde annis distracta sunt exempla, denuo* » *typis frequentandi sibi copiam faciam. Quae quidem res, quid* » *enim dissimulem? sensûs aliquâ demulcet animum suavitate.* » *Verumtamen quae ante hoc dimidiatum scripsi seculum, ea ve-* » *reor ut hujus, quo vivimus, temporis rationibus satis conve-* » *niant; si certe vel immutata vel leviter tantum mutata repe-* » *tantur. Sin multa in illis refingantur, non idem hic maneat* » *liber. Nec meam hanc amplius idoneam arbitror aetatem, quâ* » *novum commentem opus exegeticum et dogmaticum, quod nostro* » *haud impar sit tempori. Accedit quod necessariis ad pensum* » *conficiendum subsidiis me jam destitutum videam"* (1).

» *Vel sic tamen qui me urgeat adest; nec aliqua menti, quae* » *eandem in viam me impellat, inclinatio deest. Ubi praesertim* » *ea perpendo, quae meo propria fere sunt ac priva libello; qui,* » *non in paucis nonnullis, qui* classici *audiunt, locis explicandis* » *acquiescens, id potius studiose persequitur, hocce de capite quae* » *constans sit atque aequabilis Novi Testamenti doctrina. De*

---

(1) Distractâ, a. 1842, majore bibliothecae parte, in quâ permulti libri theologici.

»Spiritu Sancto *enim quae aliis locis diserte traduntur, quî aliis* »*vel obscurius adumbrari vel poni ac sumi videamus, accurate* »*indicare conati sumus. Tum frequens illud definiendum putavi* »*discrimen, quod, ab uno alterove loco si discesseris, ubique in*»*tercedit πνεῦμα ἅγιον inter et τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ad quem* »Articuli, *alibi quidem positi alibi vero omissi, usum ne recen*»*tissimi quidem de hoc argumento scriptores ubique satis atten*»*disse videntur.*"

»*Quas igitur propter dubitationes adhuc quidem ad Biblio*»*polam nihil certi ac definiti rescripsi. Tu vero si quid forte* »*habeas, quod vel caussam illustret vel probabili me augeat* »*consilio, candide perscribas velim. Quo facto tibi me valde* »*obstrinxeris. Atque hoc quam sincere dixerim ne tum quidem* »*dubitabis, si vel in aliam, ac suaseris, viam tandem me dis*»*cedentem videas.*"

Ecce! non epistolae magis summam, quam candidi, modesti sibique constantis, unde fluxit, animi novam aliquam imaginem. Quocirca paullo copiosiora haec ex moribundi fere Praeceptoris litteris reposuisse me non poenitet, nec legisse te poenitebit.

Verum haec, de quâ diximus, disputatio qualemcunque vel ab auctoris aetate excusationem habeat, vel suâ a praestantiâ commendationem; longe plura ac majora debuisse *Dogmatice* censenda est *academicae* Theologi *disciplinae*. Haec enim, haec maxime fuit quae, per longum plurimorum annorum spatium, centenis doctrinae illius cultoribus juvenibus *sapientiae munus et officium*, hîc sequendum, non frustra demonstraret ac commendaret. Namque in his ejus discipulis, quorum jam haud pauci Viri sunt aetate ac meritis graves, alii florente aetate ad eandem laudem succrescunt, vix quemquam futurum esse confido, quin, grato in Deum, sortis suae Moderatorem, animo, mecum affirmet ac testificetur: »*In dogmaticis si quid recte videre mihi* »*contigit, nemini magis, quam* Clarissio, *hoc me debere sen*»*tio scioque.*"

Sed ne hoc quidem a vobis requiro, ut in solis his condiscipulorum meorum vocibus ac testimoniis, quamvis numerosis illis, quamvis gravibus, hîc acquiescatis. *Sapientiae* enim, a quâ Dogmaticum imprimis laudamus Theologum, luculenta exempla ac documenta passim omnia illius, quae quidem hoc genus attingunt, scripta spectanda vobis offerent, omnes de libris editae relationes, omnes sanctâ in cathedrâ pronuntiatae orationes. Quod quo jure affirmaverim ut ipsi judicare possitis, paucos ex multis relegendos commendabo locos *censurarum*, quos breviore notatione significare licet.

Argumenti igitur memores, quod modo antea tractantem eum audivimus, primum perpendatis velim, Lotzii commentationem de *Spiritu Sancto* judicans, quam subtiliter ac quam prudenter et ipsius doctrinae summam interpretetur, et de locorum probantium delectu faciendo moneat, et de optimâ, quâ *Arianos* refutare expediat, viâ ac ratione disputet (1). — Quibus cum dictis conferre ne negligas quae alibi, ternas laudans Muntinghii *sacras orationes*, pari modestiâ ac liberalitate de *Divini Spiritûs* operâ efficacissimâ docet, hominis animum verâ fide imbuente ac Christo conciliante, quae non *genere*, sed *gradu* ac *mensurâ* ab illâ differat, quae *gratia communis* antiquiorum in Scholis appellari consueverat (2). — »Mortalium ea tenuitas est »atque ea infantia, quâ fiat ut de supremo Numine *analogice* »tantum ac *symbolice* loqui possint, ac locutiones a nostrarum »rerum similitudine ductas, etsi divinae majestati non plane con»gruas, quam cautissime subinde transferre debeant." Vide quaeso, id quod ita jejune ac nude nos enuntiavimus, quantâ ubertate et quam frugiferâ ratione, laudabilem aliquem Beetsii *de religionis doctrinâ* librum commendaturus, explicet ille atque exponat (3).

---

(1) *Cens. Censs.*, I. 662 sqq.

(2) *Ibidem*, IX. 470.

(3) *Ibidem*, II. 281 sqq.

Quae *Christi perpessionibus ac morti expiatoriae* divinitus proposita fuerunt consilia salutaria, quomodo a nobis componenda atque harmonice conjungenda sint, accurate edoceri juvat? En tibi locum, ubi, de Simonis D. de Keiser ac Seltenreichii, quae hoc ipsum tractârant argumentum, disputationibus judicium proditurus Amicus, brevibus multa, gravissimam quaestionem illustrantia, complectitur, non brevi meditatione tuâ dignissima (1). — »Verum ita haec Christi, extrema quaeque pro no»bis passi ac dirâ nece mortui, consilia declaranda sunt, ut a »peccatorum expiatione omnia ducantur, atque ad hanc omnia »referantur. Quam quidem doctrinam si nonnullos nunc irri»dentes videmus; a nostrâ nos sententiâ haec eorum irrisio ne»quaquam avertat oportet." Hanc denuo sententiam, Ernesti Klose *de S. Coenâ* librum considerans, quam candide declaret Theologus, legas velim ac cognoscas (2).

Quid vero de *Fratrum Moravicorum* more statuendum est, ita Dominum *Christum* adorantium, ut Deo eidemque *Patri* justum denegent aut certe non tribuant honorem? Ineunte jam hoc seculo, uberiore eâdemque sapientissimâ disquisitione quibus de caussis haec eorum ratio improbanda sit, atque a Christi Apostolorumque doctrinâ quam longe ea recedat, demonstravit Amicus (3).

De rebus ad *futuram*, quam exspectamus, *vitam* pertinentibus ita discipulos edocebat, ut nec Scaligerani eos oblivisci pateretur effati, quod *nescire velle, quae Magister optimus docere non vult, eruditam esse inscitiam* affirmat; nec magis quae ab eodem Magistro supremo clare patefacta sunt, quamvis nobis imperscrutabilia, temere in dubium revocare sapientis esse, iis demonstra-

---

(1) *Eodem in opere*, XI. 393, coll. XII. 156 sqq.

(2) *Ibidem*, IX. 158 sqq.

(3) Vid. *Biblioth. Litt. theol.* III. 627.

ret. Quâ cum Scholae disciplinâ quam egregie concinunt quae iisdem de rebus passim amplectenda ac sequenda commendant scripta! Ubi quid primum tibi legendum monstrare debeam, incertus fere haereo. Liberalia enim sunt ac prudentia quae, in laudatâ dissertationis Valkianae censurâ, de meliorum *ἐθνικῶν* sorte aeternâ disputat (1). Verum haud dubie eadem haec sapientiae laus cum disputatione communicanda est, brevissimâ quidem, sed a nemine temere negligendâ, quam, commodâ datâ occasione, de revidendis prodidit futuro in stadio amicis (2). Nec minore vel modestiâ vel gravitate monita cernuntur, quibus auctoris alicujus arrogantiam reprehendit, qui acerbius, pro seculi more, doctrinam de *poenarum aeternitate* traducendam putârat (3).

Nulla sane virtus est, quae *Dogmaticum* magis ornet, nulla, quae magis ei honorifica sit, quam *candor* ingenuus, nihil, quod dictu atque auditu utile est, dissimulans tegensve, nec ullas angustae mentis hominum offensiones reformidans. Hunc igitur candorem ubique Theologi Scholae demonstrabant, ubique scripta comprobant. Videte enim quam illustria hujus virtutis documenta relationes edant de disputationibus Overdorpii et Harmsenii, laudatâ utrâque ac laudabili, sed antiquatae Dogmaticae tenaciore utrâque. Ubi consuluisse neminem poenitebit, quae ad sententiam confirmandam attulit, quam sic fere enuntiat: » *Major nostra sentiendi libertas, nullis amplius sys-* » *tematis* theologici *vinculis constricta, permultorum S. S. locorum,* » *olim perverti solitorum, veram ostendit interpretationem* (4)." — His, quos ostendimus, locis adjungenda quae de *Christo* atque *Apostolis*, subinde, sine optimae caussae detrimento, *civium aequaliumque rationem sentiendi et dicendi* referentibus atque

---

(1) Vid. *Cens. Censs.*, VIII. 384.

(2) *Ibidem*, XIV. 469—471 *recenss.*

(3) *Ibidem*, XVI. 471 sqq.

(4) *Ibidem*, II. 368. 673 sqq.

imitantibus, alibi monentem eundem audimus Theologum (1). — Verum majorem etiam eodem a candore commendationem habet *Thesium* Harmsianarum, quarum promulgatio, a. 1817, vehementissimas Ecclesiae lites pepererat, accurata censura. Quae, quod omnia passim scripta demonstrant, luculenter comprobavit, non tantum subtilem et acutum et in paucis doctissimum, sed eundem, quod ad laudem longe uberius, *vere sapientem* Dogmaticae Magistrum fuisse Clarissium (2).

II.

Quamvis multa varii generis scripta in publicum ediderit Praeceptor, tamen nullo non tempore dolendum putavi, quod in tot, tam praestantibus ejus operibus nullum exstat, quo consulto illam complexus sit doctrinam, quam impensius etiam, quam caeteras disciplinae nostrae partes, amâsse cuique majorem etiam, quam aliis ullis vel doctrinis vel Litteris, operam dedisse videtur. Nec enim quidquam magis in deliciis eum habuisse, quam *Ethicam*, et universam et *Christianam* maxime, constat inter omnes. Hanc igitur singulari ac doctâ operâ si licuisset ornare; palmare sane peperisset monumentum, quod non magis ad ipsius laudem immortalitati consecrandam accommodatum fuisset, quam ad *Ethices*, a *Christo* traditae, plane unicam praestantiam ac coelestem pulcritudinem omnium judiciis probandam. Ad hujusmodi sane, quale nobis informamus, quod nostro huic seculo haud impar esset, opus commentandum ac consignandum infinita fere doctrina historica, philologica, philosopha, physiologica, theologica et quae non alia? requirebatur. A quâ doctrinae varietate atque ubertate nemo magis paratus ad hoc, quod diximus, agendum pensum accessit, quam Reinhardius, Vir immortalis, cujus hoc in genere laudem non puto recentiorum quemquam aequâsse, nedum superâsse. Verum dotum earum ac

(1) *Eodem in opere*, VII. 78 sqq. *recenss.*
(2) *Ibidem*, XII. 15 sqq.

facultatum, unde tanta illa operis Reinhardiani praestantia effloruit, ne ulla quidem Clarissio defuisse censenda est; adfuit fortasse subtilius etiam ingenium philosophum; adfuit certe *Physiologiae, Anatomes* aliarumque, quae in *Medico* requiruntur, *Ethices* Doctorem ornant, doctrinarum interior ac plenior cognitio. Sed. par fuerit in utroque facultas. Restat tamen hoc, quod Theologus *Leidensis*, post *Dresdensem* penso suscepto, hujus vestigia secutus, majora etiam praestare potuisset. Quae cum ita sint, dicere vix possum quam vehementer doluerim Amicum, innumeris detentum ac districtum negotiis gravissimis, id agendum suscipere non potuisse, quod si peregisset, ecquod omnium ejus operum praestantissimum sit, nemini amplius dubium remaneret.

Verum justissimum hunc dolorem leniat oportet ac consoletur aliorum consideratio, quibus nobilissimam hanc demeruit disciplinam, officiorum gravissimorum. Hujus enim accurato studio quam multorum juvenum animos, institutionis sapientiâ ac diuturnitate, efficaciter conciliaverit etsi nemo, plenâ initâ computatione, monstrare potest; tamen ex iis, quae vel de Hardero-vicenâ statione, vel de Leidensi narrata audivimus, haud inani nec fallaci efficiemus conjecturâ (1). In *illâ* enim Kemperi, at qualis Juris Antecessoris! auctoritas fuit, quae *Themidis* etiam alumnos nostri Praeceptoris in *ethicas* Scholas alliceret ac deduceret. In *hâc* vero qualem sese hujus potissimum disciplinae Doctorem demonstraverit, ex me quaerere nolite; locupletiores enim hîc Vobis testes erunt Viri gravissimi quam plurimi, aetate me minores, ingenio doctrinâque majores.

Commentationem, quâ *Ethices Christianae praestantiam, Societate Haganâ* laudante, omnium judiciis suffragantibus, exposuit ac demonstravit, non est quod denuo praedicem. In cujus

---

(1) Vid. supra p. 62 et p. 86.

nimirum memoriam ipse hic locus, me tacente, sponte lectores reducet. Eâ scripsit illam aetate, quâ nondum ad consummatissimam pervenerat, quam postea studiorum ac lucubrationum perseverantia allatura erat, doctrinae maturitatem. Et tamen ita scripsit, ne quid amplius dicam, ut, cum primum meditate ac pie legeris, fidem Christo, *Legislatori* divino, habitam novis iisque firmissimis munitam cernas praesidiis. Ex quâ igitur disputationis, ineunte jam hoc seculo editae, laude et subtilitate quam praestabilis futura fuisset judicare licet, si forte, triginta post annis commentata, ex omnibus iis proficere potuisset, quae tam diu docendo didicerat auctor ac lucubrando.

Nec hujus tamen scripti splendor in meam civiumve oblivionem utilissimam adducat commentationem oportet, jam antea editam ac supra memoratam, *de animo*, qualis Christianorum esse debet, *suâ sorte contento*. Quam quidem *minus peritorum* imprimis *usibus* auctoris inscriptionem destinâsse novimus. Sed nihil verius Censoris judicio, qui: »*Huic vero*," inquit, »*ita* »*scribendi dos ac facultas obtigit*, *ut nec a quoquam quamvis* »*indocto non intelligatur*, *nec ullum capiat scripta legendi taedium* »*doctiores*." Sunt enim, dictorum formam si tantum spectaveris, populariter enuntiata libelli monita ac consilia saluberrima; sed eadem, ipsas res si attenderis, tam subtilia esse comperies et tam cogitate scripta, ut, si forte solis ea destinâsset Viris cultissimis, vix opus fuisset ut quidquam vel demeretur vel adjiceretur (1).

Eâdem autem, eleganter cum *subtilitate* copulatâ, *popularitate* plures cernuntur *orationes*, vel in cultiorum hominum consessibus, vel in templis habitae, quae diversos admodum doctrinae morum locos sive consulto tractant seu obiter attingunt. In quibus, quamvis in magnâ versatis argumentorum varietate, non facile ullam inventum iri confido, quin Oratorem arguat, qui in

(1) Supra, p. 46, et ipsum libellum accuratius memoravimus et Censorem, cujus h. l. repositum est judicium.

animi humani eamque moderantis Ethices intima penetralia sese penitus insinuârit, atque ex utriusque recessibus rarâ facilitate, nec minore felicitate quaecunque auditoribus utilia videbantur, proferenda curârit (1).

In priore, quod memoravimus, genere supra laudatae sunt orationes de *taedio*, de *applausu*, de *politâ cultâque vitae ratione, Christianorum virtute* (2) aliaeque: neque enim omnes recensere possumus. Quarum nonnullae si sale Attico lepide conspersae sunt, ac *ridendo verum dicunt;* tamen ne severissimi quidem morum censoris consideratione indignae sunt, nec pauca continent, unde suos loculos utiliter locupletet hujus, de quâ agimus, doctrinae cultor atque amator.

Sacris in orationibus haud paucae reperiuntur, *moralia* argumenta vel *singularia* vel *generalia* complexae, quae, etsi minus adstrictam, quam Scholae requirunt, formam habeant, universâ tamen ratione ac dispositione ipsoque rerum delectu, qualem informavimus Ethices Doctorem, dicentem ostendant. Prioris generis binae *primo* omnium *Manipulo* continentur: quarum altera quidem, *Paullinum* explicans monitum, *Ephes.* VI. 4, tritum argumentum exquisitâ tractat eloquentiâ, *parentum Christianorum erga liberos officia.* Altera nec gratum argumentum

---

(1) A rarâ ac singulari *hominum cognitione* eximie eum laudavit Ockersius (*Cens. Censs.* XVIII. 195 *recenss.*); quem in nostrae hujus aetatis *Anthropologis* principem obtinuisse locum nemo nescit. Quamquam de hâc Amici cognitione certiore etiam voce permulti testificantur et orationum loci et commentationum et censurarum et nullorum non scriptorum.

Sicuti nihil, quod cum Anthropologiâ conjunctionem haberet, leve ducebat nec negligebat, ita *Physiognomiae* amantem eum peritumque fuisse, Bodelii Nyenhusii testimonio mihi constitit. Atque eximiae sane huc pertinentes animadversiones et alibi proditae exstant, et in Ravii, Ockersii aliorumque laudationibus.

Praeclarum item *Physiognomum* utilissima demonstrant praecepta, quibus Oratori quomodo eleganter ac decore componendus sit *vultus* accurate docet. Vid. omnino ad Ewald. *de Eloq.* s. p. 430 pluribusque sequentibus.

(2) V. p. 155 et p. 193.

complectitur, nec sane vulgare, sed idem ad hominum mores emendandos fructuosissimum. *Ab iniquis* enim *adversus alios in pectore alendis suspicionibus* auditores avocat. Ubi *Paulli* effatum, 1 *Corinth.* XIII. 5[d], urget ac sequendum commendat Orator (1). — Verum harum, quamvis praestantium, laudes quodammodo obscurat quae *tertii Manipuli* tertio loco collocata legitur. *Ejusdem* enim *Apostoli* longe sapientissimum praeceptum interpretatur, quod, *Philipp.* II. 14, *ne*, puerorum instar male moratorum, *reluctantes ac renitentes Divinae obediant voluntati* Christi cultores hortatur. Si vel in aliis vel sanctissimi muneris in officiis, tenuioribus etiam ac taediosis, sapienter pieque versari cupis, *lecta* tibi *placet*, *decies repetita placebit* haec oratio. — Nec negligatur quae *ejusdem Fasciculi* octava est. Neque enim Christi dictum, *Joann.* VIII. 34[b], interpretantem, ac *de peccati servitute* agentem eum consuluisse te poenitebit (2). — Quâcum oratione, *priore novarum Oratt. sacrarum in Fasciculo*, quartam compares suadeo, quae, a *Jeremiae*, XVIII. 12, dicto profecta, *tolerabilem* graphice pingit *desperationem* (3). — *Quî fucum sibi faciat prava Φιλαυτία*, si forte a summo tibi declaratum cupis Anthropologo; *ejusdem Seriei* Orationum *Tomo altero* tertiam adeas, quae ex arrogante quâdam *Pharisaeorum* quaestione, a *Joannis Euangelio* memoratâ, IX. 40[b], dicendi argumentum solerter haurit (4).

---

(1) *Oratt. s.* Tom. I. p. 191 sqq. 165 sqq.

(2) T. III. p. 79 sqq. 255 sqq.

(3) P. 105 sqq.

(4) Pag. 59 sqq.

Aliae non desunt orationes, quas etiam ipsas h. l. honorifice memorare possim. Veluti, *nov. Oratt. s. Tom.* I, *tertia*, *sexta*, *septima*; — item *Fasciculi*, *Gron.* a. 1831 editi (*Leerredd. naar de behoeften van onzen leeftijd*) *prima*, quae *veri studium cum pacis amore conjungendum* commendat.

Item earum orationum sacrarum, quae *Ephemeridum in Miscellaneis* repositae sunt, nonnullae varia praeclare exponunt argumenta *ethica*. Cujusmodi sunt, quibus vel *Christi in perpessionibus quae nobis imitanda sint*; — vel *qui verus Patriaê amor sit*, *Christi exemplò spectatus*; — vel *quae charitatis laus*

Sed quid a te pretii feram, Lector amicissime! si binas tibi monstravero sacras orationes, *generalius* argumentum morale complexas, quae ita suis partibus absolutae sint, tantam consummatae fere sapientiae laudem habeant, ut unquam de pio *mentis regimine* prudentiora te praecepta legisse negare non verear? En tibi orationum par, quod *tertium* haud mediocriter ornat hujus generis *Manipulum*. Utraque quidem praeceptum interpretatur *Salomoneum, Proverbb.* IV. 23: *Prae caeteris, quae conservanda sunt, omnibus tuum ipse animum tutare: hinc enim vitae emanant scaturigines.* Sed prior *animum felicitatis fontem* spectat; altera *de* ejusdem *animi tutandi officio* praecipit. Ubi quid potissimum prae caeteris praedicandum sit nescio: adeo nullâ non sapientiae atque eloquentiae laude cumulatae sunt. Id scio, si quis ab harum lectione orationum ita discedat, ut nec sibi displiceat, nec sincera capiat animi, bono cum Deo, emendandi consilia; hujus de vitâ interiore pessime sperandum esse. Utinam igitur his certe aureis sapientiae praeceptis meditandis lectores conciliare contigerit! (1).

Non minus admirabilem Ethices peritiam produnt, nec minus subtilem naturae humanae cognitionem pleraeque, a Clarissio ex templis in *Fasciculos* derivatae orationes, quae *hominum*, quos Utriusque Foederis historia memorat, *indolem* moresque, virtutes ac vitia scite et accurate denotant ac nativis depingunt coloribus. Quos igitur non incommode *sacros* appellare possis *characterismos*. Quorum ecquos significem si quaeris; *imagines* tibi demonstrabo, quas variis Manipulorum locis eum informâsse videmus et Barnabae (2) et Nathanaëlis (3) et Paulli, *mentis*

---

sit, accurate et graviter demonstratum videmus. Quae ubi consignatae sint, supra, p. 194, notatum invenies.

(1) Inveniuntur Tom. III. p. 183—253.

(2) Tom. I. p. 221 sqq.

(3) *Leerredd. naar de behoeften van dezen tijd* (1831) p. 35 sqq. Horum characterismorum si unum solummodo legere placeat, hunc legas velim.

aequabilitate conspicui (1), et Stephani *pie morientis* (2). Quibus Herodis Antipae characterismum adjunges; cujus virtutes aut bona certe ita cum vitiis contenduntur, ut ex *illorum* cum his comparatione *aenigma* exsistere *psychologicum* acute doceatur. Ad cujus igitur solutionem dubites, utrum majorem ingenii vim ac mentis latebrarum cognitionem, an docendi prudentiam adhibuerit auctor. Ejusmodi certe haec est morum notatio, cujus singularem atque unicam pulcritudinem publicis ornandam putaverit laudibus idem, de quo modo antea diximus, Ockersius (3).

Sicuti Dogmatices, ita *Ethices* quoque studiis, de libris hoc in genere recens editis referendo, eum prodesse voluisse videmus. Cujus studii unum certe ex pluribus exemplum memorare liceat. Anno igitur 1809, Cornelius Epenius, Vir nostrâ de disciplinâ bene meritus (4), ex eo, cui Antistes praeerat, coetu nuperrime in alium evocatus, rerum suarum opportunitate quâdam impellente, quaestionem, migrandumne sibi esset nec ne? palam institutae *sortitioni* dirimendam commiserat. Quod consilium, ubi multis displicere compererat, publice edito libello tueri ac defendere conatur. Alii in hanc, alii in illam partem;

---

(1) *Ejusdem Fascic.* p. 253 sqq.

(2) Tom. III. p. 325 sqq. Inscribitur: *Stephani mors, fidei et spei et charitatis triumphus.*

(3) Oratio consignata est Tom. III. p. 115 sqq. Vid. Ock. *Cens. Censs.* XI. 348.

Est etiam alia huc referenda oratio, sed sui plane generis illa, quae exstat Tom. II. p. 253 sqq. Locum interpretatur *Luc.* XXIII. 34. 35; atque hanc habet inscriptionem: Christus *in Golgothae colle una hominibus cum adstantibus. Hominum cum nobilitatis tum depravationis pictura.* Sane rerum juxta crucem gestarum haec *pictura* potius, quam *descriptio* dicenda est.

(4) Dogmatices De Wettianae primam partem, doctâ auctam annotatione, Nederlandice edidit. — Pluribus de libris theologicis et alibi accurate ac copiose retulit, et in op. *Bijdr. tot de gesch. en beoef. der godgel. Wetenschappen*,

pro suo quisque sensu, rem accipere. Clarissius autem ita scriptum censere ut, de Epenii consilio judicium suspendens, brevissimâ sed eâdem accuratissimâ disputatione universam hanc illustraret quaestionem: »*Ecquando Christi cultori, quo certius* »*sibi de agendis aut fugiendis constet, ad sortes conjiciendas re-* »*currere licet, ex earumque jactu et exitu quid sibi agendum* »*sit statuere?*" (1). — Atque hinc judicetis quaeso, Lectores! quâ diligentiâ et quâ subtilitate longe graviores, de officiis secum pugnare visis, quaestiones in Scholis excutere atque illustrare consueverit (2).

III.

In *Theologiâ Practicâ* locupletandâ non minus assidue nec minus felici successu, quam in caeteris nostrae disciplinae partibus excolendis, Praeceptoris operam versatam esse ita nos superiora docuerunt, ut si hoc universe denuo probare vellem, rem actam agere mihi aliisque viderer (3). Nec nulla tamen monenda restant, quibus cujusmodi haec illius opera fuerit paullo clarius intelligatur. Eorum igitur, ut hinc ordiamur, qui in doctis subtilibusque rerum divinarum studiis vitae tabernaculum ponebant, paucissimi sane fuerunt, qui *Popularem*, cujus vim consiliumque supra descripsimus, *Theologiam tanti, quanti hic, faciendam putarent.* Ipse enim fuit, qui Sternii, nobilissimi Anglorum scriptoris, dictum ingeniosum sese approbare, omnibus audientibus, profiteretur, quo »*cunctis illis, quae quinqua-*

(1) Libellus inscriptus est: *Het betamelijk gebruik van het Lot, bijzonder in kerkelijke zaken, overeenkomstig Bijbel en gezond verstand, bewezen door* C. van Epen; *Amst.* 1811. De quo, sicuti diximus, egit Cl. in *Cens. Cens.* VI. 360—365.

(2) Et in scriptis de *Theologiâ Biblicâ*, et in *disquisitionibus ecclesiasticis* negligi fere aut leviore, quam *Dogmatices*, manu tractari *Ethices* aegre ferre solebat Theologus. Vid. proxime laudata *Ephemer.* XVI. 581 sq. *recenss.*

De Kantii Ethicâ omnino consulatur, *ibidem*, XII. 156 sqq.

(3) De *populari* singulatim *Cod. S. interpretatione* supra vid. p. 245 sqq.

»*genis adeo annis comportare scriptisque consignare possint* »*Theologi Polemici*, *vel unam Theologiae Practicae unciam* »*praeferendam esse*," Vir optimus pronuntiaverat (1).

Neque igitur alio tempore justam dissimulavit indignationem, ubi saluberrimi hujusce studii pretium dignitatemque ignominiose extenuare studuerat arrogantior aliquis librorum Censor. Cujus insulsâ quâdam atque ineptâ memoratâ comparatione, quam hîc reponere nihil attinet: »*Enimvero*," ait, »*nunquam id nostrum* »*hunc egisse Censorem opinor, ut rudium atque imperitorum* »*hominum in usus libros commentaret. Nec certe in eo, qui his* »*ipsis Cod. Sacrum enarrare velit, quam multa requirantur, ut* »*par erat, perpendit. Quod profecto pensum multo majorem et* »*eruditionem sibi postulat et diligentiam et pulcri sensum, quam* »*doctorum in gratiam scribendi munus et officium*" (2).

Ex hoc igitur ejus sensu ac judicio constantissimo tanta illa varietas exstitit ac copia scriptorum, quibus pietatis sapientiaeque monita, praecepta, consilia, et aliis et sacris maxime ex fontibus hausta ac derivata, civium non auribus tantum, sed

---

(1) Vid. annot. ad Ewald. *de Eloqu. s.* p. 78.

(2) Vid. *Cens. Cens*. IV. 20; ubi W. G. Reddingii de *Epist. ad Philipp.* librum practicum a *Zoïli* tuetur reprehensionibus.

Verum, hâc datâ opportunitate, paucas etiam alias librorum *censuras* lectoribus in memoriam revocare juvat, cum *Theologiâ Practicâ* conjunctas, ubi valde utilia docuit harum rerum arbiter in paucis idoneus. De *Anglorum* igitur scriptoribus practicis, quorum bona laudat, nimiam severitatem reprehendit, disputantem vide, memor. in *Ephem.* XI. 252; ubi magni illius Wilberforcii liber censetur. — *Ibidem*, p. 290, aliis aliorum *Theol. Dogm.* compendiis Mori *Epitomen* ideo longe anteferendam esse docet, quia accuratius subtiliusque *practicum* doctrinarum *momentum* ostendit atque illustrat. — De Jodoco à Lodenstein, *Theologo practico*, vide quam honorificum prodiderit judicium, *ibidem*, XII. 157.

Tandem valde memorabile mihi judicium videtur, quod, anno jam 1814, de eorum tulit docendi ratione, qui, sepositâ fere religionis *Christianae* institutione, inferioribus in Scholis pueros *Theologiâ* tantum *Naturali* atque *Ethicâ* quâdam *populari* imbuebant. Quod vehementer improbabat. V. memor. *Ephem.* VII. 608 sqq.

animis insinuare conaretur. Quae scripta, quorum longe pleraque jam antea memoravimus, nunc in brevissimâ solummodo *tabellâ* veluti conspicienda praebebo; iis tantum, de quibus nihil adhuc accurate a me narratum legistis, paullo disertius notatis. Unde neminem fuisse omnibus, ni fallor, constabit, *neminem certe recentiorum Theologorum nostratium, qui tam varia,* tantâ formae atque universae rationis diversitate sejuncta, *paraenetici hujus generis scripta commentationesque ediderit.*

Hîc igitur primum perpendas velim, quot ejus *orationum sacrarum* exstent Fasciculi, quot separatim editae orationes, quarum ne subtilissima quidem in *contemplationis* haeret jejunitate, quarumque ne binae quidem sunt, quae *eâdem* plane *ratione* auditorum animos salutariter pellere ac commovere conentur. — His quidem, ut origine sic genere, affines sunt *Characterismorum ex Christi vitae perpessionumque historiâ adumbratorum* binae semisses. Verumtamen suo aliquo colore tinctae apparent, atque in unius Christi rebus vel potius ipso in *Christo,* magis etiam graphice, quam alibi solebat auctor, depingendo versantur.

Illae autem *orationes* erant, quibus primum hoc ac princeps propositum fuerat consilium, ut *publicum* Dei *cultum* auditorum animis quam utilissimum redderent. Ecce vero senos alios item praeceptivi argumenti Fasciculos, quorum singuli sexaginta fere habent commentariola, quae, in formae atque orationis eleganter temperatâ varietate, id communiter spectabant omnes ut, per *privatum* ac domesticum ejusdem Dei *cultum*, hujusque per actus quotidianos sociorum in pectoribus fides et cum charitate spes aleretur (1).

Ac quo ipso tempore suum hoc pensum, quod magnam plurium annorum operam requirebat, valde occupatum eum tenebat, et ne quid ante absolutum illud sibi accideret subinde me-

(1) Hoc opus est, quod dicitur: *Aanleiding tot huisselijke Godsdienstoefening.*

tuere incipiebat; alieni etiam haud disparis laboris promtum admodum ac benevolum sese praebuit adjutorem. Quod cujusmodi fuerit cum ex superioribus nondum acceperimus, hîc paucis narrandum videtur. Anno igitur 1834 ineunte, Vir venerandus idemque Reformatorum Coetûs Leidensis Antistes gravissimus opus edere incepit, quod et erat et inscribebatur: *Ad Calendarium Biblicum Liber manualis* (1). Quod quidem opus longe plerisque hujus narrationis lectoribus ita notum est, ut accuratius, ejus vel rationem describere vel praestantiam laudare nihil attineat. Ac noverunt iidem haud paucos fuisse Patriae nostrae Theologos, cum academicos tum ecclesiasticos, qui, suâ quisque vice et ordine, frequentes ac voluntarias hoc ad opus symbolas darent (2). In quibus non ultimum fuisse, etsi rerum suarum satagentem, Praeceptorem nostrum constat. Qui plura adeo, quam quisquam alius, si ab uno discesseris operis Moderatore, hîc praestitisse videtur. Subinde enim fiebat ut, aliis detenti pensis, socii nonnulli ad Virum, quem dixi, venerandum justo tempore mittere non possent, quas se scripturos esse receperant, commentationes. Quâ igitur spe frustratus ille, urgente Typographo, Clarissium adire ab eoque petere ut de *S. C. loco*, qui certum in diem erat indictus, (non integrâ auctori seligendi argumenti potestate) subitâ ac necopinatâ operâ suam lectorumque in gratiam nonnulla commentaret. Nec frustra se rogari patitur; quâ et humanissimâ benevolentiâ erat et paratissimâ

---

(1) Vernacule: *Dagboek ten gebruike bij den Bijbelschen Almanak* [uitgegeven door J. E. Voet van Campen]; L. B. 1834—1838. V Tomis bipertitis. 8.

(2) Quas commentationes Heringa noster contulerit, in altero narravi, quod ejus manibus dandum putavi, opusculo: J. H. E. z., *als Voorstander van het Vaderland en deszelfs heilzame Instellingen* caet. (*Traj. ad Rh.* 1840) p. 165 sqq. Quo magis de Clarissii, cujus plane singularis hîc opera fuit, symbolis me plura narrare non posse dolui. Alia dederunt Palmius, Suringarius, Egelingius, alii haud pauci. Nam mortuos tantum, non item vivos, nuncupare licet. Opus autem, ad quod suas quisque symbolas tales tantique Viri contulerunt, ne per immensam recentiorum scriptorum turbam obruatur optandum est.

scribendi alacritate Theologus. Quae requiruntur festinanter ac rapide commentat, chartae mandat, edenda offert; sed eâ iterum iterumque conditione ac lege interpositâ, ut *quae sibi*, tam tumultuariâ non raro operâ scribere coacto, *accepta referret opus, ad neminem quemquam unquam efferretur.* Itaque multa hîc praestitit eaque praestabilia. Nec enim incerto auctore quae legisti narravimus. Plura quaerere nec tibi licet, nec mihi. Sed haec hactenus. Reliqua quam brevissime lustremus.

Multis ante annis utilissima cum Ewaldii, tum Rosenmulleri opera, in haud dissimili vel genere vel consilio versata, nostram in linguam converterat, ac partim certe nostratum studiis accommodatiora reddiderat. Quod supra narravimus, ac nunc hâc unâ de caussâ repetimus, ne huic operum practicorum *tabellae* plurium ab ipso accurate translatorum argumenti hortativi Tomorum desit commemoratio. Nec enim pauci hi Tomi fuerant; nec quae ab interpretis nomine nova iis accesserit commendatio obliviscendum.

Verum, quod magis etiam memorabile videtur, utilissima. de quibus agimus, Theologi officia non solos *honestioris loci* cives, sed item *inferioris sortis* homines demeruisse apparet. *Illorum* enim commodis duodenas illas prospexisse accepimus, quibus *cultiores* donandos curavit *Juvenes*, facundissimas *orationes*. Nec minus diligenti studio *horum* animis immortalibus prodesse conantur binae, quas praemiis ornavit *pro salute publicâ Societas*, ejusdem auctoris commentationes populares. Quarum *prior*, ante hos ipsos quinquagenos annos, maxime opportuno tempore emissa est. Illâ enim vel maxime tempestate bella litesque et conversiones civiles ad multorum mentes a pietate alienandas valuisse novimus. Quo magis tempestivâ operâ ex neglecto Dei cultu mortalium miseriam, contra ex pietate in Deum eorum felicitatem et nunc redundare et olim redundaturam esse, applaudente nobilissimâ *Societate* demonstravit auctor. Cujus commentationem et ab orationis perspicuitate et ab argumentorum pondere

et a monitorum gravitate, prudentiâ, pietate singulari laude praedicandam putavit Censor intelligentissimus (1).

Eam triennio fere post altera excepit disputatio, non minus prudenter temporum opportunitatibus accommodata illa. Quam eâdem, quâ priorem, palmâ dignam censuerunt et, quos diximus, Moderatores et alii sacrorum ac virtutis Patroni. Haec quid agat si quaeris; optima quaevis *subsidia* recenset et strenue adhibenda commendat, *quibus et sentiendi vivendique levitas compesci possit, et publici cultûs divini honos atque auctoritas instaurari.* Ubi ea, quae exspectare jubebat libelli inscriptio, quam dilucide et quam graviter exposita reperiantur, facile me non monente intelliges. Verum alia ibidem depromta videbis monita, quibus, etsi fortasse cum praecipuo libelli consilio minus arcte conjunctis, tamen his etiam nostris diebus sua constat utilitas pretiumque (2).

Jam his cum commentationibus si semel iterumque a nobis laudata de *Apostolorum Actis* et *Jacobi Epistolâ* scripta comparaveris; denuo, quantam universi consilii convenientiam ac

---

(1) Inscribitur diatribe: *Nadrukkelijk betoog, dat Ongodsdienstigheid de bron zij van tijdelijk en eeuwig ongeluk, Godsdienstigheid integendeel de bron van tijdelijk en eeuwig geluk; Amst.* 1799. 165 pp. 8. Quod memoravimus judicium exstat in Ephem.: *A. Vad. Letteroeff. ad a.* 1800. I. 15—19; coll. eodem op. *ad a.* 1801. I. 517. Quo posteriore loco ita censetur Clarissii *de animo suâ sorte contento* disputatio, de quâ nos modo antea diximus, ut haec, quam cum maxime attingimus, repetitis ornetur laudibus.

(2) Inscriptio haec est: *Verh. over de middelen om de losheid in beginselen en zeden te stuiten, en den eerbied voor den openbaren godsdienst en deszelfs gezag te herstellen; Amst.* 1802. Utraque disp. in *Opp. Soc. pro sal. publ.* quaeratur, et utinam a multis legatur! Utra fuerit, quae in Cornelii Brem reprehensionem incurrerit, nec ex ipsius Clarissii admonitione (Cens. Censs. IV. 716 *recenss.*) nec aliunde certo mihi constitit. — De *posteriore*, quâcum, eodem tempore, a memoratâ Societate et praemio ornata est et edita ejusdem argumenti diatribe, auctore H. W. van der Ploeg, Teleiobaptistarum Creveldensium Antistite; — de hâc igitur vidd. quae ipse monuit Praeceptor, annot. ad Ewald. *de Eloq. s.* p. 297.

concordiam, tantam formae rationisque diversitatem animadvertes.

Cave tamen ne omnia jam *paraenetici* argumenti, quae ediderit Amicus, scripta vel hîc vel supra a nobis recensita esse existimes. Nam eodem sine dubio *Meditationes* referendae sunt, *ad Christi perpessionum historiam illustrandam comparatae*, quarum unam alteramque Particulam, *Enchusae* degens, evulgandam curavit (1). — Atque eadem Enchusana ejus statio *Calendarium* peperit; quo scripto *saluti publicae* prospicere se velle, hominum amantissimum professum audimus auctorem. Noli igitur dubitare quin utilissima hortativi generis monita hic ipse quoque contineat libellus (2). — Immo diu jam antea ad *Horreum* aliquod, quod *Religionis* caussam tuendam susceperat, juvenem eum symbolas contulisse, ipso monente intellexi. Quod tamen cujusmodi fuerit, accurate me narrare non posse vehementer doleo (3).

---

(1) Eâ, quâ dixi, ratione hoc opusculum vernaculâ linguâ *Enchusae* editum esse, ipsius Praeceptoris e scidulâ accepi.

(2) *Almanach tot Nut van 't Algemeen*, 1804. Eodem monente Praeceptore rem comperi, quam caeteroquin ignoraturus fuissem.

(3) In scriptorum scidulâ ubi *Juvenilia* sua recenset, symbolas se dedisse ait operi, *Trajecti ad Rhenum* edito, quod vernacule diceretur: *Het godsdienstig Magazijn.* Verum nihil aut ipse addidit, aut aliunde comperi, unde mihi de operis auctoribus aut ratione constaret.

Ibidem, eâdem juvenili aetate, nonnulla se contulisse narrat ad opus, quod dicebatur: *Bijdragen tot het menschelijk geluk.* Hâc ipsâ enim inscriptione Cornelius van Engelen, idem ille Teleiobaptistarum Antistes doctissimus et elegantissimus, qui jam antea Herderi opus *de Poëseos Hebr. ingenio* Nederlandice converterat, nomen non professus Horreum edidit, *Traj. ad Rh.* atq. *Amst.* 1789—1791, VI Voll. f. 8vae emissum. Deinceps consecuta sunt IV Volumina, quae, item vernacule, *Novae* audiunt *ad humanam felicitatem Symbolae; ibidem*, 1797. *Denos* igitur hos *Tomos* satis diligenter perlustravi, sperans fore ut quae Clarissiani nominis certa indicia haberent invenirem. Verum, eheu! frustra fui. Nec tamen taediosi me poeniteret laboris, si aequalium nonnullos ad optimas quasque partes operis

Atque alia sine dubio practica, nomen non professus, commentavit ediditque, quae nec investigare possim nec ejus nomini vindicare. Verum quod supra diximus, neminem facile recentiorum fuisse Theologorum nostratium, cujus ex ingenio ac pietate tam varia exstiterint ac tam diversa scripta hortativa; id certe satis luculenter demonstrâsse videmur. — Ubi tamen unum restat monendum, quod mecum, ni fallor, memorabile putabis. Quanta dictionis copia est et ubertas in operibus ad *Apostolorum Acta* ac *Jacobi Epistolam* illustrandam accommodatis; tam concisa brevitas in commentariolis ad *domesticum* privatumque Dei *cultum* moderandum comparatis. In *illis* quidem justo fusius disputare ac justo diutius singulis in locis haerere Censorum uni alterique visus est auctor. Quamquam, si quid video, iniquiore hi judicio *in optimâ re mediocritatem desiderant* (1). *Optimam* enim hanc *rem* esse, ut quovis auro pretiosiora Codicis Sacri monita, praecepta, consolationes, quâ maximâ possis virium contentione atque argumentorum gravitate hominum animis explices, insinues, instilles, commendes, quis divinis a rebus tam aversus est qui neget? Verum utcunque sit: neque enim nostro indiget patrocinio copia Clarissiana; vide certe orationis stilique conformatione quam longe hinc modo memorata commentariola recedant operis, quod ipsa inscriptio *domesticae* civium secessioni legendum destinaverat. Quae comparatio, ubi idem universe scribendi consilium sequebatur, in quam diversas partes calamum convertere potuerit, luculenter te docebit. Illic enim

---

legendas impulissem, quod plurima lectu digna continet anthropologica, moralia, paedagogica, politica. „

Multis post annis ex parte certe opusculi auctor fuit, quod, posteriore librorum catalogo, p. 55, hâc describitur notatione: J. Cl. *en* A. de Vries, *te Rotterdam*, *een woord aan de gekwetste Nederl. krijgslieden;* 1815. 8°.

(1) Ad nostram hanc caussam applicare liceat quae de *Philosophiae* studiis Cicero; quem vid. *de Fin.* I. 1.

si stili redundantiam quandam nonnulli reprehenderunt; hîc contra tam paucis verbis gravissimas constrictas videmus sententias, ut paucioribus ne ipse quidem Seneca potuisset. Quot verba vocesque, non multum abest quin tot sententiae sint. Ac si, periculo facto, quae singulis illis attinguntur *quaternarum paginarum* commentariolis, non diffuse quidem, sed paullo plenius exponere velis, non raro *vicenas* fere *paginas* requiri invenies. Qui igitur, otio non abundans, hujusmodi librum, multa paucis complexum, vel suo vel aliorum animis pietatis virtutisque monitorem et adhortatorem adhibere cupiet, nullum prius aut potius, quam hunc ipsum, in consilium advocet auctor sum.

Nec vero quemquam doctiorum nostrae aetatis Theologorum fuisse puto, qui *diutius* ac *constantiore perseverantiâ* in pacificâ hâc eâdemque Ecclesiae salutari palaestrâ perstaret. Nec enim dubium esse videtur quin, jam anteaquam *Dornam* habitatum migraret, id est ante annum 1792, nonnulla certe paraenetica in commune bonum contulerit. Quo vero mense ab hujusmodi pensis persequendis plane discesserit, si quaeris; non alius hic fuit, quam a. 1846 mensis ille *Novembris,* quo exeunte ejus nos abitum lugere meministis. Alia enim practica, quae adhuc edere cogitabat Senex, ne memorem; una fuit rata jam moriendi hora, quae *Christi historiae Characterismos* novis augendi orationibus seu *imaginibus* consilia frustraverit. Ex quâ igitur certissimâ temporum computatione ne *undena* quidem, quae ab anno 1791 usque ad annum 1846 abiere, *lustra* a *Theologiae Practicae* studiis efficacissimis ac constantissimis ejus animum alienare aut avocare potuisse intelligimus. Quibus ex studiis uberrimos in aequales redundâsse fructus novimus, atque ut longe uberiores etiam in posteros redundent optamus speramusque.

SEGMENTUM SEXTUM.

DE CLARISSIO RHETORE ATQUE ORATORE SACRO.

I.

Si quando alias ab *eloquentiâ* me minus paratum esse dolui; nunquam acrius hic me commovit doloris sensus, quam ubi Ewaldianum *de Eloquentiâ sacrâ* librum, quem, multimodis emendando, locupletando, ornando, *suum* fecit Clarissius, hîc denuo mihi attingendum esse video. De cujus quidem libri utrâque editione, *Nederlandis* ab hoc accommodatâ atque impertitâ, me supra jam pauca quaedam dixisse recordor, nec quanti hoc opus facerem dissimulâsse (1). Verum vagum hoc testimonium, nullis probatum argumentis, vereor ut ad omnes, quorum id maxime interest, illi conciliandos sufficiat ac satis efficax sit. Vellem igitur singula libri bona dotesque tam diserte ac tam lucide recensere, ut de ejus praestantiâ omnes mihi assentirent lectores. Ad Oratoris enim vocem, vultum, oculos, gestum, habitum atque universam *actionem,* quam *corporis eloquentiam* Cicero vocavit (2), moderandam et ad elegantiae decus componendam quam multa hîc traduntur utilissima praecepta!

Actionis autem gratia ac dignitas cum multarum rerum, quae

---

(1) De utrâque ed. Nederl. vid. supra, p. 97, dicta.
De *Oratoriis* Praeceptoris Scholis p. 63 et 87 diximus.
(2) In libro: *Orator*, Cap. 17.

per se tenues sunt ac minutae, assiduam requirat curam atque exercitationem, timendum sane est ne tirones, nisi mature a perito moniti Magistro, ea pro *nugis* habeant ac negligant, quae non curata *ad seria ducunt* vitia ac dedecora. Verum horum nihil quidquam tam leve est, tam pusillum videri potest, quod prudentissimi hujus Rhetoris (1) attentionem fugerit atque admonitionem (2). — Nec vero haec praecepta, sive graviores res attingant seu leviores, multis obscurantur aut implicantur verborum involucris; quod nonnulli facere assolent dicendi Magistri. Immo eâ potius hîc explicantur orationis perspicuitate, quâ nulla aquae gutta pellucidior esse videatur. Cum praesertim, opportunis locis interspersae vel adjectae, narrationes, exempla, sapientum omnis aevi testimonia atque effata non majorem dictis auctoritatem concilient, quam lucem afferant ac claritatem. Monitorum quidem gravitatem temperat subinde jocorum suavitas; sed ita ut horum facetiae illorum vim atque efficacitatem acuant potius, quam enervent. — Nec vero institutionis perspicuitatem ac popularitatem ejus officere *subtilitati*, qui ipsum non ignoraverit auctorem suâ sponte suspicabitur. Nec libri sane lectione hanc confutatam videbit suspicionem. Nam ad sua quaeque principia hîc omnia referri ac revocari quam facillime

(1) Ubi vel hîc vel postmodum *Rhetorem* dico vel *Auctorem*, Clarissium significo, non Ewaldium, cujus minime quidem contemnenda sunt monita, sed ejusmodi tamen, quae per inexhaustas *illius* copias fere obruantur.

Nisi forte *priorem* a me spectari editionem diserte moneam, *alterius* hîc paginas laudari lectores attendant velim.

(2) Prae caeteris hîc perpendenda commendo quae, p. 185—192, de *litterarum* ac *vocabulorum pronuntiatione* monentur, non ad hujus illiusve regionis Nederlandicae minus elegantem minusque politum usum conformandâ. — Tenuia quidem videntur, nec tamen sine utilitatis fructu legentur quae, p. 401, de *aperiendo* dicit, non claudendo nec semovendo, quem ante se repositum videt Orator, *Codice Sacro;* — tum, p. 379, de *praelegendis* Psalmis, Canticis, Formulis liturgicis; — item de ratione, quâ ad *benefaciendum* egenis auditores adhortari debeas, ac solenniter iis *benedicere*. V. p. 383 sqq.

Prudentissimi Rhetoris ejusdemque Homiletae experientissimi attentionem nihil quidquam fugere videtur; ne usitata quidem preces concludentibus vox *Amen*. V. p. 369 sq.

perspiciet; id est ad generalia omnium quocunque loco dicentium, atque ad Oratorum sacrorum singularia consilia et officia. Quorum nulla vel assequi possint vel exsequi, nisi ad naturae simplicitatem atque imitationem prudenter et orationem et semet ipsos componendos curaverint.

Haec igitur omnia, quae tenuiter attigi, ac multo adeo plura, dummodo quam firma mihi de libri dotibus persuasio est, tam facunda eas, sicuti par est, praedicandi facultas esset, ordine exponere velim, ac comparatione cum aliorum Rhetorum scriptis institutâ, omnium admirationi commendare. Nam si vel solis iis, quae ad Oratoris vocem vultumque et gestum moderandum pertinent, accurate notandis ac prudenter tradendis operis argumentum terminaretur, nostris id studiis utilissimum dicendum foret. Etenim ad eos maxime, quibus divinis de rebus ad populum dicendum est, *in quibus vis Oratoris plerumque ab imperitis exitu judicatur,* verissima sunt applicanda Ciceronis dicta, ubi: »*Et* infantes," ait, »*actionis dignitate eloquentiae* »*saepe fructum tulerunt, et* diserti *deformitate agendi multi in*»*fantes putati sunt. Ut jam non sine caussâ* Demosthenes »*tribuerit et primas et secundas et tertias actioni*" (1).

Verum alia multa hîc tradita videbis, quae si minus *corporis* cum eloquentiâ, sine dubio tamen cum aliis Oratoris, de quo dicimus, officiis muneribusque conjuncta sunt, atque eâdem elucent vel observationis solertiâ vel admonitionis sapientiâ. De universâ enim bene dicendi facultate et in orationibus, quae librum aperiunt, de consulto disputat, et alibi, quâvis oblatâ usus opportunitate, prudenter praecipit atque accurate. Singulatim autem consulenda sunt quae et de *Sacri Codicis studio* dicit, eloquentiae, quam commendamus, fonte uberrimo (2); —

(1) In *Oratore*, Cap. 17, coll. *de Oratore*, II. 17. Vid. etiam *ibidem* III. 56; et quos alios veterum ac recentiorum locos Cl. ad Ewaldium, p. 61, laudavit.

(2) P. 72. 79.

et de Oratoris *consilio,* cui non tam id debeat esse propositum, ut subito pavore percellantur auditores, quam hoc potius, ut *deliberato animi consilio apud Dominum maneant* (1); — et vero de remediis subsidiisque, quibus ad eorum acuendam *attentionem* utendum sit (2). Tum prudentissima adeunda est disputatio eademque modestiae significatione memorabilis, quae quaestionem excutit, utrum *ediscendae* nobis sint, an *liberius commentandae,* an vero *ex tempore* pronuntiandae sacrae orationes (3). Nec magis praetereunda monita, quibus a grandiloquo, ventoso, contorto dicendi genere sectando ac verbis captandis sesquipedalibus avocat Antistites (4). Ac discipulos semel iterumque adhortatur ne *eloquentiam* in templis, pro optimae caussae *ministrâ, dominam* esse permittant (5). Quotumquemque lectorum non summa ac paterna dicentis *gravitas* commovebit, ubi vel de *piis animi sensibus* disputat, quibus, sacram in cathedram adscensurum, semet imbuere oporteat Oratorem (6); — vel de religiosâ, qua publicae *preces* ipsi praeeundae sint, curâ ac pietate? (7). Nec minus gravia legantur monita ac perpendantur de sanctissimo illius omnia ad veram auditorum οἰκοδομὴν referendi munere et officio (8).

---

(1) P. 86 sqq., coll. *Act. App.* XI. 23.

(2) P. 109 sqq.

(3) Pag. 264 sqq. Ubi, p. 271, *suis se monitis* subinde *minorem* fuisse singulari candore fatetur.

(4) P. 71, coll. p. 321.

(5) Iisdem his verbis usum, hoc eum commendantem audimus, p. 159.

(6) De *internâ* animi sui *vitâ* Oratori alendâ praeclarus, si quis alius, locus est p. 126 sqq.

(7) Pag. 362 sqq.

Quam diligenti curâ ipse Cl. *preces*, pro concione a se pronuntiandas, meditari nec raro commentare solitus sit, multas ejus orationum s. sciagraphias ineditas lustranti, mihi luculenter apparuit. Atque eandem diligentiam ac religionem diserte in Ockersio laudavit. V. hujus *vita*, p. 182. In Cl. autem eo magis memorabilis mihi pia haec cura videbatur, quo promtiore eum fuisse facultate noveram *ex tempore* quaecunque vellet de pectore depromendi.

(8) Et alii loci videantur et operis clausula p. 494 sqq.

Verum libri, qui totus ab initio ad finem legendus est, plures singulatim afferre locos nihil attinet. Neque enim eâ me facundiâ esse iterum dico, quâ hocce opere praedicando summam ejus aequare possim praestantiam. Sed bene habet quod ante me et pro me idem hoc agere conati sunt publici Censores, qui quidem nostris his in Litteris aliquid videbant, unâ voce omnes (1). In quorum imprimis numero, post alteram emissam editionem, Vir fuit elegantissimus ac doctissimus, et a classicâ et a sacrâ eruditione paratissimus ille. Quem ipsum, si hîc ejus nomen nuncupare liceret, unum instar multorum, idoneum harum rerum arbitrum esse, nemo non mihi assentiret (2). Si qui igitur studiorum nostrorum socii juniores et recte sapere et recte dicere volunt, ut hoc certe cum libro maturam atque intimam contrahant familiaritatem et illi auctores fuerunt, nec ego Ecclesiae caussâ optare desinam.

II.

Clarissio, Oratorem sacrum vel de cathedrâ vel in scriptis *munus et officium docenti*, nemo unquam objicere potuit: »*Hominis tu instar es, qui, in littore commoratus nec unquam e portu navi eductâ, de navigandi ac gubernandi arte sedule praecipiendo delectaris.*" Quae reprehensio si in Isocratem forte conveniat aliosque non paucos Rhetores, non ad nostrum

---

Quomodo animum confirmare te oporteat, ne vel auditorum *multitudine* consterneris, vel *paucitate* dejiciaris, summâ gravitate docentem eum audias, p. 129.

(1) Et alii videantur et *Cens. Censs.* VII. 340 sqq., ubi probabiliter Ockersii judicium legitur; — *Gids of n. Letteroeff. ad a.* 1839, N°. 10, p. 504 sqq.; — *Bijdr. tot de Godgel. Lett. ad a.* 1840, N°. 3, p. 404 sqq. Quarum prima censurarum de *priore* editione; posteriores de *alterâ* agunt. Nonnulla quidem in operis vel formâ vel stilo improbârunt. Verumtamen in laudandâ Clarissii operâ consenserunt.

(2) Vid. *Cens. Censs.* (1840) XXXIII. 454 sqq.

certe pertinet Praeceptorem. Hic enim, per longum seculi dimidiati et quod excurrebat spatium, *orationum sacrarum* tantum numerum et commentavit et pro concione habuit et vero edidit, quantum academicorum certe Theologorum oppido pauci. Atque *editarum* quidem, de quibus hîc imprimis dicendum, *novem* exstant vel majores vel minores *Fasciculi*. Quos singulos, suo quemque loco, Viri dilectissimi vitam enarrantes, memoravimus (1). Nec opportunitas defuit alias laudandi haud paucas ejusdem generis orationes, quas vel ab auctore suo Marte editas esse, vel aliorum in operibus separatim repositas accepimus (2). Ne de elegantissimis dicam orationum *Fasciculis*, qui ex templorum luce atque amplitudine in lectorum domos sese deductos esse, minus diserte quidem profitentur, nec tamen dissimulant (3). Sunt etiam aliae, sunt fortasse plures, quam noverim, quarum nullam adhuc feci mentionem (4).

---

(1) *Manipulos orationum*, quas *sacras* seu *ecclesiasticas* esse *diserte profitentur inscriptiones*, deinceps laudavimus p. 45. 70. 78. 102 sqq. tandem p. 126.

(2) Vid. p. 45. 157; imprimis vero p. 193 sqq.

(3) Vid. supra, p. 98 sqq.

(4) Orationum, Enchusae *Supplicationum* diebus habitarum et mox editarum, unam satis accurate, p. 157, laudavi. Verum binae sunt aliae, conjunctim emissae illae, quarum haec inscriptio: *Twee Biddags-leerredenen, door* J. Cl, *Pred. te Enkh.; ibid.* a. 1803. Altera locum interpretatur 2 *Chron.* XV. 15ª; altera locum *Esrae* IX. 14ª. De posteriore omnino vid. ipse auctor ad Ewaldii, p. 315. Quo loco ibi se periculum fecisse ait orationem habendi, cujus pars *quaestionibus* contineretur, ad auditores conversis. Cf. *Bibl. Litt. theol.*, II. 1. 427.

Omnium attentione nunc etiam digna est oratio, quae inscribitur: *Leerrede gehouden op den Dankdag voor den vrede*, 20 *Julij* 1814, *door* J. Cl.; *Amst.* 1814. Locum tractat *Jes.* XIV. 7ª: *Tota requiescit terra*. Est haec sine dubio in omnium pulcherrimis, quas unquam habuerit Clarissius, orationibus reponenda. Jure igitur eximiam ejus praestantiam laudat Ockersius, *Cens. Censs.* VIII. 115.

Etsi fortasse illi non plane aequiparanda, suis tamen splendet laudibus, quae dicitur: *Leerrede bij de akad. feestviering der Leidsche Hoogeschool;* L. B. 1825.

Verum potius *quales* fuerint, quas edendas curavit, hujus generis orationes quaerendum, quam *quo numero*. Jam plerasque omnes praestantiae dotes, quibus optimi quique hâcce aetate cernebantur templorum Oratores, universe Clarissio cum iis communes fuisse, demonstrare non attinet. Ineptum enim sit monere ac plane putidum, perspicue, eleganter, graviter pro concione eum dixisse; culto ac polito dicendi genere usum esse; nec ulla alia tractâsse argumenta, nisi quae ad auditores docendos, emendandos, consolandos, salutariter adhortandos apprime comparata essent. — His igitur, de quibus nemo dubitat, sepositis, ne id quidem urgebimus nec praedicabimus, quamvis ad laudem grave sit atque magnificum, quod, exeunte proximo ac magis etiam ineunte hocce seculo, non omnium quidem primus, sed sine dubio tamen in *primis* fuerit Amicus atque in nobilissimis religionis Antistitibus, quorum exempla ad excitandam misere jacentem nostrâ in patriâ sacram Eloquentiam non magis efficacem vim habuerunt, quam salutarem. Hunc enim fuisse, hunc paucis cum aliis Viris egregiis, qui laetiorem arti sanctissimae diem praepararet, Ypejum aliosque Historicos summo jure testificantes audivimus (1). De quorum testimoniis quo minus dubitetis, *primum* fuisse hujus *seculi annum* mementote, quaeso! quo *primum* hujus argumenti *Fasciculum* evulgaret (2). Ubi jam eloquentiae Clarissianae vis omnis elucet ac praestantia. Quo tempore quam pauca a facundiae dotibus comparanda monstrare poterat Patria!

Sed hinc ita discedamus, ut *argumentorum*, quae passim pro concione tractavit, quam copiosa *varietas* fuerit, quam frequens *novitas* perpendamus. Cujus et *varietatis* et *novitatis* luculenta jam nobis documenta ostendit cum *apologeticarum* orationum,

---

(1) Vid. Ypey en Dermout, *Gesch. van de Herv. Christ. Kerk in Nederland*, IV. 281.

(2) Ypejus l. l., *annot.* 265, minus accurate annum indicat.

tum *moralium* earumque, quae *hominum characteres* pingunt, succincta, quam supra instituimus, recensio atque enumeratio (1). Atque his, quae dixi, varie ac nove dictorum documentis aliunde lux accedet atque evidentia; ubi postmodum Oratorem, ubicunque id commode fieri poterat, *temporum adjuncta* atque opportunitates prudenter respicientem considerabimus.

Verum suscepto muneri atque officio non vobis magis, quam mihi, deesse videretur narratio, nisi commodo hocce loco brevibus certe orationes attingeret, quas *physicas* easdemque *theologicas* appellare solemus. Ex *Naturae* enim operum, visorum, conversionum contemplatione ac cognitione *Deum* immortalem celebrandi ac pie venerandi argumenta atque incitamenta haurire conantur. Quod dicendi genus adhuc nostratum paucissimi sacro in pulpito attigerant; nec eorum quisquam vel tunc vel postea tam studiose et tam accurate, quam ille, persecutus est. Nec majorem hîc argumentorum *novitatem*, quam tractandi *varietatem* animadvertere licet. Prima igitur hic *Pluviae* contemplatio in censum venit, *ad Deum celebrandum composita*, quam ex *Psalmi* LXV *sect.* 10—14 *primum* hausisse *Manipulum* videmus (2). Hanc imprimis gratam lectoribus atque acceptam accidisse et aliunde novimus, et ex *Tomi alterius praefatione* constat (3). — Atque hic ipse auctorem impulit successus, ut *hîc* ternas denuo ejusdem generis, valde diversae tamen formae, depromeret orationes. Quarum prima, a *Psalmi* CXLVII *sect.* 15—18 interpretatione profecta, *pia* dicitur et est *Hiemis contemplatio*. Altera, *Psalmi* CIV *sectione quartâ* opportune usa, *Tempestates Ventosque et Fulgura Dei Ministros* esse docet. — *Dei Majestatem aquarum demonstrant Inundationes*. En tibi tertiae, de *Psalmi* XXIX *sect.* 10 agentis, argumentum gra-

---

(1) P. 231 sqq. et p. 282 sqq.

(2) Pag. 257 sqq.

(3) Universe *physicae* ac *theologicae* ejus orationes multis impense placuerunt. Vidd. e. g. Ephemeridd. *Letteroeff. ad a.* 1802, p. 49 et: *Tijdschr. voor het Depart. der Zuiderzee*, *ad a.* 1812, p. 298 (et hîc et illic *recens.*).

vissimum (1). Verum haec *altero* de *Tomo* dicta sufficiant. — *Tertii* deinceps *Tomi praefatione* unam jam, lectorum studiis ac desideriis ut gratificaretur, sese prodidisse prudentissimus ait auctor; nec vero plures, ne magis, quam sibi consultum videbatur, hujusmodi orationum numerus augeretur. Una igitur illa, sed quae ab elegantiâ ac gravitate ita commendatur, ut plurium instar esse videatur, modo memorati *Psalmi* CIV *sectionem* praescriptam habet *quartam et vicesimam*, ac *verno anni tempore, rerum creatarum in theatro, Divinam conspici atque elucere* docet *potentiam sapientiamque et bonitatem* (2).

Alterius Seriei binis in *Fasciculis* binas repositas vides, quae hîc nobis memorandae sint, orationes. Quarum *priore* nova continetur *Verni temporis, ad Deum celebrandum relata, contemplatio.* Quam si cum modo memoratâ contenderis, in magnâ materiae affinitate haud minorem admiraberis illius tractandae varietatem. *Altera* in *Aestate* contemplandâ ita versatur, ut ad *Deum* immortalem, *potentissimo eodemque benevolentissimo regimine mundi fata gubernantem,* puri cultûs *pietate prosequendum* efficaciter impulsos se sentiant auditores. Prior *Psalmum* CIV. 30^b interpretatur; altera *Psalmum* XXXVI. 6—10 (3).

In *Manipulo* desinimus attingendo, quì orationes habet, *ex singularibus natas rerum temporumque opportunitatibus.* Harum enim quae *quinta* est, *hiemis* tempestate habita illa, *piam* continet *Coeli stelliferi contemplationem.* Quâ lectâ haud indignam eam esse mihi assenties, (ad laudem enim amplius quid dici potest?) quae divinae potius, quam humanae sublimitatis effatum Davidicum in fronte gereret, *Psalmi* VIII *sect.* 4. 5 (4). — Atque haec de hujus generis locis hactenus. Neque enim eos, qui obiter tantum res naturales in rerum divinarum auxilium advocant, singulatim memorare possumus.

---

(1) Vid. T. II. p. 39—172.

(2) Vid. p. 145 sqq.

(3) Vid. *Nov. Oratt. s.* Tom. I. p. 39 sqq. Tom. II. p. 157 sqq.

(4) *Leerredd. naar de behoeften van onzen leeftijd;* p. 137 sqq.

Eandem et argumentorum et dispositionis et universae formae *varietatem*, subinde etiam *novitatem*, spectandam offerunt orationes, quae locos vel *dogmaticos* tractant vel *historicos* vel *propheticos* vel alios quoscunque. Semper enim recentem hunc vides Oratorem, nunquam res affines explicandi officio exhaustum. — Saepe longiora interpretatur S. S. dicta vel historias. Quippe cui, pro sacrâ concione dicenti, in *Utriusque Foederis* libris non multa, sed omnia reposita esse persuasissimum esset. Quo igitur ex fonte non minutas aliquas sapientiae guttulas, sed pleno potius de alveo ductos haustus auditorum in animos derivandos esse. Alibi vero per brevissima quaedam ejusdem Cod. S. effata, *sed quae nusquam leviore manu tractaret*, dicentem se curat moderandum. Ac sane cognoscere operae pretium est, quî suum hoc consilium atque hanc, quae non majorem a delectatione, quam ab utilitate, commendationem habeat, a se quaesitam *varietatem* ipse tuendam putaverit (1).

Lepidos aliquando fuisse homines accepimus, qui ubi hunc illumve semper fere ejusdem generis locos tractantem audirent Oratorem, *angustum* ei *Repertorium* esse haud inficete conquererentur. Quorum igitur dictum, scenicis a ludis repetitum, si forte hîc invertere permittas, Clarissio *sacrum* praesto fuisse *Repertorium* dixerim, tam *amplum*, tam *copiosum*, quam paucissimis omni tempore obtigerit muneris sociis. Quam rem ne quaeso ex unâ repetendam putes ingenii felicitate. Audi enim; et audiant utinam, qui dicendi novitate delectari solent, Theologi juniores! In *Sacro* UTRIUSQUE FOEDERIS *Codice* sic habitabat, ut eâ in urbe civis habitat, cujus permultos annos incola fuit, cujusque igitur nullam plateam, nullum recessum, ne ullum quidem angiportum non intime cognitum habet.

Laudatâ cum Oratoris *varietate* ac *novitate* non confundenda

---

(1) Omnino hîc *Oratt. s.* T. II. *praefatio* consulenda, p. X. XI.

est, sed arcte tamen conjungenda, dicendi *subtilitas* ac rerum utilium, quâ redundabant orationes atque abundabant, inexhausta *ubertas*. Etenim Sacri Codicis locum interpretaturus, quantâ plerumque diligentiâ non ex propiore tantum, sed ex remotiore etiam contextâ oratione, quin ex proximis aliquando Scripti *Capitibus*, quaecunque ad illum illustrandum quodammodo pertinere viderentur repetere consueverat ac depromere! Mox res ipsas, illo loco traditas aut inde ductas, pro variâ singularum indole ac naturâ, explicantem, enarrantem, confirmantem audimus. Qualis jam et quam rara cura ut, ab earum principiis atque initiis orsus, hinc disputationis telam viâ ac ratione necteret, atque apte ad conclusionem deduceret! Ne tantillum quidem, quod huc referri, nisi deberet, commode certe posset, omissum vides aut neglectum. Nulla ad caussam adhibita non satis definita aut descripta vocabula atque enuntiata. Nihil facile, de quo forte *Pyrrho* quis auditorum dubitare potuisset, sine justâ demonstratione positum sumtumque. — Postrema est, quam *applicationem* vocant, orationis clausula; quam vero nolite putare ita caeteris posteriorem fuisse, ut minore subtilitate commentata esset ac religione. Quod cujusmodi fuerit, anteaquam pergamus, paucis exponendum. Nam pertinet omnino ad illius, quem sacrâ de cathedrâ verba facientem nobis informamus, rationem ac morem paullo plenius cognoscendum.

Plerique, qui a *subtilitate* laudari volunt, Oratores sacri, in quibus imprimis *publicae Ecclesiae Anglicanae* Ministri censendi, quam copiosi sunt et acuti, ubi explicant argumentum ac demonstrant, tam tenues fere videntur et jejuni, ubi ad auditorum animos salutariter commovendos, quam demonstrârunt, res adhibenda est. A quâ tenuitate quantopere abhorruerit Amicus, ex iis, quae de ipso *Theologo practico* supra diximus, facile conjicere licet. Verum facere non possum quin nonnulla hîc reponam, quae olim hâc de re graviter dixit ipse.

» *Argumenti,*" inquit, » *ad hominum animos* applicatione *principem totius orationis partem contineri censeo. Quocirca in-*

»*grato me sensu commoveri ac conturbari affirmo*, *quotiescunque* »paucula, *quae* restent, *temporis punctula eo se conferre velle* »*profitentem audio Antistitem*, *ut* brevibus *nonnullis*, applicandi »*argumenti caussâ*, *monitis subjectis orationem concludat. Quid* »*enim? Nonne id agit, quam dicimus*, applicatio *ut ad morta*»*lium animos impellendos*, *coarguendos*, *gubernandos*, *consolan*»*dos Sanctissimi Codicis convertat atque adhibeat institutionem?* »*Quo facto quid aliud spectat*, *quam ut sanctitatis euangelicae* »*virtutisque studia alat atque incendat? Quod ipsum princeps* »*solidae orationi propositum est consilium. Principem igitur* »*hanc rem obiter agere ac festinanter et negligenter quis licitum* »*putabit?*"

Haec et alia, dignissima ea quae relegantur, monentem audivimus *alterius Fasciculi praefationem* (1). Nec verbis profecto facta repugnare videmus. Ubi enim ad postremam illam dicendorum partem pervenit, est quasi se plane colligat. Nunc demum se ipso gravior, superior, acutior videtur, magisque etiam, quam antea, cautus ac providus ne vel minimum, quod auditoribus prodesse possit, non satis accurate persequatur.

Verum ab excursu in viam, ab orationis clausulâ ad universum ejus argumentum considerandum redeamus. Quamquam vix pauca habemus, quae de Oratoris *subtilitate*, per omnia ejus dicta aequabiliter fusâ eaque veluti acuente, hoc quidem loco adjiciamus. Supra enim academicâ de cathedrâ docentem contemplati, ipsissimam hanc ejus virtutem laudavimus (2). Ut parum absit quin verear, ne iterum iterumque eadem me praedicare arguant lectores. Sed quid faciam? Quam enim utrâque paginâ Scholae loquebantur et ostendebant docentis dotem, eandem illam orationum in templis habitarum et primae partes et mediae et postremae et omnes referebant ac reponebant. Cujus

(1) *Oratt. s.* T. II. p. XII. XIII. Quo loco id agit auctor ut *longiores suas* excuset orationes ac *longiores* earum *applicationes*.

(2) Vid. supra p. 65. 66, coll. p. 149. 150.

rei me non luculentiores testes habere scitote publice editas illas, quam ineditarum, quas mihi videre contigit, sciagraphias permultas variasque. — Unum igitur addo ejus dictum, quod ipsam pingere videtur dicentis mentem. Studiose enim aliquando nostratum usum laudavit, ea, quae sacro ex pulpito audienda tradit Antistes, *ad docendum comparatas* orationes appellantium. Quâ ipsâ nomenclatione scite ac vere gravissimum hujus officium designari pensumque uberiore rerum utilium *cognitione* Christianorum animos imbuendi atque augendi (1). Ex quo igitur ejus sensu ac judicio docendi *subtilitatem* ac rerum traditarum *ubertatem* exstitisse et redundâsse nemo facile mirabitur.

Verum ipsum hoc, quod repraesentare conati sumus, argutum dicendi genus ac demonstrativum, rebus affluens illud, plurium non raro Censorum in reprehensiones incurrit, quorum et aliae et hae fere voces fuerunt:

»*Esto sane, ajunt, eum ex suis quaeque principiis repetiisse.* »*At altius non raro ea repetiit, quam sacrae cathedrae postula-* »*ret officium; eaque subinde demonstrantem audivimus, quorum* »*evidentia demonstrationis subsidio non egeret. Fuerint sane* »*bona, praeclara, exquisita permulta. Sed nec defuerunt super-* »*flua, quae circumcidere atque amputare velles. Quibus sublatis* »*et breviores fuissent et magis populares orationes. In quibus* »*illae prae caeteris, quae* physica *tractant argumenta, multa* »*continent ex interiore naturae cognitione hausta, quae nulli nisi* »*cultissimi auditores mentibus assequi possent ac memoriâ com-* »*plecti*" (2).

---

(1) Attendatur vocabulum Nederlandicum: *Leerrede*, et consulatur *Cens. Censs.* XV. 361 *recenss.*

Sed fortasse magis etiam memorabilia dicta sunt, quae ejusdem *Censoris* eodem Tomo, p. 13, reperiuntur; ubi humaniter Palmium refutat; cujus praefatio, Borgeri praemissa *Oratt. s. Tomo* II, hoc in dicendi genere nimium *formae*, parum *argumento* tribuere visa erat.

(2) Sinistris his in censuris una instar omnium est, quae *Oratt. s. Tomum* II carpit potius, quam judicat, in *Biblioth. van theol. Letterk. ad a.* 1811. 4.

Ad has vero, vel publice proditas vel privatim auditas, objectiones ac reprehensiones quid nobis respondendum est? Primum quidem vel ex commoti pectoris sensu vel ex infinitis eruditionis thesauris ea aliquando deprömsisse Amicum concedo, quae sine magno caussae detrimento ab ejus expositione abesse potuissent. Ac facile adeo largior multa plenius, copiosius, uberius hunc persecutum esse, quam vel plerisqne placuisset, qui nunc sunt, Oratoribus sacris, vel ipse fecisset, nisi CLARISSIUS, id est ille fuisset, qui nimium dare mallet quam parum, a copiâ reprehendi quam ab inopiâ, a subtilitate quam a jejunitate. Verum communem aliquam harum rerum mensuram constituere, de cujus aequitate omnes consentiant, quam difficillimum esse arbitror. Veluti non dubito quin Censores illi, si suo arbitrio Clarissiana haec contrahere licuisset ac refingere, permulta deleturi fuissent, quae nec ego, nec alii plerique lectores *Procrusticâ* hâc arte sibi eripi facile paterentur.

Caeterum, ne iniqui simus, *ubi*, *coram quibus*, quam *personam* agens dixerit, nos meminisse oportet. Quamquam hujus rei plane immemores fuisse videntur nonnulli Censores. Longe enim plerique, quos vel in *Fasciculis* vel alibi repositos videmus, sermones *academici* sunt; i. e. tales, qui non piscatores aut rusticos, sed potius cultiores, immo cultissimos haud paucos homines auditores habuerunt (1). Quibus quam acceptum et vero quam fructuosum fuerit exquisitius illud, quod descripsimus, dicendi genus, nemini fortasse reprehensorum tam accurate et tam certo, quam mihi, cognitum fuisse existimaverim. Atque in ipso illo omnium *primo Fasciculo*, ab auctore anteaquam in Gelriam migraret edito, non pauca legi, quibus politiores homines, sed fide

---

p. 610 sqq. Ubi in ipsam adeo *Dialecticam* saepe peccâsse auctorem legimus. Et vero legit Clarissius, qui, ubi hoc potissimum a Lotzio, quem Censorem habebat, sibi objici crimen compererat, ita placide subrisit, ut quam jocularе id putaret satis appareret.

(1) Veluti *Nov. Oratt. s.* T. I in praefat. *academicos* imprimis se spectâsse *auditores*; diserte profitetur auctor.

vacillantes illos, *Enchusae* ipsum dicentem audire solitos, arctius Christo conciliare voluisset, juvenis narrantem audivi Praeceptorem.

Nec vero, vel tunc vel unquam postea, rudiorum atque incultiorum hominum vera commoda atque institutionem ab ipso neglectam esse quispiam opinetur velim. Quorum ingenia si forte difficiliorum quorundam S. S. locorum explicationem, aut hujus illiusve abstrusioris enuntiati demonstrationem non plane comprehendere potuerant; nonne utramque ratâ fere lege tertia dicendorum pars excipiebat, quae, magnâ curâ ac religione et vero perspicuitate, summis quibusque et infimis auditoribus pariter prodesse conaretur? — Atque ultima haec, quae ipse, ut modo vidimus, omnium gravissima reputabat, et his et illis eo clariora erant, et horum et illorum mentes eo acrius pellere debebant ac commovere, quo constantius pleraque monita et praecepta et consolationes ex *Dei, qui nos in Christo prior dilexerit*, infinito *amore* repetere consueverat, atque ad *fidem Christo,* pro nobis mortuo, *habendam* omnia referre (1).

Nec ad alias orationes magis dicta pertinent, quam ad *physicas* illas, de quarum imprimis obscuritate conquestus est Censorum aliquis. In quibus primam fuisse vidimus, quae *Pluviae* Dominum ac Moderatorem benignissimum solum esse Deum docet. Haec, quamvis grata atque accepta multis fuerit lectoribus, tamen unum fortasse alterumque locum habet indoctis paullo obscuriorem. Sed vide quomodo auctor, sicuti alias, ita hîc etiam, vitae progrediens in stadio, ad majorem sensim pro-

(1) Princeps hocce Euangelii argumentum, et alias et nullâ non opportunitate pro sacrâ concione dicenti, ipsi et primum fuit et ultimum. Cujus rei memorabile admodum videre mihi visus sum exemplum orationem, m. Majo 1804, Harderovici habitam. Quo primo tempore *sacrum* agens *Oratorem academicum*, ecquo potissimum usus argumento, *Collegarum se commendandum putat amicitiae?* Hoc nimirum, *quod huicce singulatim Oratori, adeoque sibi, salutarem annuntiandi doctrinam Euangelii et officium impositum sit nec desit voluntas.* Hanc autem, quam annuntiare prae caeteris debeat, doctrinam eâdem fere, quâ nos supra, ratione describit.

gressus sit dicendi perspicuitatem ac popularitatem. Neque enim in recentiores plerasque ullam convenire hujusmodi reprehensionem, mihi assensuros esse lectores confido.

Prudentis sine dubio ac sapientis est Oratoris, »*si suâ sponte* »*quo impellit inclinant atque propendent* (auditores), *accipere* »*quod datur et ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela dare.* »*Facilius est enim currentem, ut ajunt, incitare, quam commo-* »*vere languentem.*" Haec igitur, in altero Ciceronis *de Oratore* libro, commendantem Antonium et approbat Clarissius, et illius monita sibi pro concione dicenti omnino sequenda videri diserte affirmat (1). Semper enim valde sibi placuisse Oratores, qui, vel alibi vel in templis dicentes, rerum nuper actarum atque eventuum, quorum cogitatio hoc potissimum tempore auditorum animos prae caeteris occupatos teneat, memores se esse ac rationem habere prudenter demonstrarent. Quo facto, boni successûs optimâ cum spe, Divinae Providentiae indiciis eos obsequi monitisque.

Ex quo igitur constanti ejus judicio, nullo non sancti Ministerii tempore, ea exstitit orationum *opportunitas*, quâ major esse non posset. Dictu est enim incredibile, quam graviter, ubicunque hoc auditorum interesse videbatur, ad *temporis*, quod agebatur, *adjuncta* maxime memorabilia *et* institutionem referret ipse, *et* Christianis ut, oculis in Deum conversis, mentibus ad vitae emendationem compositis, cogitationes referrent, auctor esset ac suaderet. Scio sane neminem esse paullo prudentiorem sacrorum Antistitem, qui, quâ tempestate in pulpitum nunc adscenderit, non aliquando dicendo se memorem demonstret. Nec tamen eam, quam descripsimus, *opportunitatem* ac *tempestivitatem* eloquentiae Clarissianae notam dicere vereor ac characterem minime vulgarem. Adeo hic *tempestive* dicendi et in paucis

---

(1) Cum Cic. *de Orat.* II. 44. cf. Clariss. *Oratt. s.* T. II, *praef.* p. V—VII, loco admodum memorabili.

curiosus fuit, et singulari quâdam solertiâ ac sapientiâ peritum sese demonstravit.

Sic igitur cum sentiret et constanter sibi agendum existimaret, non est quod moneamus, quam studiose et quam sancto cum ardore magna illa facta atque eventa celebrare solitus sit, de quibus agendi vel opportunitatem Antistiti largiuntur vel officium imponunt *anni ecclesiastici* tempora cursusque. — Nec vero *Naturae adspectabilis* visa vel beneficâ vel terrifica ac vehementiores potissimum conversiones, veluti aquarum inundationes, tempestates, tonitrua, sacro in pulpito, quâvis oblata opportunitate, vel consulto vel obiter memorare negligebat. His enim omnibus, quae mortalium animos tangere solent ac commovere, pietatis in Deum hominesque ac virtutis stimulis et invitamentis uti quam diligentissime conabatur.

Ardentissimum ac sanctissimum *Patriae amorem*, ut omnis Theologi vita privata ac litterata, ita hae singulatim, de quibus dicimus, orationes redolebant ac testificabantur. Quod nemo ita velim accipiat, quasi, in contrariis civium de Republicâ constituendâ studiis ac sententiis, hanc illamve illius ordinationem templorum e cathedris vel commendandam censuerit vel vituperandam. A quâ profecto ineptâ terrestrium rerum cum coelestibus permixtione, difficillimis etiam temporibus, quam alienissimum se demonstravit. Verum Patriae in fatis, vel antiquioribus illis vel nuperis, Dei cuncta moderantis sapientiam, sanctitatem bonitatemque pie venerari docet. Sanum illum ac constantem, quo ipse calebat, terrestris hujus domicilii amorem, commodo quovis tempore, fidei sociorum in animis accendere conatur. De cadentis illius aut prostrati miseriis et cladibus prudenter eos consolari. Ubi de Patriâ in libertatem vindicatâ aut hostium metu solutâ omnes laetantes videt et exsultantes, ut necopinata haec bona et maximi faciant, nec sibi tribuant aut mortalium auxilio aut Fortunae adspirantis aurae, sed unius potius Dei accepta referant gratiae immeritae ac manui potentissimae, quâ maximâ potest dicendi vi ac contentione, iterum iterumque monentem et obsecrantem audimus. Quod ita vel maxime facien-

dum esse, ut nec per beneficiorum oblivionem, nec per ingrati animi querelarum importunitatem, nec per inertiae desidiam, nec per vitiorum licentiam divinitus concessâ salute bonisque plane indignos sese redderent ac demonstrarent. Cum praesertim sine civium pietate ac sanctitate nulla felicitatis perennitas Patriae constare possit. — Haec igitur atque his affinia et conjuncta, ut quaeque maxime opportuna erant ac tempestiva, pari gravitate et prudentiâ docebat, atque appositissimis quibusque Sacri Codicis dictis, monitis, praeceptis, exemplis allatis confirmanda atque illustranda curabat. Quo facto et religionis caussae serviit ejusque decus atque honorem tuitus est, et Patriae in utrâque fortunâ civem sese probavit, non tantum amantissimum, sed eundem utilissimum ac sapientissimum.

Suas etiam res domesticas, tristes ut plurimum ac lugubres, subinde attingentem supra audivimus, aut argumenta certe cum iis quodammodo conjuncta tractantem. Verum hîc potissimum tam modestâ ac suspensâ utebatur reticentiâ, ut plerumque solis iis auditoribus, qui recentes Oratoris aerumnas haud ignorantes templum adierant, quid nunc potissimum in hanc dicendi viam eum impulisset certo constaret. Nec vero sui caussâ fecit, vel suae sortis de acerbitate conquesturus, vel doloris, quo compressum se sentiebat, in societatem importunius auditores advocaturus. Nam horum potius in gratiam, quo efficacius eos vel doceret, vel adhortaretur, vel in aerumnarum communione ac similitudine consolaretur, si quando utile videbatur, sauciati pectoris vulnera contrectando refricare non dubitavit (1).

---

(1) Huc pertinentia nonnulla alibi jam a nobis memorata sunt. Praeterea hic perpendantur, *ultimo in Fasciculo* (1842) pag. 219 sqq., or. de *Jobi* I. 21^{b}, habita d. 3 Jun. 1832; ubi paucas ante hebdomades altera obierat uxor dilectissima. — *Ejusdem Fasc.* or. tertiam de *Psalmo* CXXX. 3. 4, p. 57 sqq., eo ipso pronuntiârat die, quo quartum et sexagesimum compleverat vitae annum. — Et hîc, et in primâ *hujus Fasc.* or. de 1 *Petr.* I. 24. 25, utrâque paginâ pium dicentem audis Senem, permultis vexatum vitae ae-

Verum multa huc pertinentia, quae ex ineditis maxime Theologi chartis vobis narranda notaveram, ne longus sim, sciens prudensque sepono. Ac paucis rem complectar universam. Christum igitur atque Apostolos imitatus, ex audientium rebus et secundis et adversis, ex Patriae utrâque fortunâ, ex anni partium vicissitudinibus, ex Ecclesiae luce ac tenebris, ex omnibus, quae cum maxime hominum animos mentesque in se convertere noverat, tam prudenti delectu dicendorum vel argumenta vel colores certe duxit, ut impraesentiarum magis opportune magisque tempestive dici non potuisse omnes consentirent.

De gravissimo horum Fasciculorum *argumento* si plura forte desideras; huic loco quae desunt, ea quodammodo certe superiores nonnulli narrationis loci supplebunt. Jam igitur de eorum *stilo* paucis videamus. Ubi in Praeceptorem non convenire facile largimur, quod de L. Crasso testatur Cicero. »*Comprehensio,*" ait, »*et ambitus verborum, si sic* periodum *appellari* »*placet, erat apud illum contractus et brevis*" (1). Clarissius enim, raro apud librorum auctores candore ac modestiâ, orationis suae *periodorum*, justo pluribus incisis oneratarum, longitudinem improbandam esse atque ambitum semel iterumque aperte declaravit. Cui earum, quod ipse dixit, vitio non eam, quam velit, se adhibere posse medicinam conqueritur. Rei quidem caussam explicare nulli difficile fuerit, qui huncce cognitum habuit Theologum, *Psychologo*. Ad scribendum enim animum appellens, rerum ac cogitatorum, quae tradere cupiebat, eâ plenus erat multitudine et veluti onustus ac gravatus, ut, ne nimium spatii illorum expositio requireret, unicuique periodo tantam, quantam maximam ferre posset, illorum partem ferendam imponere deberet. Verum, etsi quae ipse doluit Vir optimus, ac

rumnis, sed eundem per solam fidem Christo habitam suffultum ac sustentatum.

(1) In *Bruto*, Cap. 44.

postremo, quem edidit, *Fasciculo* emendare studuit, in stili virtutibus reponere ineptum sit; tamen vel nunquam vel rarissime fieri affirmo, ut Quinctiliani, de stili conformatione praecipientis, plane obliviscatur. Hic enim: »*Praestare debet perio-* »*dus,*" inquit, »*ut sensum concludat; sit aperta, ut intelligi* »*possit; non immodica, ut memoriâ contineri* (1). Certe attente legenti, nec reprehendere quam discere malenti, nullam magnopere molestiam aut difficultatem creaturum esse *periodorum* editis in orationibus modum et ambitum plane confido. Caeterum qui Clarissii stilo reprehendendo sibi placent, ac decurtatis illis Francogallorum periodis delectantur, quas sibi invicem temere adjectas potius dixeris, quam apte annexas; videant hi ne laudati Rhetoris in reprehensionem incurrant, acute monentis: »*Membrum longius justo tardum; brevius instabile est*" (2).

Sed quando stili Clarissiani defectus non magis, quam ipse, dissimulavimus, virtutes non memorare iniquum sit. Aliis igitur, quae ab uberiore disputatione abesse non possent, sepositis, ea sola attingam, quibus, quod secutus est, dicendi genus definiri vel maxime ac distingui videtur. Hoc igitur, nisi secus lectori videatur, *grande* dicamus et *copiosum* et *graphicum*.

Ad primum illud quod attinet; Demostheni eam a Cicerone *granditatem verborum* tribui novimus, quam ex lecto atque audito hauserit Platone. Atque eundem apud Tullium narrantem amicis audimus Antonium, principem Oratorem Romanum, *vehementi atque atroci generi orationis admiscere* aliquando *se coepisse genus alterum lenitatis et mansuetudinis* (3). Quam igitur *verborum granditatem* ac *vehementiam* appellat Cicero, est ea δεινότης illa, quam Demosthenis orationi tribuendam esse, ante hos aliquot annos, palmari dissertatione academicâ

(1) *Inst. Orat.* IX. 14.
(2) Quinctil. l. l.
(3) Vid. Cicero, cum in *Bruto*, Cap. 31 extrem., tum *de Orat.* II. 49.

demonstravit J. H. Scholtenius, Vir clarissimus idemque elegantissimus (1). — Sed in viam reversi, de sacris jam videamus Oratoribus, quo melius illius, quem dicentem informare conamur, rationem intelligamus. His igitur in Oratoribus qui plerisque antecellunt duplici fere dote vel cernuntur vel distinguuntur, praeclarâ utrâque, sed rarissime eodem in homine conjunctâ. Alii enim, laudatissimi illi et nullâ non laude digni, dicendi genus sequuntur perspicuum, nitidum, comtum, elegans, concinnum. Est eorum igitur oratio veluti *Blandusiae fons, splendidior vitro*, ac rivo comparari potest limpido et pellucido, laeta per arva placide defluenti segetesque vicinas irriganti aquis et alenti. Cujus generis nos quidem Nederlandi pulcerrima solemus admirari exempla, Palmii, Viri eloquentissimi, plerasque orationes. — Sed alii sunt, iisdem in templis dicentes, quorum stilus paullo minore plerumque cernitur nitore et cultu, sed grandis est ac vehemens oratio. Auditorem enim non leniter ea demulcet ac commovet, sed corripit, sed trahit, quo vult impellit, cogit, in triumphum ducit, aut certe, si forte ad flectendum durior sit, in ejus animo alte defixos relinquit aculeos.

»*Monte decurrens velut amnis, imbres*
»*Quem super notas aluere ripas,*
»*Fervet immensusque ruit profundo*
»*Pindarus ore*" (2).

Sed non Pindarus tantum; sed item, *res divinas* contemplando ac commendando, se ipso major factus *Orator* grandis vehemensque. Hujus dicendi generis exempla habemus, omnium aetatum admirationi consecrata, ne alios nuncupem, Massillonium, Bossuetum, Saurinium. Quibus quidem heroibus

---

(1) Vid. *Disquisit. de Demostheneae Eloquentiae charactere; Traj. ad Rh.* 1835. 8. Cui opusculo debitas tribuit laudes Clar. ad Ewald., *de Eloqu. s.*, p. 492.

(2) Vid. Horatii *Odarum* L. III, Od. 13, vs. 1 et L. IV, Od. II, vs. 5 sqq.

non plane similem dixerim Theologum Leidensem. Sicuti enim *Nederlandorum* ingenium atque indoles minus fervida est, quam *Francogallorum;* ita placidius *illorum*, quam horum genus dicendi. Nec tamen asseverare vereor horum rationem longe propiore Clarissium attigisse cognatione, quam eorum, quos priores nominavi, leniorum Oratorum, illiusque orationem, qualem *priorum* imprimis *Fasciculorum* non paucis locis consignatam reperimus, *grandem* potius ac *vehementem* vocandam esse, quam *placidam* ac *mansuetam*. Neminem certe Nederlandicorum novi, suâ linguâ dicentium, Oratorum, qui cum eloquentissimo illo, quem laudavi, Saurinio plura communia habere videatur. — Quae autem de duplici disputavimus dicendi genere quam vera sint, luculenter tibi apparebit, si vel solas comparaveris cum Palmianarum, tum Clarissianarum orationum *clausulas* plerasque sive *perorationes*.

Theologo, pro concione dicturo, qualis et quam admirabilis *rerum copia* afflueret ac varietas, supra declarare conati sumus. Verum non minor *verborum affluentia* erat lectissimorum. Non minus ubera locutionum, ad quamcunque rem enuntiandam accommodatarum, abundantia. Translationum, figurarum, imaginum, comparationum, quibus vel illustraret cogitata vel ornaret, maxima varietas ad Oratoris veluti nutum nunquam non praesto esse. Cui potissimum Oratori, *Poëseos, Eloquentiae* sororis, amor aliquis sensusque ex juventutis tempore non dubius remanserat. Nam de doctissimâ atque intimâ locupletissimae *Nederlandorum linguae* cognitione, quâ tantum non omnibus antecellebat nostratum Oratoribus sacris, quid est quod et supra dicta et in vulgus nota hîc repetam?

Ex copiosissimo igitur hoc illius ingenio non poterat non *copiosum* efflorescere dicendi genus. Jam vero et mentis *acumen dialecticum* opportune accedebat et laetissima *Phantasiae* vis creatrix. *Acumen* dico, quo quodcunque in argumento ad tractandum proposito utilium inerat momentorum, celerrime perci-

peret. Atque eodem viam praelucente acumine, a quâ potissimum parte res attingenda esset et sibi primum, tum auditoribus informanda, quas in partes dispertienda, quomodo et per *Μερισμὸν* amplificanda, et per disjunctorum adjunctionem illustranda, non difficili nisu, sed uno fere mentis ictu capiebat ac complectebatur. *Phantasia* vero, quo majore valebat vi creatrice, eo facilius promtiusque res olim gestas ut nunc praesentes, facta antiqua ut hodierna atque ante oculos posita, dicenti repraesentabat. Atque eadem, si quae res intelligibiles erant, eas sensibilium aut veste induebat aut certe luce ac claritate conspergebat.

Ex rarâ igitur hâc dotum ac facultatum, quae Clarissio suppetebant, copulatione oratio exsistebat, quam si *copiosam* dixi, non minore jure *graphicam* dicere possum. Legistine, ne alia multa ejusdem praestantiae socia monumenta in memoriam tibi revocem, legistine igitur *Characterismos*, Christum et viventem et morientem referentes? Ecce illos! Non exiles quasdam atque elumbes rerum umbras, spectantium oculos cito praetervolantes eas, tibi videndas ostendunt, sed solidas, quâ late patent, res ipsas, nullâ parte detruncatas, aut earum certe imagines, sic ad vitam ac veritatem ductas illas et exactas, ut *Pictoris* cum arte *Oratoris* eloquentia felicissime colluctata esse videatur. Sicuti enim Apelli colorum varietas ac Praxiteli marmor Parium vitae veluti ex morte referendae ac reponendae subsidium est et remedium effacissimum; sic eloquentissimo huic Oratori verba vocesque non notionum tantum signa sunt, sed rerum imagines, quae quod multa ante secula gestum est, quasi hos nostros ante oculos geratur, pingunt ac veluti conspiciendum impertiunt (1).

---

(1) Exempla ubique inveniuntur. Verum legantur certe *Oratt. s.* Tomi II (1810) *quinta*, de *Jes.* XI. 1—10, et magis etiam *septima*, de *Luc.* XXIII. 34. 35. — Memoratis ex *Characterismis* (*Tafereelen uit de Levens- en Lijdensgesch. van den Heere J. C.*) si forte unus prae caeteris memorandus sit, ro-

Tantâ, quantam dixi, granditate, tam copiose, tam graphice, ante haec novem et quod excurrebat lustra saepe verba facientem audivi Clarissium. In cujus suavissimi mihi temporis memoriam eo libentius hîc redeo, quo paratiorem haec ipsa recordatio suppeditat occasionem aliquid monendi, quod praesenti cum scriptione ac consilio conjunctum est. Qui, in senium paullatim inclinante Theologi aetate, dicenti ei adfuerunt, non raro corporis infirmitatibus labefactatum audiverunt, animi certe continentibus fere luctibus depressum ac moeroribus. Tum lenius multo ac remissius, quam florente aetate consueverat, agentem spectârunt, et vero *de scripto* orationem depromentem. Hanc enim rationem, quam se improbare nunquam dissimulavit, tamen, Leidensi in statione versatus, memoriae diffidentiâ auditorumque verecundiâ, aliquamdiu secutus est ipse. Quamquam tandem, sibi redditum, eum ad pristinum reversum esse morem, ipsius accepimus testimonio edocti (1). Quae cum ita sint, ex auditis posteriorum annorum orationibus qualis olim, nondum corpore laborans nec animo cruciatus, Orator fuisset, non plene judicari potuit.

Florente enim illâ, de quâ modo dixi, aetate, cujus nulla plerisque hujus narrationis lectoribus memoria est, in eâdem et argumentorum praestantiâ et commentandi subtilitate, plerumque vehementius, quam postea, dicendi genus fuit idemque grandius

---

gem ut, I. 69 sqq. (ed. 2) pingentem Cl. videas, quî *Hierosolymam solenniter ingressus sit Christus.*

(1) Omnino hîc consulenda quae dixit ad Ewald. de Eloqu. s., p. 264 seqq. 438 sqq. Cf. *Fasc. Oratt. s.* ultimi (1842) praef. sub initium.

Caeterum Clarissii tantum et sententiam et morem attingo. Nam ipsâ de re hoc quidem loco nullum mihi prodendum esse puto judicium. Cum praesertim, in tantâ et temporum et hominum, vel dicentium vel audientium, diversitate, vix aut ne vix quidem plane generales hîc scribi posse leges videantur. Quod ut hoc loco teneatur modeste lectores rogatos volo.

ac Pictoris artem propius attingens (1). — Actio decus habebat et dignitatem. Latera viresque verba facienti nunquam deesse. Memoriâ nullum requirente subsidium, *oculi*, nondum scripti legendi atque ex scripto hauriendi necessitate constricti nec demissi, ac libere adeo et verecunde huc et illuc conversi, magnâ vi ac gravitate auditores contuebantur commovebantque. Tum *claritas in voce erat, in linguâ etiam explanata vocum impressio* (2). — Sed erat caeteris prae dotibus *Pectoris eloquentia*, vel elegantissimâ corporis actione ac motionibus efficacior illa atque eloquentior, ore et vultu et vocis sono et *oculis* imprimis, animi speculis illis, significata ac demonstrata. *Pectoris*, inquam, fidei πληροφορίαν, quâ agebatur ac dicebat, auditorum in animos derivare ac veluti transfundere aventis ac gestientis. *Pectoris* magnanimi facundiam dico, Deo Christoque quam hominibus probari, his vero prodesse quam placere malentis, eosque ex mundi illecebris, peccatorum e laqueis, mortis ex terroribus in veram Christi libertatem vindicare, ac vitae aeternitati ac beatitati percipiendae praeparare et consecrare volentis atque ardentissime cupientis. Ac postea quidem multa depaverint anni, ab Oratore multa vitae molestiae abstulerint atque aerumnae. Hanc certe *Pectoris eloquen-*

---

(1) Veluti aliquando *Herodis* de immanitate dixit, atroci caede *Bethlehemiae infantes* necantis, *Matth.* II. 16 sqq. Ita autem dixit ut, lugubri spectaculo depicto, non paucorum auditorum oculos vultusque in lacrimas veluti effusos videres.

Eodem fere tempore, ubi a multis se dicentem audire solitis, negligi videbat *Sacram Coenam*, orationem habuit *praeparatoriam* Christi de dicto, *Matth.* XXIII. 37 ult.: *Enimvero vos noluistis.* Ubi hujus neglectionis turpitudinem, infamiam, sequelas lugubres iis eum coloribus pingere memini, ut, cui non saxis et silicibus durior animus esset, ad sanctissimas illas adeundas Epulas non commoveri non posset.

(2) Ne nimia hîc dicere viderer, *voci* ea tantum tribui, quae in naturae bonis recensuit *Varro* apud Ciceronem, *Acad. Quaestt.* I. 5. Ubi pro v. *impressio* minus probabiliter nonnulli legunt *expressio.*

tiam, non orationum tantum *Fasciculis* consignatam; sed lectorum animis permultorum haustam ac susceptam, nulli auctoris vel anni vel moerores, et ne ipse quidem in coelum abitus tollere potuerunt nec delere.

SEGMENTUM SEPTIMUM.

CONCLUSIO.

Non valde mirabor si Segmenti inscriptio, quae jam nunc exire narrationem indicat, inexspectata nonnullis acciderit lectoribus, ac plane praepropera visa fuerit. Ac fieri adeo potest ut, speciosâ hinc arreptâ auctorem reprehendendi opportunitate, sic eum compellandum putent atque insimulandum:

»*Quid vero? Adeone hîc jam absolutam dicis narrationis* »*telam justumque ad exitum deductam? Quin manca potius ea* »*appellanda est et inchoata, quam suis, quibus oportebat, par*»*tibus completa; quippe quae haud pauca vel praeterierit, vel* »*obiter tantum attigerit, quae accurate tibi exponenda fuerant.* »*Nec enim quidquam de consilio atque auxilio te narrantem* »*audivimus, quo juvenibus haud paucis adfuerit* Clarissius, »dissertationes theologicas *pro* Doctorum *honore obtinendo com*»*mentare ac defendere instituentibus. Atque ipsi tamen hi Doc*»*tores gratis non raro animis benevolam atque efficacem hanc* »*ejus operam publice laudârunt ac praedicârunt*" (1).

(1) Aliquas hîc diserte nuncupare volueram *dissertationes theologicas*, Lugduno-Batavâ in Academiâ, hujus potissimum sub auspiciis atque hoc auctorum Promotore, conscriptas defensasque. Verum, re accuratius perpensâ, ne inique alias memorâsse, alias tacuisse viderer, in universâ notatione acquiescere satius duxi. Cum praesertim ipsi auctores non raro, dissertationi

» *Tum memorandis atque explicandis illius meritis in* Pasto- » ralem, *quam hodieque dicimus*, Theologiam *nonne singularem* » *aliquem tribui locum oportuerat? De munere enim religionis* » *Antistitum gravissimisque eorum officiis quam multa publice* » *edita exstant saluberrima ejus monita ac praecepta sapientis-* » *sima! Quorum haud pauca librorum censuris, quibus Epheme-* » *rides non raro ornavit, commode interspersa reperimus. Alia* » *in annotatis ad* Ewaldianum *opus* de Eloquentiâ sacrâ *con-* » *signata sunt. Aliis proprium atque opportunum locum dedit* » Encyclopaedia (1). *Ne de iis dicamus orationibus, quae ut* » *nonnullis* inaugurandis Euangelii Ministris *ab initio inservie-* » *runt, ita permulta continent omnium religionis Antistitum lec-* » *tione studiisque et meditatione dignissima.*

» *Verum aliud etiam attingere neglexisti*" (sic fortasse Censores instabunt) » *vitae* Clarissii *nobilissimum ornamentum. Ec-* » *clesiae enim Nederlandicae* Synodi *septenis deinceps interfuit* » *consessibus. Primum quidem ubi, anno* 1817, *hunc honorem* » *deprecatus erat* Te Waterus, *Collega gravissimus* (2), *tum* » *anno* 1820, 1823, 1826, 1830, 1834, *tandem* 1837. *Atque* » *eam hîc Sociis probavit sapientiam et Ecclesiae amorem ejus-* » *que rerum peritiam, ut ipse adeo* Heringa, *qui qualis* Synodi » *Monitor fuerit et Consiliarius noverunt omnes, sibi se valde* » *gratulari dicere soleret, si hunc potissimum Theologum Leiden-* » *sem suae dextrae adsidentem videbat, ac sententiâ dicendâ sibi* » *praeeuntem audiebat* (3). *A quo honorifico Viri magni judicio*

quisque suae praefatus, quid Clarissio debuerint candide profiteantur. Hoc quidem certis novimus edocti testimoniis, hîc quoque magnam saepe ejus et diligentiam apparuisse et doctrinam et vero humanitatem.

(1) Pag. 555—625.

(2) Vidd. quae in *vitae suae historiâ* (*Levensberigt van* J. W. te W.), post auctoris obitum typis mandatâ, dixit ipse, p. 165.

(3) Ipsissima fere haec verba sunt, quibus multos ante annos hâc de re usum audivi Heringam, Collegam dilectissimum, cujus ne nomen quidem sine tristissimi sensu desiderii nuncupare possum.

»*neminem quemquam, qui vel semel Synodi deliberationum una* »*cum* Clarissio *particeps fuerit, dissensurum esse confidimus.* »*Neque enim ullam, Synodi per consessus oblatam, neglexit aut* »*non studiose quaesivit opportunitatem* Ecclesiae *vel jura vindi-* »*candi, vel commoda augendi, vel ordinem tuendi, vel pacem* »*restituendi, vel tandem Instituta magis magisque Christi honori* »*atque animorum immortalium saluti consecrandi et fructuosa* »*reddendi. Quocirca* Synodi Consiliarium *insigniter Ecclesiae* »*eum profuisse constat, nec pauca ab illâ damna avertisse*" (1).

---

(1) Leges, quibus a. 1816 regi coepta est Nederlandiae Reformatorum Societas, tanquam boni ordinis tuendi vindices diserte laudavit *Oratt. s.* Tom. III. p. 70.

Ex *Actis Synodi*, vernaculâ linguâ editis illis, satis luculenter apparet, quam diligenti operâ et quam efficaciter hîc quoque, nullo non consessu, Ecclesiae caussae prodesse conatus sit Amicus. Quamquam multa fuisse saluberrima illius consilia, quae nullis consignari possent tabulis publicis, nemo non videt. Quocirca haec tantum, ne nulla afferamus exempla, perpendant lectores rogamus. In *Actis Synodi ad annum* 1817, p. 35. 36, gravissima ejus monita leguntur, ad *publicum Dei cultum* emendandum pertinentia. — Ac singulari cernuntur prudentiâ quae, *ibidem*, pag. 44 sqq., de *libellis* dixit *catechetiscis*, religionis institutionem moderantibus, quorum non nimis arctis finibus restringendus sit usus. Quae ejus consilia sapientissima, quoad summam rei, secuta est Synodus. — Eodem autem tempore metuendum esse videbatur, ne Reformatorum Ecclesiae Nederlandicae brevi defuturus foret *Antistitum* numerus idoneus. Quod igitur malum ut averteretur, et suis et aliorum verbis Delegatorum, studiose varia adhibenda commendavit remedia ac subsidia. Quae et ex memoratis cognosci possunt *Actis a.* 1817, p. 106 sq., et vero ex *Actis a.* 1818, p. 10—14. Quamquam huic Synodi consessui non adscriptus fuit ipse.

Eorum, quae accuratius retulit aut suasit, non semper nobis copiam fecisse *Acta Synodi*, et ex aliis locis apparet, et ex iis, quae tradunt *ad annum* 1820, p. 35. Ubi de *Separatistis* eum egisse docet Index.

Verum memoranda omnino ejus monita, quae prodita exstant *ad annum* 1826, p. 54 sqq. Quo in Synodi consessu de quaestione, utrum leges nonnullae ecclesiasticae, a. 1816 constitutae, mutandae essent nec ne, diligenter admodum retulit.

Haec igitur omnia a nobis omissa esse, adeoque mancam videri et inchoatam narrationem, si quis arguerit; quid ei reponendum erit? Nihil vero reponemus. Nam ita potius confitentem me habebit Censor, ut non haec tantum, sed item alia, quae vel memorari debuissent, vel certe commode potuissent, plane intacta mansisse fateri non dubitem. In quibus haud pauca imprimis sunt, ex ineditis dilectissimi Praeceptoris *orationibus sacris* singulari mecum Itersonii humanitate communicata. — Verum non est profecto quod indigner, ita inchoata si qualiscunque videbitur narratio, ut quantum illius de laude decesserit, tantum ad Clarissii honorem accesserit. Ac candide dicam quod res est. *Parum* dicere malui, quam *nimium*. Et aliorum industriae satius duxi largum relinquere post messem spicilegium, quam, nonnullorum fortasse lectorum cum taedio, ex immenso Praeceptoris laudum veluti campo cunctos cupide demetere flores.

Immo ipse id agendi atque aggrediendi conatus, nisi sponte ac per se justam incurreret in temeritatis reprehensionem, a mearum certe virium tenuitate plane excluderetur. Quid enim? Primum quidem doctrinarum, in quibus nostram fundari novimus, *propaedeuticarum* vix ullam partem plane inornatam reliquit, plurimas haud unâ ratione magnis demeruit officiis. Atque ita *Theologiae* non mediocre cum decus paravit, tum praesidium.

Multa quidem sciens praetermitto. Nec tamen facere possum, quin annum attingam 1834. Quo imprimis anno, per aliorum effrenatam superstitionem, aliorum inconsideratam temeritatem, vehementius turbari nostra inceperat Societas. Omnino igitur operae pretium est attendere, quam studiose jam ac quam prudenter ea commendaret, quae laboranti Ecclesiae prodesse posse eique pacem restituere viderentur. Nec minus caute ea dissuadebat, unde acriorem etiam animorum exacerbationem exstituram putabat. Quodsi nec illius, nec aliorum conatus Virorum sapientium Ecclesiae ruinas fulcire potuerunt; *ne ab eventu facta notanda putemus*. Itaque qui plenius Clarissium cognoscere cupiunt, attente legant rogo quae anni memorati 1834 in *Actis Synodd.* referuntur, p. 129. 151. 153 sqq. 164 sq. 189 sqq.

De hâc ipsâ autem quid dicemus *disciplinâ sanctissimâ?* Ad ejus enim omnem, quâ late patet, *Encyclopaediam* non vulgari quâpiam ac vernaculâ linguâ, sed communi eruditorum sermone complectendam ac commentandam tantum et diligentiae contulit et doctrinae, quantum a consociatâ demum plurium Virorum doctissimorum operâ potuerat exspectari. Tum in Christianae religionis dignitate ac coelesti origine modo subtiliter tuendâ ac defendendâ modo populariter, eâ et constantiâ versatus est et felicitate, ut dictu difficile sit, utrum ex sacris his ejus triumphis plus emolumenti docti tulerint Apologetae, an plurimorum hominum fide vacillantium ac nutantium animi immortales. Verum non est quod singula hoc loco singulatim memoremus. Nam latissime patentis nostrae disciplinae quota quaeque pars est aut propago, quam non vel judiciorum theologicis de libris proditorum subtilitate, vel scriptorum luce copiâque, vel institutionis academicae doctâ sapientiâ, vel hisce omnibus simul rationibus illustraverit ac locupletaverit? Ne quid de iis adjiciamus scriptis aut commentationibus, nec nimis paucis illis nec contemnendis, quas ita sine ullâ nominis professione atque indicio edidit, ut nemo nunc mortalium in vivis supersit, qui huic eas auctori certâ fide vindicare possit (1). — Verum alia sunt ad laudem uberiora et ampliora et diuturniora. Quot enim et quam diversos homines ad *Sanctissimi Codicis* pleniorem intelligentiam ac majorem venerationem veluti manu adduxerit, si accurate narrari possit tradique, a rei veritate omnium fidem superatum iri confidimus. Nec magis et senes et juvenes numerari possunt, et culti homines et inculti, et divites et pauperes, ad quos errorum peccatorumque servitute liberandos et consolandos et coelesti Patriae praeparandos popularibus Clarissii scriptis, nullius non conditioni sapienter attempera-

(1) Hic lectorum in memoriam revocare licebit, quae supra de varii generis operibus monuimus, ad quae locupletanda symbolas contulisse Amicum ita certo constiterit, ut tamen quo numero et cujusmodi fuerint illae symbolae declarare non possimus.

tis (1), ejusdemque *orationibus*, nullâ non *eloquentiae sacrae* dote commendatis, Dei usa est Providentia atque Ille, qui hominum operâ homines edocendos curat, Spiritus Divinus.

Quae cum ita sint, neminem quemquam esse, qui omnia, quibus vel *Theologiam*, vel *fidei Socios*, vel ipsam adeo *Ecclesiam* sibi obstrinxerit, merita atque officia plenâ complecti possit recensione, certissimum est et evidentissimum. Neque igitur Praeceptoris de laudibus, cui quantum debeam nullis enuntiare possum verbis, quidquam amplius adjiciam. Cum haec praesertim summa fuerit ipsius laus, quod sibi nihil, DEI auxilio gratiaeque omnia tribueret atque accepta referret. Ac vere et candide, Paullum imitatus Apostolum, ex intimo profiteri potuit animi sensu: *Ἐμοὶ εἰς ἐλάχιστόν ἐστιν ἵνα ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας ἀνακριθῶ· ἀλλ' οὐδὲ ἐμαυτὸν ἀνακρίνω. Ὁ δὲ ἀνακρίνων με Κύριός ἐστιν* (2).

Quod igitur unum, exeunte narratione, testificandum nobis superest ac profitendum; » *Tibi*, Pater luminum! a quo omne » bonum descendit donum omneque perfectum munus, *Tibi gra-* » *tias agimus atque habemus, quod eximium hunc Tui Numinis* » *cultorem Christique ministrum fidelissimum, hocce potissimum* » *nostro tempore, excitâsti, Tuâ ipsius manu conformatum praeclaris* » *ornâsti sanctissimi Tui Spiritûs donis atque, acerrimis in stadii* » *terrestris aerumnis, spe diutius incolumem nobis conservâsti. Cu-* » *jus vita et opera, Tibi consecrata, si Christo ejusque Euangelio* » *honorifica, si Christi Ecclesiae fructuosa, si innumeris hujus So-* » *ciis salutaris apparuit; tantorum Te beneficiorum auctorem, Te* » *unum fontem caussamque supremam laudamus supplices atque* » *in aeternum celebrabimus!"*

(1) Non omnia quidem omnium, sed alia aliorum conditioni sunt attemperata. Haec ne dicta male quis intelligat.

(2) 1 *Corinth.* IV. 3. 4, nonnullis contractis.

EXIT NARRATIO.

ADDENDA ET EMENDANDA.

PAG. 44.

Nonnulla h. l. de operâ narravimus, quâ de *Societate pro salute publicâ* bene meruit, *Enchusae* degens, Clarissius. Quibus hoc jam addere juvat. Ex alterâ ejus librorum auctione diatriben mihi comparavi, *Catalogi* pag. 55, N°. 275, memoratam, chartâ caeruleâ 30 pagg. continentem. Quae ibi Clarissii et O. (i. e. Ockersii) contrarias habere dicitur animadversiones. De cujus quidem libelli ratione non plane mihi constitisse fateor. Videtur tamen ingenii periculum aliquod continere, quo bini, quos dixi, Amici, quorum neuter nomen profitebatur, dicis caussâ se invicem refellentes, memoratam *pro salute publicâ Societatem* conjunctâ operâ laudare voluerint atque ab obtrectatorum calumniis defendere.

PAG. 48, ANNOT. 1.

H. l. Clarissium adolescentem symbolas contulisse monuimus ad Ephem. *Nieuwe Nederlandsche* Bibliotheek, Tom. VIII. Quod opus Amstelodami apud Mart. de Bruyn, Bibliopolam honestissimum, edi consueverat. Cujus igitur filius J. van Troostenburg de Bruyn, apud Wentersvicienses Euangelii Antistes pl. venerandus, et àlia et haec humaniter mihi narravit. Memorati operis Tomus VIII, a. 1788 editus, plures et librorum censuras habet et dissertationes, notatas litteris Cl. Quas

Clarissio tribuendas esse, Editoris scidularum fide, satis certo constat. *Censurae* quidem inveniuntur p. 7. 11. 123. 178. 189. 199. 230. 250. 276. 294. 333. 359. 430. 471. 476. 480. 508. 521. 525. 538. 582. 676. Haec de *censuris*.

Tum ejusdem Tomi *Miscellanea* has habent, eâdem notâ Cl. insignitas, *dissertationes: Disquisitio de caussis, quibus bonorum librorum, de Theologiâ vel theoreticâ vel practicâ hoc tempore editorum, tribuenda sit paucitas;* pag. 58 sqq. — *De caussis unde Nederlandiae et depravatio repetenda sit et miseria;* pag. 105 sqq. — *Disputatio de Osculis.* Ubi pleraque exempla ex Sacro Codice, Vetere maxime ex Testamento, petita reperiuntur. Vid. p. 161 sqq. — *De Francogallorum tolerantiâ;* p. 195 sqq. — Tandem *interpretatio loci* 1 *Joann.* V. 16. 17, ubi *de peccato vel letali vel non letali* monetur; pag. 353 seqq. et p. 397 seqq.

Apparet igitur disputationis etiam de 1 *Joann.* V. 16. 17, quam postremam memoravi, auctorem esse Clarissium, non Heringam. Quod, ante hos plures annos, quamvis dubitans, suspicatus eram. Vid. opusculum: J. H. E. Z., *als Voorstander van het Vaderland en deszelfs heilzame Instellingen* etc., p. 161 sq. Sed ejusdem, quem dixi, Viri venerandi admonitione certissimam esse conjecturam comperi, *ibidem* paullo confidentius proditam, de Heringâ auctore disputationis in locum *Luc.* XIII. 24. Quae ejusdem Tomi p. 492 sqq. edita exstat.

Ad Clarissium redeamus, qui tantillâ jam aetate doctissima illa scripserat atque edenda curârat. Posteriores memoratae Ephemeridis Tomi nulla nominis iudicia habent. Cum enim alii jam Moderatori operis cura demandata esset, plura non contulisse videtur.

PAG. 52, VS. 5.

Pro vocabulis *Trajectini pagi Maartensdijk* potius legatur: *in agro Trajectino ad Aggerem Sancti Martini.*

PAG. 57, ANNOT. 2.

Corn. de Waal, Prof. Emeritus, Amstelodami obiit, d. 1

Decembr. 1849, aetatis annum agens nonum et septuagesimum.

PAG. 80, ANNOT. 1, VS. 6.

Posteaquam haec scripta erant ac typis mandata, d. 4 Decembr. 1849 fato functum esse G. H. Arntzen, veterem condiscipulum meum, haud sine dolore accepi.

PAG. 96, ANNOT. 1, ET PAG. 174, ANNOT. 2.

Et hisce locis, et aliis alibi datis opportunitatibus, multa indicavi, quae Clarissio auctori debuerit Ephemeris: *Censor Censorum.* Praeterea judicent velim lectores, in ejusdem Operis *Miscellaneis* nonne haec etiam ipsi tribuenda sint. *Disquisitio de Poëseos vi mechanicâ;* Tom. XI. p. 353 sqq. — *De* Javae *insulâ relatio, ducta ex illius historiâ, a* Rafflesio *Anglo editâ;* Tom. XII. p. 337 sqq. — *De Germaniae Academiis* Krugii, *Professoris Lipsiensis, disquisitio,* ab interprete frequenti locupletata annotatione; *ejusdem* Tomi XII. p. 439 ac seqq. permultis. Haec, ab humanissimo monitus Oosterdicio, probabiliter certe Clarissio tribuenda puto.

Nec me supra dictorum poenitet, *ab ineunte a.* 1826, editis jam Vol. I—XVIII, *in ordinariis hujus Horrei auctoribus nomen profiteri desiisse Amicum.* Ubi de iis, quae postea contulerit, alibi nos monituros diximus. V. p. 95. 96. Jam ad recentiora illa Clarissiana sine dubio *tertiae* seu *novae Mnemosynes* censura referenda est, ibidem prodita, XXIII. 145—151. Hîc autem (a. 1830) *dudum a censuris scribendis sese desuefactum esse* profitetur. Quibus ipsis supra a nobis dicta confirmari, nemo non videt. — Minus certum, nec improbabile tamen est censuram eum scripsisse Fockensii *commentationis de Jobeïde,* quae ibidem exstat XXXI. 229—240.

Tandem ejusdem operis Tom. XXXVIII. p. 58. 239. 332, item Tom. XXXIX. p. 205 et 280, censurae sunt litterâ C. notatae. Quae utrum Clarissianae sint, lectorum sagacitati disquirendum relinquimus. — Verum de his omnibus utcunque

statuatur; id imprimis scire volo Praeceptoris amicos, plerasque omnes, quae XVIII prioribus hujusce Horrei Voluminibus continentur, librorum theologicorum censuras illius ingenio deberi ac doctrinae.

PAG. 112, ANNOT. 1, VS. 4 a fine.

Theodori Adriani Cl. non tantum *sacras* Pater edidit orationes posthumas, quod vere narravimus; sed item alias nonnullas diversi, sed gravissimi argumenti, inscriptas illas: *Nagelatene redevoeringen van* T. A. Cl., *Theol. Doct. en Prof. te Groningen; ibidem,* 1829. 8. Quem etiam ipsum Fasciculum lectu dignissimâ praefatione ornavit Pater. Omnino hîc consulatur *Cens. Cens.* XXIII. 475—482 *recens.*

PAG. 137, ANNOT. 1, VS. 1.

Pro *cui* legendum *quibus.*

PAG. 180, IN INSCRIPTIONE.

Ubi legitur Segmentum primum, potius legendum Segmentum prius.

PAG. 187.

Ad finem loci de Clarissio, *Grammatico Nederlandico,* haec adjiciantur. In opere vernacule edito, apud Warnarsium: *Vaderlandsch Magazijn van Wetenschap, Kunst en Smaak,* Tom. I. p. 136—156, illius exstat commentatio *de Veterum ad definiendam vocabulorum Nederl. originem auctoritate.* — *Ibidem,* Tom. IV (1807). p. 909—924, lectu digna sunt quae docuit de antiquâ Germanicae stirpis voce *Skalks.* Priorem commentationem suo nomini vindicavit in annot. ad *Secreta Secretorum,* p. 219; — alteram in annot. ad *Ulphilae interpretationem Ep. ad Philemon.* vs. 15. Quae hîc plura reperiantur lectoribus inquirendum relinquo.

PAG. 208, ANNOT. 1.

Duo huic adjicienda videntur annotationi.

Alterum hoc. Memoratae laudationis solum auctorem esse Clarissium, jam antea docuerat Tydemannus, ubi Ockersii disputationem aliquam edidit, in Sylloge inscriptâ: H. W. T., B. F. Tydeman en J. F. Bodel Nyenhuis, *Mnemosyne*, D. I; *Leid.* 1829. Quem Viri humanissimi candorem non minus humaniter laudavit Cl., *Cens. Censs.* XXIII. 150 *recenss.*

Alterum hoc monendum. Jam antea Cl. ejusdem Ockersii plures ediderat ac praefatione ornârat *Orationes posthumas* (*Nagelaten Redevoeringen*); *Amst.* 1826. 8.

PAG. 219.

Dictis de Clarissio *Philosopho* haec commode addi potuerant. Viri plurimum venerandi Leidensis, de Praeceptoris chartis optime meriti, beneficio brevem aliquam debeo disputationem, 35 pagg. continentem, quae inscribitur: *Verhandeling van den Heere* Nicolaï *over de Abstracties, de gebreken, die daarvan onafscheidelijk zijn, en derzelver veelvuldig misbruik.* Ubi auctor Philosophorum, qui ineunte hocce Seculo laudabantur, vitia acute reprehendit. Francogallice edita est disputatio in *regiae disciplinarum Societatis Berolinensis Operibus, ad annum* 1803 (*Classe de Philos. Speculative,* p. 25—54). Interpretem Nederlandicum Clarissium esse nobis constitit. Sed quo nostratum in opere repositum sit scriptum, et Amici humanissimi et ego frustra inquisivimus.

PAG. 222, ANNOT. 1.

Quem hîc *Lipsiensem* vere nuncupavimus Theologum, Ferdinandus Flor. Fleck postea *Giessensis* fuit. Ubi Virum eruditissimum, die jam 25 Junii 1849, vixdum quinquagesimum aetatis annum ingressum, fato functum esse, nostrarum Littera-

rum causså dolemus. Vid. de eo Koellnerus, in Ephem.: *Theol. Literaturbl. z. A. Kirch. Zeit.* 1849, N°. 118.

PAG. 259, ANNOT. 1, v. 4 a fine.

Et hîc et *proximae pag. v.* 3 pro vocab. *commentatiunculas* leg. *commentariola.* Atque eâdem ratione alibi minus probatae illi voci meliorem hanc substituant lectores humaniter rogo.

PAG. 311, v. 3 sqq.

Quam sapienter, quam prudenti delectu, quam copiosâ varietate ad *temporum sacrorum rationes vicesque* dicendi argumenta referre solitus sit atque accommodare Theologus, et multis aliis mihi constitit documentis, et *Sacri Cod. locorum,* quos ea ad tempora adhibuerat, accurato *Indice*, ab Itersonio et concinnato et humanissime mihi tradito. Quem Indicem nonnullis certe Euangelii Ministris in iisque condiscipulis nostris nec ingratum fore confidimus nec plane inutilem. Ubi monere non opus erit, quod non incertâ recordor pueritiae meae atque adolescentiae memoriâ, alios etiam S. S. locos eosque longe plures iis, quae memorabimus, temporibus sacris a Praeceptore tractatos esse. Verum eos tantum a nobis memoratos invenies, quos lustratis a se vel orationibus vel orationum sciagraphiis praescriptos reperit Vir, quem diximus, amicissimus.

Primum igitur ad *Professionis Orationes,* quibus, instante Sacrâ Coenâ, et suam et coetûs, cui ministrantur, fidem *profiteri* ac declarare solent Antistites, hos eum adhibuisse Sacri Codicis locos videmus: *Thren. Jerem.* V. 16. *Matth.* XXII. 37—40. *Joann.* VI. 68. XI. 26^{b}. XIV. 15. *Rom.* X. 9. 10. X. 10. 2 *Thessall.* II. 15. 1 *Timoth.* VI. 20. 21. 2 *Timoth.* III. 14^{a}. *Hebr.* XIII. 7^{a}. *Jacobi* II. 26. 1 *Petri* III. 15^{b}. *Jud.* vs. 3. 20.

Deinde ad *Praeparationis Orationes,* quae id agunt ut pie celebrandae *Sacrae Coenae* Christianorum animos *praeparent* ac

bono cum Deo conforment, utiliter instituendas ac moderandas his ducibus usus est S. S. dictis. *Jobi* IX. 1. 2. 3. *Psalm.* II. 11. LI. 5. CIII. 3. CXLIII. 2^b. CXLIII. 10. *Amosi* IV. 12. *Matth.* VIII. 38. X. 32. 33. *Marc.* VIII. 38. *Luc.* IX. 26. XII. 8. 9. XII. 40. XVII. 5^b. XXII. 19^b. *Joann.* III. 16. III. 36. VI. 67. VI. 68. XI. 26^b. *Rom.* VIII. 32. X. 9. 10. 1 *Corinth.* XI. 28^a. XV. 3. 2 *Corinth.* V. 21. VIII. 9. *Ephes.* V. 2. *Hebr.* X. 19—31. XII. 15—19. 1 *Petr.* III. 15. 1 *Joann.* IV. 9.

Quibus vero diebus horisque ad *Sacras Epulas* celebrandas convenerant ac se jam accingebant auditores, hos ipsi *locos* fuisse comperimus, qui dicendi argumenta suppeditarent. 2 *Regg.* IV. 26^b. *Psalm.* XXXIV. 9. LI. 5. LI. 14^b. LXV. 2—5. CXI. 9. 10. CXXX. 4^a. CXXX. 4. CXLIII. 9^b. *Jes.* LII. 13—LIII. 12. *Matth.* XI. 28. XI. 29^b. *Luc.* XXII. 19^b. XXIV. 36—47. XXIV. 43. *Joann.* I. 29. I. 35. 1 *Corinth.* X. 16. 17. XI. 24^b. XI. 26^b. *Jacob.* IV. 8^a. 1 *Petr.* II. 7. 1 *Joann.* I. 7^b. IV. 8^b—11.

Celebratam tandem *Sacram Coenam* eae subsequuntur orationes, quas, ab officio et conatu *grati animi* sensis auditores imbuendi, *gratiarum actiones* appellare solemus. En igitur *locorum* S. S. tabellam, quibus nunc usum esse Amicum reperimus. *Psalm.* CIII. 1—18. CXXX. 4^b. *Jonae* II. 8. 9. *Matth.* V. 8. V. 43—48. V. 48. IX. 9. XI. 29. 30. XVI. 24. *Luc.* IX. 23. XXIV. 36—43. *Actt. App.* XVI. 26—34. 2 *Corinth.* VI. 1. VII. 1. *Ephes.* IV. 1. V. 20. *Philipp.* II. 5. *Coloss.* I. 12. III. 17. III. 17^b. 1 *Thessall.* IV. 3^a. V. 18. 2 *Timoth.* II. 19. *Tit.* II. 11—14. *Hebr.* XII. 2. *Jac.* IV. 8^b. 1 *Petr.* I. 3—5. II. 4—10. III. 21. 2 *Petr.* I. 3—11. 1 *Joann.* I. 5—10. I. 7. II. 1. 2. II. 6.

Solennibus Supplicationum diebus et alios *S. S. locos* in-

terpretatus est, et 2 *Sam*. VII. 18^{b}. *Dornae*, 8 Mart. a. 1795.

Hujus ipsius diei, ut hoc obiter dicam, perquam difficile sibi fuisse officium, ante multos hos annos mihi narrare memini Virum optimum. Neque enim recenti tum rerum publicarum conversioni applaudebat, ac dilectae Patriae servitutem potius allaturos esse, quam libertatem nuper advenas Francogallos, nimis verus, eheu! vates augurabatur. Nec dissentientes profecto habebat auditores principes, villarum adjacentium dominos. Et tamen non defuisse auditores puto, qui plane aliter de Patriae sorte ac salute statuendum opinarentur. His igitur in rerum adjunctis, novorum Regionis Trajectinae Moderatorum jussu ac mandato, pro subactâ scilicet Nederlandiâ solennes *agendae* incumbebant *gratiae*. Quae quo tristior imposita erat necessitas, eo magis sinceram Deo gratiam habebat; cujus juvante auxilio ita dicere atque ita preces praeire sibi contigerat, ut nec turpi uteretur dissimulatione, nec, in auditorum dissensu, cujusquam animum offenderet, et omnibus pariter prodesse conaretur.

Verum e deverticulo, in quod suavissimae Praeceptoris narrationis me allexerat recordatio, in viam redeamus. Ecce igitur caetera, quae *Supplicationum diebus* ab ipso tractata esse novimus S. S. dicta. *Jes*. XXX. 1^{a}. *Dornae*, 17 Aug. a. 1794. — *Hos*. VI. 1—3. *Rom*. II. 4. *Dornae*, 13 Febr. 1793. — 1 *Thessall*. V. 17. 1 *Joann*. V. 14. 15. *Apocal*. II. 5^{a} et 5^{b}. *Enchusae*, 21 Mart. a. 1802.

Eodem in oppido, *Supplicationum die* dicens *pro felici Piscatûs exitu*, valde opportuno usus est loco *Lucae*, V. 5^{b}.

Tandem, ubi non solidi quidem dies, sed singulae *Supplicationum horae* celebrandae erant, his eum, alias ex aliis dicentem cathedris, usum esse locis nobis constitit. *Psalm*. IV. 7. XXVII. 14. *Leidae*, 7 Aug. a. 1831. — *Psalm*. LV. 3. *Dornae*, 7 Mart. a. 1792. — *Psalm*. LXXXV, *ibidem*, 23 Jul. a. 1793. — *Psalm*. XCVI. 8—10. CIII. 9. CXIX. 15. *Dornae*, 1 Januar. a. 1793. — *Psalm*. CXXX. CXLIII. 9^{c}. CXLIV. 15. *Jes*.

XIV. 7—9. *Hos.* VI. 4. *Harderovici*, 26 Febr. a. 1809. — *Matth.* XI. 30. *Dornae*, 4 Jul. a. 1793. — *Luc.* II. 14^{b}. In pago *Nederlangbroek*, 11 Jul. a. 1793. — *Rom.* XI. 33. *Coloss.* III. 15^{b}. *Roterodami*, 5 Decembr. a. 1813. — *Hebr.* XI. 27^{b}. *Ibidem*, 12 Sept. a. 1813, et *Leidae*, 31 Maji a. 1818. — *Jacob.* IV. 8^{a}. V. 16^{b}. *Dornae*, 28 Febr. a. 1793. — 1 *Joann.* II. 17. *Roterodami*, 14 Aug. a. 1814. — *Apocal.* II. 5^{a}. *Enchusae*, 21 Mart. a. 1802.

SCRIPTORUM CLARISSII

BREVIS NOTATIO.

Hâc de notatione duo praemonenda habeo. Alterum hoc. In brevissimâ suorum tabellâ scriptorum, supra saepius a nobis memoratâ, quam morti proximus mihi misit Amicus, nonnullas in *classes* ea distribuenda curaverat. Quamquam tumultuariâ tantum operâ ac senili subventurus memoriae id fecisse videtur. Hanc igitur distributionem, quippe a majore commendatam auctoritate, hîc sequi malo, quam aliam quamcunque instituere (1). In eas autem *classes* illa etiam singula, ut potero, referam, de quibus nihil me monuit. Neque enim pauca plane omisit; caetera autem ita memoravit, ut de iis etiam ipsis permulta quaerenda relinqueret. — Alterum hoc monendum est. Ne putide librorum inscriptiones repetendo lectorum animis nauseam crearem, ita brevissime singula memoranda putavi, ut quibus hujus

(1) Quod, supra p. 194, ad *temporis* calculos singula revocare paullo inconsultius receperam; re plenius perpensâ id me praestare non posse vidi. Neque enim opera diutius continuata, quâ et Ephemerides demeruit nec alia pauca varii generis Horrea Clarissius, *annorum* limitibus accurate definiri potest. Et vero quaecunque, longam post disquisitionem, hîc a me quidem satis certo tradi poterant, haec ipsius opusculi locis infra memoratis notata reperientur.

narrationis locis ac *paginis* accuratius de iis dictum sit, continuo post singulorum notationem indicaretur.

I. *Juvenilia.* In quibus omnium primum est: *Eerekroon gezet op het hoofd van den grooten Rijmer.* Vid. supra p. 24. 182.

Alia exstant *Juvenilia:*

In opere: *Het godsdienstig Magazijn.* Pag. 292.

——— Brenderi à Brandis *Taal-, Dicht- en Letterkundig Magazijn.* Pag. 182.

——— *Schatkamer van Vernuft en Smaak.* Pag. 182. 188 sq.

——— *Bijdragen tot het menschelijk geluk.* Pag. 292 sq.

——— *Proza en Poëzij van* Kunst-IJver. Pag. 189 sq.

——— *Proeven voor het Verstand, den Smaak en het Hart.* Pag. 37. 191 sq.

——— *De Bijbelminnaar.* Pag. 259 sq.

——— *Almanach tot Nut van het Algemeen.* Pag. 292 (1).

Gedichten. Pag. 190 sq. (2).

II. *Dissert. de Spiritu Sancto.* Pag. 31. 272 sqq.

(1) Quâ de caussâ hocce anni 1804 opusculum ad *Juvenilia* sua retulerit Amicus, mihi non constitit.

(2) De Carmine, q. d. *Dichtgedachten*, v. p. 192.

Hujus Diss. *imitatio Nederlandica.* Pag. 38. 272 sqq.

Gedenkwaardigheden uit het openbaar leven van sommige Apostelen. Pag. 38. 45. 96. 97. 245 sqq. 291. 293.

Proeve over de waardij en het gezag van de leer der Apostelen. Pag. 45. 228 sqq. 267.

De brief van Jacobus *in vertoogen.* Pag. 45. 245 sqq. 291. 293.

III. *Orationes sacrae,* in *Fasciculis* coactae. Pag. 45. 70. 78. 102—105. 126—128. 231—233. 282 sqq. 300 sqq.

——————— *singulatim editae.* Pag. 157. 193 sqq. 233 sq. 283 sq. 300 sqq.

Tafereelen uit de Levens- en Lijdensgeschiedenis van den Heere J. C. Pag. 100—102. 294.

IV. *Aanleiding tot huisselijke Godsdienstoefening.* Pag. 105 sq. 288. 293 sq.

V. *Epitome Encyclopaediae theologicae.* Pag. 59. 98. 220 sqq.

VI. *Ad Litteras Nederlandicas atque affines pertinentia.*
Secreta Secretorum, sive: *De Heimelijkheid der Heimelijkheden, toegekend aan* J. v. Maerlant. Pag. 106. 107. 183.

Universi ratio ac catenatio, sive: *Sterre- en natuurk. on-*

derwijs, gemeenlijk genoemd Natuurkunde van het Geheel-al etc. Pag. 132—134. 183.

Fragmenta Fabulae equestris, sive: *Twee Fragmenten, waarschijnlijk van een' Ridder-roman* etc. Pag. 184.

Carolingiani temporis Psalmi. Pag. 185.

Ulphilae fragmenta. Pag. 186. 187.

(Alia ad Litteras Nederlandicas spectantia vidd. p. 181 sqq. et p. 330).

VII. *Librorum censurae.*

Nonnullae in opere: *Nieuwe Nederl. Bibliotheek*, apud M. de Bruyn. Pag. 327 sq.

Paucae in opere: *Letterkundig Magazijn*, cujus Editor fuit Bibliopola van Dijk (1).

Nonnullae in opere: *Bibliotheek van Theologische Letterkunde.* Pag. 91. 151 sq. 155. 175 sqq.

Numero infinitae in op.: *De Recensent, ook der Recensenten.* Pag. 27. 68. 95. 96. 151 sq. 155—161. 173 sqq. 218. 266. 286 sq.

VIII. *Diversissimi generis disputationes et commentationes innumerae.*

Primum quidem in quaternis Ephemm. proxime memoratis.

(1) Praeceptoris auctoritate dico. Cujusmodi fuerit nescio. Neque igitur his de *censuris* supra monui.

Nieuwe Nederl. Bibliotheek. Pag. 327 sq.

Letterk. Magazijn. Pag. 194. 234.

Biblioth. van Theol. Letterkunde. Pag. 91. 236.

De Recensent, ook der Recens. P. 155. 193 sqq. 241 sq. 257.

Tum in operibus, quae linguâ vernaculâ dicuntur:

Nieuw Algemeen en *Vaderlandsch Magazijn van Wetenschap, Kunst en Smaak,* apud Warnarsium editum. Pag. 330.

Algemeen Woordenboek van Kunsten en Wetenschappen, Moderatore G. Nieuwenhuis Zutphaniae editum, I. III. Pag. 91. Probabiliter plura hîc Clarissiana reperiuntur, quam diserte significare potuerim.

Taalkundig Magazijn, Moderatore A. de Jager editum. Pag. 184.

Archief voor kerk. Geschiedenis, inz. van Nederland, Moderatoribus editum Kistio et Royaardsio. Pag. 113. 262 sqq. 267 sq.

Werken der Leidsche Maatschappij van Nederlandsche Letterkunde. Pag. 106. 132. 184.

Konst- en Letterbode (1).

---

(1) Ad hanc quidem Ephemerid. pauca tantum se contulisse affirmat Praeceptor. Nec quae ejus symbolae fuerint nobis innotuit.

Mnemosyne, Moderatoribus edita Tydemanno et Kampenio. Pag. 198.

De Fakkel, opus editum moderante J. P. Sprenger van Eyk. Pag. 21. 23. 264—266.

Bijdragen tot bevordering van Bijbelsche Uitlegkunde. Moderante B. van Willes editae Symbolae. Pag. 249 sq.

Dagboek bij den Bijbelschen Almanak, Moderatore J. E. Voet van Campen editum. Pag. 288—290.

Nieuw Christelijk Magazijn, Moderatore J. H. Krom editum. Pag. 194.

Iets ter opheldering der Lijdensgeschiedenis. Enchusae editum. Pag. 292 (1).

IX. *Dissertationes*, vel *ad Societatem pro salute publicâ* missae, vel *ad Societatem Haganam pro tuendâ religione Christianâ*.

Binae commentationes, quae ab *illâ* Societate praemia tulerunt. Quarum altera dicitur:

Nadrukkelijk betoog, dat ongodsdienstigheid de bron zij van tijdelijk en eeuwig ongeluk etc. Pag. 44. 290 sq.

Altera: *Verh. over de middelen om de losheid in beginselen en zeden te stuiten* etc. Pag. 44. 290 sq.

De animo suâ sorte contento. [Praemio non ornata (2)]. Pag. 46. 281.

---

(1) Aliis etiam aliorum in operibus Clarissiana reperiri, lectoribus apparebit ex p. 194 sq. 218.

(2) Id ipsum h. l. in scidulâ dixit Vir modestissimus.

De argumento pro religione Christ. ex Miraculis ducto. Pag. 46. 228 sq.

De argumento eâdem pro rel. ex ipsius Ethicâ petito. Pag. 46. 228 sq. 280 sq.

X. *Orationes.*

Latine editae:

De arctissime inter se nexis dogmaticis et moralibus rel. Christ. praeceptis. Pag. 54. 55. 270.

De injusto theologici studii contemtu. Pag. 59.

De Theologo vere liberali. Pag. 21. 59. 84. 85.

De conjungendâ — cognitione historicâ et philosophâ. Pag. 85. 86. 206.

Vernaculâ linguâ editae:

Ad adolescentes, honestioris maxime loci. Pag. 98—100. 290.

Ad Societatis pro salute publicâ Sectionem Enchusanam. Pag. 44. 195.

Pro Missuum Societate. Pag. 161 sq.

Pro Societate Biblicâ. Pag. 162.

De caussis neglectae, nostrâ maxime in Patriâ, Philosophiae. Pag. 128. 129. 213.

Clarissii et Ockersii scriptum aliquod de *Societate pro salute publicâ* memoratum vide p. 327.

(Aliae *orationes* memoratae videantur p. 155. 192—196. 282. 332 sqq.)

XI. *Biographica.*

De Wynperssio. Pag. 21. 207.

— Brugmansio. Pag. 90. 91. 207.

— Ockersio. Pag. 25. 68. 207. 208. 331.

— Ravio. Pag. 23. 208.

— Alphenio. Pag. 30. 196. 208.

— Theod. Adr. Clarissio. Pag. 113. 208.

— Endio. Pag. 18. 23. 30. 209.

— Palmio. Pag. 208—210 (1).

XII. *Chartographica.*

Palaestinae s. terrae sanctae Tabula hujusque *Descriptio.* Pag. 258. 259.

XIII. *Aliorum libri, quos vel Nederlandice convertit, vel annotatione locupletavit, vel praefationibus ornavit.* Quorum nonnullos suâ curâ tantum non novos fecit (2).

---

(1) Typis quidem mandatus est, nec tamen publici juris factus esse videtur exiguus 4 pagg. libellus, qui inscribitur: *Bij het graf van* Gabriël Pigeaud, *d.* 31 *October* 1827. Theologiae Studiosus hic fuerat, ac nepos Thomae Pigeaud, de quo p. 12.

(2) Nec tamen hisce de libris in scidulâ quidquam monuit.

Paleji, *de Theologiâ Naturali.* Pag. 69. 70.

Ewaldii, *de Eloquentiâ sacrâ.* Pag. 10. 18. 79—97 sq. 295—299.

Strauszii, *Helon peregrinans.* Pag. 254 sqq.

Munscheri, *Compend. Hist. Eccl.* Pag. 112. 269.

Ullmanni, *Gregorius Nazianzenus.* Pag. 267.

Seileri, *de Patefactionibus divinis.* Pag. 47. 230.

Lavateri, *Pontius Pilatus.* Pag. 70.

Ewaldii, *opus practicum* (*Christelijk Huis- en Handboek*). Pag. 45. 70. 290).

Rosenmulleri, *opus practicum* (*Christ. Huis- en Handboek*). Pag. 70. 290.

T. A. Clarissii, et Patris et Filii, *Orationes sacrae.* Pag. 9. 10. 112.

T. A. Clarissii, Prof. Gron., *Orationes posthumae.* Pag. 330.

Ockersii, *Orationes posthumae.* Pag. 331.

Friederichii, *Heliodorus.* Pag. 100. 158.

Nicolaï, *de abstr.* Pag. 331.

A. de Vries, (*Roterodamensis*) *Militum sauciatorum compellatio.* (*Een woord aan de gekw. Nederl. Krijgslied.*) P. 293.

NARRATIONIS CONSPECTUS.

Praegressâ Praefatione Introitus........................pag. 1— 4

PARS PRIOR.

DE CLARISSII VITA.

CAPUT PRIMUM.

De ipsius gente, pueritiâ, adolescentiâ.................. — 5— 31

CAPUT ALTERUM.

De statione Dornensi .... — 32— 39

CAPUT TERTIUM.

De statione Enchusanâ.................................. — 40— 49

CAPUT QUARTUM.

De Professione Harderovicenâ.......................... — 50— 74

CAPUT QUINTUM.

De statione Roterodamensi............................. — 75— 82

CAPUT SEXTUM.

De Professione Lugduno-Batavâ......................... — 83—119

CAPUT SEPTIMUM.

De Emeriti rusticatione .... — 120—139

PARS ALTERA.

DE CLARISSII CUM INDOLE MORIBUSQUE, TUM MERITIS ET ALIAS IN DOCTRINAS ET IMPRIMIS IN THEOLOGIAM.

CAPUT PRIUS.

De Clarissii indole ac moribus.........................pag. 143—169

CAPUT ALTERUM.

De ipsius meritis et alias in doctrinas et imprimis in Theologiam. pag. 170—326

Quibus de meritis universe dicitur, imprimis muneris censorii ratione habitâ.. — 170—179

Tum singulatim agit

SECTIO PRIOR.

De Clarissii meritis in Philologiam, Historiam, Philosophiam.

SEGMENTUM PRIUS (1).

De Philologo ipso.. — 180—204

SEGMENTUM ALTERUM.

De Historico ipso ac Philosopho........................... — 205—219

SECTIO POSTERIOR.

De Clarissii meritis ipsam in Theologiam.

SEGMENTUM PRIMUM.

De ipso Encyclopaediae auctore........................... — 220—226

SEGMENTUM ALTERUM.

De — Apologetâ.. — 227—242

SEGMENTUM TERTIUM.

De — Codicis Sacri interprete........................... — 243—260

SEGMENTUM QUARTUM.

De — Theologo Historico................................ — 261—269

SEGMENTUM QUINTUM.

De — Theologo Dogmatico, Morali, Populari........... — 270—294

SEGMENTUM SEXTUM.

De — Rhetore et Oratore Sacro........................ — 295—320

SEGMENTUM SEPTIMUM.

Conclusio. Ubi pauca de ipso Theologo Pastorali.......... — 321—326

Addenda narrationi in eâque emendanda..................... — 327—335

Scriptorum Clarissii notatio............................ — 336—344

(1) Sic paullo accuratius, p. 180, legatur inscriptio, quoniam bina tantum hic sequuntur Segmenta.

INDEX IN NARRATIONE DATA OPPORTUNITATE COMMEMORATORUM CUM HOMINUM NONNULLORUM, TUM RERUM.

A.

Abresch. (F. L.) Pag. 7.

Abresch. (P.) 9.

Aesthetica conjuncta cum *Philosophiâ*. 210.

Alphen. (H. van) 30. 31. 166. 191. 208.

Amerongiae pagus. 123.

Anacharsidis Peregrinationes, auctore Barthelemio. 255.

Ange. (J. Teissedre l') 23. 44. 189 sq. 209 et in *praefat.*

Angeli picti. 259.

Anglicanae Ecclesiae oratt. sacrae. 305.

Antistites Ecclesiae. Quomodo informandi? 65. — Quae potissimum annuntiare debeant? 76. 309. — Orationes s. iis commendatae. 35. 104. 232. 300. 317.

Antistites Eccl. Nederlandicae. Quibus olim gressibus sacrum ad munus admitti solerent? 32. — Antistitum eâdem in Eccl. penuria. Pag. 323.

Apologetae, vel antiquiora vel recentissima negligentes. Pag. 237.

Apologetica Christiana. Summum ejus momentum et duplex consilium et ratio. 227 sqq. — Non unice fundanda in *Spiritûs S. testimonio.* 236 sq.

Apologeticae orationes sacrae. 231 sqq.

Apostoli. Eorum de doctrinâ judicia. 45. 229 sq.

Applicatio q. d. orationis sacrae pars gravissima. 105 sqq.

Arntzen. (G. H.) 80. 329.

Articulus ὁ, ἡ, τό. 273. 275.

Artifices et *Docti.* V. *Docti.*

Artis Ardor. (Opusc. vernaculum: *Poëzij en Proza van Kunst-IJver*). 189. 190.

B.

Bachiene. (Jo.) 26.

Bakker. (G.) 43.

Bakker. (P. Huizinga) 188.

Barthelemii *Anacharsis*. Pag. 255.

Batava lingua et Litteratura. V. *Nederlandica* l. et Litt.

Batteux. 211.

Beets, (P.) Petri filius. 47. 48. 167. 173. 276.

Bellamy. (J.) 190 sqq.

Bernardus. (Sanctus) 265 sq.

Biblica Societas. 162.

Bibliotheca Litt. theol. (*Bibl. van theol. Letterkunde*). 47. 167. 173.

Bibliotheca nova Nederlandica. (*Nieuwe Nederl. Bibliotheek*). 48. 327 sq.

Bibliotheca theologica. (*Godgeleerde Bibliotheek*). 47.

Bijbelminnaar. (*De*) Vid. Voorst (D. C. van).

Bijdragen tot het menschelijk geluk. Vide *Symbolae* etc.

Bilderdijk. (W.) 164. 184.

Biographiae ecclesiasticae. Quod momentum habent et quomodo judicandae sunt? 261 sqq. — *Populares*. 264 sqq.

Blair. (H.) Hujus Rhetoris laus. 211.

Bodel Nyenhuis. (J. T.) 21. 79. 184. 193. 197. 199. 282. et in *praefat.*

Boers. (Car.) 63. 83.

Bonnet. (Gisb.) 8. 25. 231. 272.

Boot. (J. C. G.) 130.

Borger. (E. A.) 123. 152.

Borger. (P. A.) 123.

Bosman. (Jo.) 55.

Bossuet. 315.

Brem. (C.) 291.

Brink. (J. ten) 68. 72.

Brinkiae villa. Pag. 120.

Britannica inferior dialectus. (*Bas Breton*). Pag. 198.

Broes. (Br.) 23. 35.

Brown. (G. L.) 26. 27. 56.

Brugmans. (S. J.) 89—91. 207.

Bruyn. (J. v. Troostenburg de) 48. 327. et in *praef.*

Bruyn. (Mart. de) 48. 327.

C.

Calendarii Biblici Liber manualis. (*Dagboek bij den Bijb. Almanak*). 289 sq.

Campen. (J. E. Voet van) 289.

Cantica euangelica. 160. 229.

Carolingiana Monumenta. 185 sq.

Catechetici libelli. 323.

Catechizans Magistra. 41.

Cattovici sepulcra. 138.

Censor Censorum. (*Recensent, ook der Recensenten*). 48. 68. 69. 173. 329 sq.

Censoris librorum officia ac virtutes. 173 sqq.

Characterismi sacri. 100 sq. 284 sq. 317 sq.

Charta Palaestinae. V. *Tabula.*

Chevallier. (P.) 8.

Christi dictum memorabile. 228. — J. C. sacrorum Antistiti imitandus. 49.— Mors expiatoria. 163. 277. 309.

Chrysostomi dictum. 164.

Ciceronis dicta. 183. 189. 219. 238. 293. 295. 297. 310. 313 sq. 319. — Cicero qualis *Rhetor*? 211.

Citationes. Vide : *Librorum laudationes.*

Clarisse. (A. A.) 114.

Clarisse. (Cath. Corn.) 104. 109.

Clarisse. (Corn.) Pag. 109.

Clarisse, (Theod. Adr.) Antistes Amstelod. Pag. 7 sqq.

Clarisse, (Theod. Adr.) Prof. Groning. 80. 111—114. 131. 133. 208. 330.

Clarisse. (T. A. M.) 129.

Clarisse. (W. C. L.) 129 sqq.

Clarke. (S.) Pulcrum ejus dictum. 273.

Codex sacer a pulcritudine laudatus. 211. — *Eloquentiae* fons uberrimus. 211. 297. 304.

Coena sacra. Loci *Sacri Codicis*, quorum tractatio illius celebrationem vel *praeparare* potest, vel *comitari*, vel *subsequi*. 319. 332 sq.

Comtum dicendi genus. Vid. *Nitidum d. g.*

Conjecturalis. (*Critica*) 250 sq. — *Conjecturae* in N. T. *Ibid.*

Copia dicendi. 316 sq.

Critica sacra. Ejus ratio. 60. 250—252.

Cyprianus. 264 sq.

D.

Dagboek bij den Bijb. Almanak. Vide: *Calendarii Biblici Liber man.*

Damen. (C. H.) 21. 22.

Danz. (J. T. L.) 222 sq.

Daventriae Athenaeum. 34.

Daventriae coetus. 38.

Δεινότης dicendi. 314 sq.

Dialecticae laus. 238 sqq.

Dialectica S. C. *interpretatio.* 248 sqq.

Dictandi Scholas mos. 64. 65. 88.

Dispositionis oratoriae laus. Pag. 239.

Docti et *Artifices* conjunctim agentes. Pag. 258 sq.

Dogmatice Christiana. 61. 62. 271 sq. — Bini ejus oculi, 272. — Dogmatici *sapientia*. 276 sqq.

Donker Curtius. (H. H.) 19.

Dornae pagus et coetus. 33. 35. 124.

Duiff. (D. van der) 9.

Duiff. (Els. El. van der) 9.

E.

Ecclesia Nederlandica. Ejus leges anni 1816. 323. — Illius conditio a. 1834. 324.

Ecclesiae Historia. 260 sqq. — Profecit *biographicis* ex *monogrammatibus*. 261. — Hujus laus doctrinae. 264. — Studium ejus severum. 268. 269.

Ecclesiastis dicta. 117.

Eck. (Cath. Corn. van) 34. 35. 110 sq.

Eck. (C. Fransen van) 34. 35.

Egeling. (L.) 239.

Eloquentia sacra. Varia ad eam spectantia. 295 sqq. — Ejus fons uberrimus *Codex sacer*. 211. 297. 304. — Ex *pectore* exsistit. 319.

Emigrantes Francogalli. 36.

Enchusae coetus. 40 sqq.

Encyclopaedia Theologiae. V. *Theologia.*

Ende. (Adr. van den) 18. 23. 29. 30. 55. 56. 122.

Engelen, (Corn. van) 292 sq.

Enklaar, Medicus. 137.

Epen. (Corn. van) Pag. 285 sq.

Epicurus. Pag. 152.

Epigraphice Graeca. 131.

Equestris Fabula, s. *Pastoralis.* 185.

Ernesti. (J. A.) 60. 61. 245 sq. 253. — Pulcerrimum ejus dictum. 168. — Ernestinae Scholae vitia. 253 sq.

Es. (H. G. van den) 109.

Ethica Christiana. 54. 62. 63. 217. 279.

Ewald. (J. L.) 45.

F.

Feith. (R.) 229.

Fleck. (F. F.) 222. 331 sq.

Formulae Consensûs. 157.

Francogalli vehementius dicentes. 316. — *Francogalli Emigrantes.* Vid. *Emigrantes.*

Franequerae Academia. 58.

Fratres Moravici. 277.

Fratres vitae communis. 262 sqq.

G.

Geertsema. (J. H.) C. F. 55. et in *praefat.*

Geessinkiae villa. 122.

Gellertii (C. F.) scripta, impr. *Scholae morales.* 28. 29. 166.

Gemma Crucifixi. 263.

Geologia. 122. 151.

Gerardus Magnus. 262 sqq.

Geuns. (J. van) 56.

Glossatores Juris Canonici. 263.

Goes. (A. van der) 18.

Göthe. (W. v.) Pag. 147.

Gothica lingua affinis *Nederlandicae.* Pag. 186 sq.

Graeca conversa *Hebraice.* 61.

Grande dicendi genus. 314—316.

Graphicum dicendi genus. 317.

Gratiarum actionis oratio sacra. S. C. loci illi moderandae idonei. 333.

Griethuysen. (G. H. van) 71. 80.

Groningae Academia. 55—57.

Groningae coetus. 11.

H.

Hagen. (F. H. von der) 185.

Halbertsma. (J. H.) 185.

Hamaker. (H. A.) 204.

Harcourt, Dux Anglorum. 36.

Harderovicena Academia. 50 sqq. 129.

Harderovici Gymnasium. 130.

Harmsianae *Theses.* 279.

Hegel. (G. W. F.) 147.

Helmcke. (H. F.) 182. 190.

Helonis Peregrinationes, auctore F. Straussio. 254 sqq.

Hemsterhuis. (T.) 144. 200.

Hengel. (W. A. van) 138 sq.

Hennert. (J. F.) 27. 215.

Heringa. (J.) E. F. 118. 128. 289. 322. 328.

Hermeneutica sacra. Ejus ratio. 60. 61. 252 sqq. 272.

Hermesii (J. T.) *Iter Sophiae Memeliâ in Saxoniam.* 28. 29. 166.

Hinlópen. (Jac.) 28. 166.

Historia conjuncta cum *Philosophiâ.* 205 sqq.

Historia Dogmatum. Pag. 272.

Historica et *philosopha cognitio* conjungenda. Pag. 85. 86.

Historia Naturalis. Ejus laus et conjunctio cum *Theologiâ*. 90. 91. — Institutio. 92.

Hoog. (Thom.) 77.

Horatii dicta. 315.

Horreum patrium. (*Vad. Magazijn van Wetenschap, Kunst en Smaak*). 330.

Houtkamp. (M.) 40.

Hugenholtz. (P.) 33.

I.

Indulgentiae septem Romae templorum. 268.

Ingenii pensa diversa. 152—154. — Ingenium *satiricum*. 154.

Ingenii Thesaurus. (Opusc. vernaculum: *Schatkamer van Vernuft en Smaak*). 182.

Institutum regium Nederlandicum. 128. 172.

Interpretatio Codicis sacri, vel *docta*, vel *popularis*. 243. 244. — *Subtilis*. 245 sq. — *Interpretum genera* dignoscenda. 248 sq. — Interpretatio *dialectica*, s. *psychologica*. 248 sqq. — *Duplex*. 253. — Ex *Peregrinatoribus* proficiens. 256 sqq.

Iterson. (F. H. G. van) 13. 80. 122 sq. 137 sq. 193. 332 sqq. et in *praefat.*

J.

Joannis dicta memorabilia. 76. 163. 309. 328.

Jungius, Medicus Enchusanus. 48.

Juvenalis dicta. Pag. 157. 189.

K.

Kampen. (N. G. van) Pag. 215. 241.

Kant. (Imm.) De ejus doctrinâ. 216 sqq. 236.

Kemper. (J. M.) 68. 72. 280.

Kist. (N. C.) 187. 268 et in *praefat.*

Knox. (J.) 267.

Koopmans. (W. C.) 224.

Kreenen. (E.) 80.

Kreenen. (J. J.) 131.

Krom. (H. J.) 165.

Krug. (W. T.) 154.

Kunst-IJver. (*Poëzij en Proza van*) Vid. *Artis Ardor*.

L.

Laar. (J. van) 12.

Lachmann. (Car.) 60.

Lambrechtsen. (N. C.) 99.

Lastdrager. (J.) 10.

Latina lingua. Utrum academicus ejus usus abrogandus? 201 sqq.

Ledeboer. (Abr.) 15—18.

Ledeboer. (Bern.) 16.

Leidae coetus. 126 sq.

Liberalitas politica et theologica. 84 sq.

Libri graviores *uno tenore legendi*. 164 sq.

Librorum laudationes, s. vulgo *citationes*. 67. 179. 209 sq.

Lingensis Academia. 35 sq.

Lotze. (J. A.) 31. 52. 53. 167. 308.

Lugduno-Batava Academia. P. 83 sqq.

Lulofs. (B. H.) Pag. 107. 211.

Luzac. (Jo.) 20. 21.

M.

Maaskamp. (E.) 258.

Macquelyn. (G.) 116.

Maerlant. (J. van) Utrum auctor carminis: *De heimelijkh. der heimelijkheden?* 107. — De ejus sermone ac metro. 187. 188.

Magazijn. (*Vaderlandsch*) etc. V. *Horreum patrium.*

Magnanimitas. Vid. *Theologus.*

Manger. (H.) 52.

Manger. (S. H.) 52.

Marken. (B. van) 18 sq.

Massillon. 315.

Metelerkamp. (J. J.) 51.

Meulen. (S. P. van der) 190.

Mineralogia. 90. 122.

Missuum Societas. 161.

Morales orationes sacrae. 282 sqq.

Morum dissitos apud populos similitudo S. S. illustrat. 257.

Muller. (S.) 224.

Muntinghe. (H.) 47. 61.

Mursinna. (S.) 59. 221. 223 sq.

N.

Napoleontis dominatio deletrix. 73. 74.

Naturalis Philosophia cum *Theoreticâ* conjungenda. 213 sqq.

Neander. (Aug.) Ejus laus. 266.

Nederlandi veteres utrum *metricae versuum dimensionis* ignorantes? P. 188.

Nederlandica lingua affinis *Gothicae.* Pag. 186 sq. —. Illius laus. 196 sq. Monita de nonnullis ejus vocabulis. 182 sq. 197 sq. 307.

Nederlandica Litteratura. Vidd. multa huc spectantia, 181 sqq.

Nemesis Divina. 232.

Nicolaï. 331.

Nieuhoff. (B.) 72.

Nieuwenhuis. (F. J. Domela) 31 et in *praefat.*

Nitidum dicendi genus. 315.

O.

Ὁ, ἡ, τό. Vid. *Articulus.*

Ockerse. (G. A.) 29. 68. 173. 207 sq. 282. 327. 331.

Oculorum actio oratoria. 319.

Onerarium navigium. 13 sq.

Oordt. (G. van) 55. 56.

Oosterdijk. (J. H.) 193 sq. 329 et in *praefat.*

Orationes sacrae de optimâ notâ commendandae. 35. 104. 232. 300.— *Satiricae.* 155.

Oratores sacri. Promte dicentium exempla. 9. 125 sq. — Ventosorum reprehensio. 155. — Pacifice religionem tuentium laudatio. 230 sq. Eorum *Repertorium* vel *amplum* vel *angustum.* 304. — Nonnulla, quae vel sequi debeant, vel fugere. 295 sqq. — Eorum genera distinguenda. 315 sq.

Otterloo. (H. van) 259.

P.

Paley. (W.) Utrum Nieuwentytium compilavit? Pag. 68.

Palm. (J. H. van der) Pag. 35. 209 sq. 289. 307. — Ejus genus dicendi. 315 sq.

Pantheismus. 219.

Paresu. (J. H.) 63.

Pastoralis Theologia. 63. 86 sq. 322 sqq.

Paulli Apostoli dicta memorabilia. 3. 37. 41. 123. 164. 169. 226. 228. 283. 326. — Argumentandi genus. 249.

Pectoris eloquentia. 319.

Pelt. (A. F. L.) 221 sqq.

Peregrinatores, S. C. interpreti utiles. 256 sq.

Periodus vel brevis vel longa. 313 sq.

Pestel. (F. G.) 21. 22.

Philologi juvenes *Poësin* amantes. 188.

Philosopha et *historica cognitio* conjungenda. 85. 86.

Philosophia. 204 sqq. — *Theoretica* et *Naturalis* non sejungenda. 213 sq.— Cum *Historiâ* conjuncta. 206. — Item cum *Aestheticâ*. 10. — *Philos. sensûs communis*. 215. — *Kantiana*. 216 sqq. — Neglecta. 218 sq.

Physica. Quomodo adversus *Idealistas* tuenda? 214 sq.

Physicae orationes sacrae. 302 sq.

Physices infantia. 132—134.

Physiognomia. 282.

Pigeaud. (A.E.) 12.

Pigeaud. (Th.) 12. — Nepos. 343.

Placabilis. (Non dicendus Deus) 41. 42.

Ploeg. (H. W. van der) 291.

Pompe van Meerdervoort. (A. J.) Pag. 114—116.

Populorum similitudo. V. *Morum similitudo*.

Practica et *theoretica* rel. Christ. institutio. Vid. i. v. *Theoretica*.

Praeparationis oratio sacra. Pag. 332.

Primipili Angli *baptizatus infans*. 36. 37.

Professionis oratio sacra. (*Belijdenisrede*). Sacri Codicis loci illi moderandae idonei. 332.

Psalmi rhytmici Nederlandici laudati. 103 sq.

Psychologica S. C. *interpretatio*. 248 sqq.

Q.

Quinctiliani dicta. 31. 239. 250. 314. — Ejus laus. 211.

R.

Rau. (S. F. J.) 22. 23. 208.

Recensent, *ook der Recc*. V. *Censor Censorum*.

Reformatores ante Reformationem. 263 sq.

Reformatorum Societas. 156 sq.

Reinhard. (F. V.) 270 sq.

Reinwardt. (C. G. C.) 68. 72. 89. 93. 94. et in *praefat.*

Rettberg. (F. W.) 264.

Reuvens. (C. J. C.) 204.

Rhedeniae pagus. 123.

Rheno-Trajectina Academia. 128.

Rhetores. Qui prae caeteris legendi? 211.

Rhetorica sacra. 295 sqq. 319.

Rosenkranz. (Car.) 222 sq.

Rossijn. (J. Th.) 27.

Roterodamensis coetus. 75 sqq.

Royaards. (H.) 25. 26. 118.

Rudelbach. (A. G.) Pag. 265.

Ruhnkenius. (D.) Pag. 21. 65. 144. 200.

S.

Saurin. 315 sq.
Scaligeri dictum. 277.
Schaaff. (J. H. van der) 9. 12. et in *praefat.*
Schacht. (G. J.) 50—52.
Schacht. (J. H.) 50. 59.
Schatkamer van Vernuft en Smaak. Vid. *Ingenii Thesaurus.*
Schiller. (F. v.) 190.
Schmid (J. J. F.) ejusque *Compend. Hist. Eccl. Christ.* 268 sq.
Scholz. (J. M. A.) 60.
Schröder. (J. F. L.) 213.
Schultens. (H. A.) 20. 64.
Scidami Gymnasium. 12.
Segaar. (C.) 28.
Semiticae Litterae. 103 sq.
Separatistae. 323.
Siegenbeek. (M.) 107.
Skalks. (Vocab. Nederl.) 330.
Slogteren. (J. van) 51.
Societas Hagana pro defendendâ rel. Christ. 24. 46. 152.
Societas Harlemensis. 172.
Societas Litt. Nederl. Leidensis. 107. 134. 184. 197 sqq.
Societas pro salute publicâ. 44. 46. 172. 292. 327.
Societas Rheno-Trajectina. 172.
Societas Teileriana theol. 152. 240.
Societas Zelandica. 182.
Soetens. (G.) Pag. 9.
Sortitio sacris in rebus. Pag. 285 sq.
Specimina Intelligentiae etc. (Opusc. vernaculum: *Proeven voor het Verstand, den Smaak en het Hart*). 191 sq.
SPIRITUS SANCTUS. 272 sqq. 276.
Strauss. (Frid.) 254 sqq.
Stronck. (C. G.) 51.
Subtilitas cogitandi ac dicendi. 65 sq. 149 sq. 304 sqq.
Suerman. (B. F.) 72. 73. 128. 137 sq. et in *praefat.*
Supplicationum dies. Loci S. C. eorum opportunitate tractati. 157. 300. 333 sq. — Supplicationum dies difficilis. 334.
Supplicationum horae. Loci S. C. earum opportunitate tractati. 334 sq.
Suringar. (L.) 36. 50. 51. 52. 83. 289.
Swinderen. (Th. van) 55 et in *praefat.*
Symbolae et *novae Symbolae ad humanam felicitatem* (*Bijdragen* en *nieuwe Bijdr. tot het menschelijk geluk*). 292 sq.
Synodus Reformatorum Nederlandica. 322 sqq.

T.

Tabula s. *Charta Palaestinae.* 258 sq.
Teissedre l'Ange. V. Ange. (L')
Teleiobaptistae. 161. 224.
Tempestivitas orationis sacrae. 310 sqq.
Temporis parsimonia. 44.
Terpstra. (Jac.) 130.
Testimonium Spiritûs Sancti. 236 sq.
Te Water. (G.) 52.
Te Water. (J. G.) P. 83. 118. 322.

Theismus. Pag. 219.

Theologia. Ejus *Encyclopaedia*. 59. 98. 220 sqq. — Injustum *odium*. 59. — *Liberalitas*. 59. — Conjunctio cum *Hist*. *Nat*. 90. — Theol. *Polemica* et *Practica* comparata. 286 sq. — Theologia quam late pateat? 170. 171. 180 sqq. — Quâ viâ ad antiquam reducatur barbariem? 200. — Theologia *prorsus litteraria*. 224. — Populos non disjungit, sed conjungit. 226. — *Una* est. 227. — Nec ulla ejus pars contemnenda. *Ibidem*. — Theologia *Historica*. 261 sqq. — Theologia *Dogmatica*. 271 sqq. — Theologia *Practica*. 286 sqq. — *Pastoralis*. 322 sqq.

Theologia Naturalis. 214.

Theologus. Moribundi ejus professio. 135 sq. — Theologi dotes. 147. — Maxima ejus laus *magnanimitas*. 168 sq. — Theologi juvenes *Poësin* amantes. 188. — Theologus non quaerit *cujas* sis. 226. — Ejus *ἰδέα* a nemine assequenda. 3. 225. — Illius *liberalitas*. 59. 159.

Theoretica et *practica* rel. Christ. *institutio* arcte conjuncta. 270 sq.

Theoretica Philosophia cum *Naturali* conjungenda. 213 sqq.

Tilanus. (J. G.) 73.

Tyssen. (D.) 80.

Trajectio verborum, remedium criticum. 250 sq.

Tubingensis Schola. 152.

Tydeman. (H. G.) P.68 et in *praefat.*

U.

Ullmann. (Car.) Pag.262 sqq. 267.

Ulphilae Fragmenta. 186.

Universitas Imperii Francogallici. 79.

V.

Verstand, (Proeven voor het) den Smaak en het Hart. Vid. *Specimina Intelligentiae* etc.

Vocabulum Nederl. *Dood* cujus generis est? 182 sq.

Vloten. (A. van) 80.

Vloten. (G. A. van) 29.

Voorst. (J. van) 83.

Voorst. (D. C. van) ejusque opus: *De Bijbelminnaar*. 259 sq.

Vorstman. (J. C.) 42.

Vries. (A. de) 184.

W.

Waal. (Corn. de) 57. 328 sq.

Water. (Te) Vid. Te Water.

Willemsen. (Jac.) 7.

Winer. (G. B.) 222 sq.

Wijnpersse. (D. van de) 21. 164 sq. 207.

Y.

Ypey. (A.) 63. 67. 72. 185. 268.

Z.

Zoölogia. 90. 93.

Zoutmaat. (Cl.) Pag. 43.